Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XVIII. PARS I.

LIPSIAE MDCCLXXII.
APVD IO. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud
Briaſſon, Venetiis apud I. B. Paſcali, Patauii apud Io. Manfré,
Holmiae apud L. Saluium.

QH
7
C66
v.18

I.

Kongl. Vetenskaps Academiens Handlingar för Aor 1769. Vol. XXX. Med. Kongl. Academiens Tilſtond, Stockholm, tryckt hos Directeuren Lars Saluius, po deſſ egen Koſtnad 1769. 8. pagg. 343. tab. aen. 12.

i. e.

Acta Academiae Reg. ſc. Suecicae anni 1769. Vol. XXX.

Trimeſtre primum.

1. De *augmento incolarum Holmiae ab anno 1721 ad* p. 3.
finem 1766 agit P. VARGENTIN. In antiquioribus temporibus vſus eſt natorum et mortuorum catalogis, quos, iuſſu regio, conſiſtoria miſerant; recentioribus *tabellis*, quas vocant, in quibus, quae ad ſtatum populi Suecici pertinent, curioſius conſignantur (*tabellenwerk*). Ita ſumendo medium ex ſedecim annis 1721-1736; annuus natorum numerus eſt 1846; mortuorum 2104; medium p. 8.
vero ſumendo ex octodecim annis 1749-1766, quouis anno habentur nati 2557, mortui 3430; Igitur, ſi conſtans eſſe ſumatur ratio inter incolarum omnium numerum, et natos ac mortuos, erunt numeri incolarum omnium annis vltimis, et prioribus, in ratione circiter 7:5 ex natis; ſed 8.5

p 9. ex mortuis. Quod mortuorum numerus in ratione
maiore creuerit, quam natorum, inde explicat
p. 12. Noſter, quoniam in eodem terrae ſpatio, augeſcente hominum numero, difficilius fiat, matrimonia inire, aut potius oeconomiae, vt a patrefamilias poſtulatur, proſpicere, morbi contra contagia ſua inter homines denſius habitantes, facilius propagent. Igitur decreſcit proportio augmenti hominum, creſcit ea decrementi. Proinde, ſi ex duarum periodorum collatis inter ſe mortuorum aut natorum numeris, incolarum augmenti ratio debeat computari, medium videtur ſumendum inter duas rationes, quas vterque calculus exhibet.

p. 13. 2. *Mola, arbores in aſſeres ſecandi* docet Cl. CAR. KNUTBERG quomodo ita conſtruenda ſit, vt per eandem arborem ſimul ducantur plures ſerrae laminarum tenuium, quo ligno, quam fieri poteſt, plurimum parcatur.

p. 33. 3. *Nouum antliarum pneumaticarum genus* proponit IO. CAR. WILKE. Lect. Phyſ. Exp. Vtitur nota proprietate vaporum aquae ebullientis, ita ſe expandendorum, vt ex eo loco, quem replent, aerem expellant. Itaque loco cylindri eius, in quo vulgares antliae embulum agitant, vas habet metallicum, in quod, canalis ope, adſcendere poſſunt vapores aquae, ſuper carbonibus ebullientis; per aliam aperturam cedit illis vaporibus aer in vaſe (veſicam appellat) contentus. Iungitur autem veſica orbi alicui, cui campana vitrea imponi queat, vt in vulgaribus antliis, et illae tres aperturae veſicae, qua vapores intrant, qua aer exit, qua orbi iungitur, pro lubitu valuulis v. c. aut epiſtomiis claudi poſſunt. Vltima igitur hucusque clauſa eſt. Vbi vapores, in veſicam adſcendentes, ſat aeris expulerunt,

pulerunt,

DSI

pulerunt, clauditur epiſtomium, per quod aer exierat, aqua frigida veſicae circumfunditur. Ita frigefacti vapores guttarum forma redeunt, vnde adſcenderant, et clauſo, epiſtomio, quod, apertum ante, adſcenſum illis permittebat, iam veſica magnam partem vacua eſt. Illo igitur epiſtomio, quo orbi iungitur, aperto, in hoc vacuum irruet aer ex campana. Quae exantlationis ſpecies repeti poteſt, vt ſub campana remaneat pars aeris, quae initio ſub campana fuerat, centeſima triceſima in machina, quacum tentamen inſtituerat Noſter, non omnino, quantum maiori cura reddi poſſet, perfecta. Vulgares antliae etiam poſtea, quae b. NOLLET ad eas emendandas fecit, aerem circiter 300 vicibus rarefaciunt; (nihil habet Noſter de antlia Cl. IO. SMEATON Phil. Tranſ. Vol. XLVII. art. 69. qua aer 500, imo 1000 vicibus tenuior reddi adſeritur) itaque haec paulo melius conſtructa facile illas aequabit, habet vero hoc praecipui, quod ſubito aerem euacuet, non, vt vulgares, paulatim; (vas magnum in anteceſſum euacuare, et campanae ita adplicare, vt aer campanae ſubito in illud irruat, docuerunt b. NOLLET et alii). Ceterum, cum igne et aqua illi opus, vſus quibusdam incommodis iunctus eſt. p. 37.

4. *Animaduerſiones de ſectione caeſarea* iis, quas 1768 exhibuit, addit HERMANN SCHÜTZER.*) Neceſſariam illam exiſtimat 1. matre, antequam partum enixa ſit, mortua. 2. Si partus via naturali prodire nequeat, vel propter malam conformationem et anguſtiam peluis, vt in femina nana, de qua anno 1768 actum eſt, vel propter excreſcentias et ſcirrhos, ſiue in pelui ſiue in ouario, quibus vterus ex ſitu ſuo deprimitur, vt naturali via partus exire nequeat, ſi caput primum prodeat; nam ſi p. 42. p. 44.

 pedes

*) Conf. comm. noſtr. Vol. XVII. P. I. p. 67.

pedes primi ſint, extrahi poſſe exemplo docet fe-
p. 45. minae, cuius ouarium ſiniſtrum ſcirrhoſum quam
maxime tumebat, eam via naturali a partu, cuius
pedes primi prodierant, liberauit, neque niſi bien-
nio poſt a ſcirrho hoc mortua eſt. 3. Si fetus ſit
p. 46. in tuba Fallopiana, aut cauo abdominis, 4. ſi va-
gina vteri callis cet. occludatur, vt partus per il-
lam exire nequeat. 5. Si ruptus ſit vterus, quod
feminae, ab obſtetrice inclementer tractatae, in ipſo
vteri fundo acciderat, Noſter quidem via ordinaria
extraxit partum, cuius caput, cum manum vtero
inſeruiſſet, inter inteſtina matris iacens, vna cum
illis tetigerat, mater tamen ab hoc vteri vulnere,
et nata inde gangraena, quinto die poſt obiit.

p. 49. 5. *Vacca Finnica, quomodo nutrita ſit, vt ex
lacte eius quotannis fieri poſſent butyri librae vicenna-
riae* (*liſpfund*) *9 vel 10*, deſcribit PETR. ADR.
GADD. Chem. Prof. Oboenſ. Haec ſi intelligi
omnino deberent, ſingula eſſent deſcribenda, neque
ſingula incognita iudicantur. Id videtur ani-
maduerſione dignum, herbas reiectaneas, qui-
bus alias non veſcuntur vaccae, vrticam, car-
p. 52. duum, abſynthium, ſonchum, chaerophyllum,
leontodon taraxacum, gramina duriora, arbo-
rum ramuſculos et folia, conciſa omnia et cocta
iuris ſpeciem praebuiſſe (*ſiede* appellant oeco-
nomi noſtri) quod utile vaccae fuit. In locis, vbi
cremor lactis butyro faciendo ſeruatur, calor non
debet excedere 22 gradus thermometri Suecici,
p. 54. hoc eſt, 18. Reaumuriani (Suecicum inter gla-
ciei et aquae bullientis puncta habet gradus 100)
alias iuſto citius coagulatur lac, nec ſatis exacte
cremor a ſero ſeparatur.

p. 57. 6. *Animaduerſiones ad ſcriptum praecedens* edit
ANDR. BERCH Iur. D. et Pr. Oec. Upſ. Plera-
que

que probat, neque omnino noua iudicat. Illis 10 libris butyri non reddi pretium foeni et farinae, quae vaccae nutriendae adhibita fuerant, exiſtimat, niſi in loco, vbi vendi foenum non potuerit, Holſatienſes vaccas, Hollandicas, Anglicas, 24 libras vicenarias butyri quotannis reddere. Lac in regionibus borealibus aliter tractari monet ad butyrum efficiendum, quam in Europa reliqua.

7. *Obſeruata in ſalinis Noruegiae, ad locum,* p. 60.
Walloe dictum prope Chriſtianam, edit. Cl. SAM.
GUST. HERMELIN. Aqua tubarum ope, obti- p. 62.
netur ex mari, ex profunditate 30 pedum, nam propius ad ſuperficiem minus ſalſa eſt. Dum ex alto per virgulta deſtillat, quod infra colligitur, plus ſalis in minore maſſa aquae continet, ex, mari hauſtae aquae pars $\frac{1}{96}$ ſal eſt, dicto modo concentratae $\frac{5}{16}$, ita aerometro aqua exploretur; ſed, licet aerometrum oſtendat $\frac{5}{16}$ ponderis aquae a ſale effici, tamen coctione non obtinetur tantum ſalis, quoniam eius ponderis pars eſt etiam ab alio ſale, quam culinari item a particulis terreis, aquae innatantibus. Coctio conſueto modo abſoluitur. Experimentum captum eſt euaporandae ſuper ignem aquae, qualis ex mari hauriebatur. Quantitates ligni comburendi, vt ex tali aqua tantum ſalis habeatur, quantum ex concentrata, ſunt in ratione
22:5. Cum maris ſuperficies, ineunte vere, a p. 65.
glacie liberatur, aqua in ſuprema maris ſuperficie aeque ſalſa eſt, ac alias in profunditate 30 pedum. Inde occaſio nata eſt tentandi, quantum poſſet aqua ſalſa concentrari, dum pars eius in glaciem abit;
ſed repertum eſt, frigore vehementiſſimo non plus p. 66.
effici poſſe, quam aquae ſub glacie remanentis, pars ſexta ſal ſit. Igitur hic modus concentrandae aquae ſalſae, vt minus vtilis vulgari neglectu eſt.

p. 67. 8. *Triticum, ſpica multiplici, quam bene creuerit in Hallandia*, enarrat PETR. OSBECK, et culturam huius cerealis ciuibus ſuis commendat. Nomina plantae habentur ap. Cl. RAIUM Synopſ. ed. III. p. 387.

p. 71. 9. *Plantulam, cuius ramuli congregati, ſyluulam referentes, toti ex capſulis ſeminalibus conſtant*, deſcribit OTTO FRID. MUELLER. Septembri menſe 1762 Fridrichsdalii (cuius faunam et floram edidit) in loco paludoſo corpus album deterit, a quo particulae albae auolarent, inhaere-
p. 72. bat fruſto ligni fagini ſicco. Quod cum curatius examinaret, ſyluulam plantarum reperit, 4. digitos longam, ſesquidigitum latam, adhaerebat, ligno, ope cuticulae flauae, pellucidae, duas lineas latae, e cuius margine ſuperiore prodibant veluti parui frutices, coeruleo griſei, inde a ligno incluſi ſubſtantia flaua farinacea ſpumae exaruiſſet ſimili, variis in locis diſrupta, leuiſſimo ſtatu pulueris ſubtiliſſimi ad modum auolante. Quos frutices diximus ramuſculorum potius congeries, vndique habebant veluti nodos compreſſos, farina alba, tenui con-
p. 73. ſperſos, quae leuiſſimo tactu decideret. Illi vero noduli coerulei nigrum puluerem continebant, quem microſcopium oſtendit, conſtare granis rotundis, duris, pellucidis, adiectis quibusdam filamentis tenuiſſimis, quibus adhaererent granula, quatuor vicibus filamentis craſſiora. Itaque noduli illi coerulei capſulae ſeminales ſunt, plenae ſeminibus nigris, filamentis tenuibus adhaerentibus. Hae capſulae, cum ſiccatur et decidit inuolucrum flauum, farinaceum, ſpumae ſimile, diſſiliunt, ſemina innumera quaquauerſum eiicientes. Id vero inuolucrum veluti totius plantae communis eſt corolla. Igitur
p. 74. huius plantae haec ſunt ſingularia: radicis loco ipſi

eſt

eſt cuticula tenuis, extenſa; tota plantarum ſyluula, corollae loco, tegitur inuolucro molli, quod, cum fini ſuo ſatisfecit, ſiccatum diſſilit, et vento diſſipatur. Nomen ei eſt apud Noſtrum: *mucor cruſtaceus, erectus, albidus, corymbis globoſis, nigris.*

10. *Corpus humanum et artus, quantum a variis cauſis ampliarentur aut minuerentur*, dimenſus eſt ANT. ROL. MARTIN. In nota ſubiecta profitetur Academia, has menſuras, ob difficultatem accurate illas capiendi, non omnino tutas ſibi videri; laudandam tamen eſſe ingenioſam Cl. Auctoris induſtriam, quae alios ad eadem obſeruanda poſſit incitare. Menſurae loco vſus eſt faſcia chartae craſſioris, duos digitos transuerſos lata, in qua plures rectas parallelas duxerat, ſingulas pro ſingulis partibus, quas, cuiuis parti circumplicando faſciam, dimetiri volebat. Menſurae in ſedente captae ſunt, iacentem minus amplitudinis habere expertus eſt. Contextus et alia, quae annis praecedentibus a Noſtro exhibita ſunt, docent, ſuum potiſſimum corpus eum eſſe dimenſum. Conſiderauit vero thoracem ſupra coſtas veras, linea per papillas ducta; item thoracem ſupra coſtas ſpurias, linea per ſcrobiculum cordis ducta. Abdomen, linea per vmbilicum ducta. Cum pro inſpirationis et exſpirationis diuerſitate varia ſit thoracis amplitudo, ſummam inſpirationis liberae exſpectauit. Volam etiam manus dimenſus eſt, femur ad inguen, ſurae craſſiſſimum, crus ſupra malleolum. Ita reperit, quorum exempla adducemus. Cibus, potus, motus, vigiliae, calor ampliant corpus. Poſt cibum, modice ſumtum, abdomen et thorax, ſingula 5 lineis ampliantur (lineas habet digitus Suecicus decem). Poſt cibum copioſiorem, vini, coffeae hauſtus pleniores, coſtae verae 7 lineis ampliores repertae

p. 76.
p. 77.

repertae ſunt, et ſpuriae tantundem, abdomen di-
p. 78. gitum. Eundo femur 7, 8 lineas auctum eſt; ſura
5; crus 2: poſtquam duas horas tibias muſicas in-
flauerat, thorax 8 lineis amplior factus eſt, abdo-
men nihil ampliatum; dormientis manus et crus ſin-
gula 2 lineas, ſura 5 lineas ampliora, quam ſtatim
poſt ſomnum; contra coſtae dormientis 8 lineis an-
p. 79. guſtiores fuere. Potus ſpirituoſi anguſtant corpus,
item, ſed minus, ſal ammoniacum, cortex Peruuianus,
adſtringentia. In pectoris anguſtiis a morbo, ni-
hil mutatae coſtae verae, nec abdomen, ſed ſpu-
riae lineis 5 anguſtiores, quae poſt ſudorem et tran-
ſpirationem priſtinam amplitudinem recuperarunt.
A colica flatulenta, aut cibis flatulentis, nihil mu-
tatae coſtae verae et abdomen; ſpuriae ad 5, 8 li-
neas extenſae Poſt aluum mane liberatam coſtae
et abdomen anguſtiores, niſi id a diarrhoea, aut la-
xantibus vehementius contigiſſet, tunc enim coſtae
contractae fuerunt, abdomen ad digitum ampliatum,
quod tamen interdum vel ab euacuantibus fortiori-
p. 80. bus nihil eſt mutatum. Poſt emeticum abdomen
anguſtius, coſtae ſpuriae ampliores; cum vomitum
ſedes plures eſſent ſecutae, nihil mutatae coſtae, ſed
p. 81. abdomen ſesquidigito amplius. Inſpiratio libera ab-
domen 10 lineis ampliat, coſtas veras et ſpurias
iunctim 5 (ſcilicet, quantum ampliatae ſunt coſtae
verae, quantum ſpuriae, ſingulatim dimenſus eſt,
hic ſummam ſaltim edit). Quod amplitudinis aug-
mentum cum ſesquidigitum aequet, poteſt vehe-
mentiori inſpiratione id ad tres digitos extendi, ſed,
ſeruata eadem ratione, inter augmenta coſtarum et
abdominis (vt ſcilicet abdominis augmentum du-
plum ſit augmenti coſtarum *) ſub finem monet, in

Finnia

*) Menſurae hae plus videntur nos docturae, ſi conſue-
tam amplitudinem addidiſſet Cl. Auctor illarum par-
tium,

Finnia infantes, qui cardialgia cet. laborant, pronos reponi; ſupra dorſum vero extendi pedem ſiniſtrum, et brachium dextrum, donec ſe mutuo contingant: item pedem dextrum et brachium ſiniſtrum, ſi ſe non contingant, partem breuiorem fotu, aut illinendo ad iuſtam longitudinem reduci *).

11. *Excerpta ex diario Academiae.* 1. Oleum ex p. 82.
ſeminibus fagi expreſſum, pluribus in locis notum, nondum adhibet Suecia. Eam ob cauſam eduntur, quae de hoc oleo expertus eſt in Italia Cl. IO. TARGIONI Tozzetti. Semina a membranis, quibus p. 83.
circumdantur, liberata non plus olei dedere. Hae igitur membranae parum olei abſorbent. Tamen ſemina haec, ita membranis exuta, oleum praebent magis album. Sapor olei gratus eſt, ſubdulcis, odor etiam gratus. Ellychnii ab illo claram et viuidam lucem fundunt, extincti non adeo male olent, ac ab oleo oliuarum. Cum in vehementi frigore, quod Italia ſenſit 1768. oleum oliuarum ad ſaponis conſiſtentiam coagularetur, oleum faginum pellucidum manſit et fluidum.

2. ABR. ARGILLANDER, officinarum nitra- p. 84.
riarum Finniae director, obſeruare ſibi viſus eſt, legem in ſexu liberorum, ab eadem matre ſucceſſiue editorum, plerumque alternare ſexum, vt filium ſequatur filia cet; ſi vero plures partus eiusdem ſexus ſeſe excipiant, pueros edi numero pari 2, 4, 6, 8 cet. puellas impari 3, 5, 7, 9 cet. Id expertus eſt in feminis 50, quae pepererant pueros 187, puellas 278; quae minimum pepererat, 6 partus ediderat, quae

tium, quarum augmenta aut decrementa exhibet. Ita enim cognoſceretur ratio inter magnitudines conſuetas et mutatas, quam nunc omnino ignoramus.

*) Hanc operationem Germani *ziehen* appellant.

quae plurimum, 23; cauit vero, ne abortus calculos ſuos turbarent. Inter has 50 feminas duae ſaltim, quaeuis ſemel, poſt duas filias filium pepererunt. Seruari legem vidit etiam femina, ſecundas nuptias ineunte, indicio, ſexum fetus a matre pendere. Sed exemplis contrariis recenſitis, legis vniverſitatem infregerunt iam quidam Academiae ſocii, ſuadentes tamen, vt haec cogitata, vlteriori examini occaſionem datura, ederentur.

p. 86. 3. Ruſtica in vas, ex quo vacca 12 annor. quae modo pepererat, potaret, cultrum, quarta vlnae parte longiorem, iecit, ſuperſtitione eius loci contra ſortilegia. Illum vacca cum potu deglutiuit, quatuor diebus male ſe habuit, poſt ea bene tribus vicibus rurſus peperit, et eo anno, quo haec ſcripta ſunt, quarta vice praegnans facta eſt; Illo vero anno prodire coepit culter ex pectore, manum transuerſam a femore longitudo partis prominentis eſt duorum digitorum transuerſorum. Vacca lac copioſe dedit.

Trimeſtre ſecundum.

p. 89. 1. *De figuris aquae, in glaciem abeuntis*, noua experimenta edit IO. CAR. WILKE. Pertinent inprimis ad glaciem ſubito oriundam, dum aquae frigidae immittitur ſolidum frigidum, v. c. tubus vitreus, glandes minores plumbeae (*bleyſchrot*) ſti-
p. 93. ria glacialis. Aqua adhuc habente calorem vnius aut dimidii gradus, ſupra punctum glaciale thermometri Suecici hoc modo nullam glaciem oſtendit, ipſa illa ſolida cruſta glaciali obducuntur, et id quidem ſolummodo, ſi frigidiſſima ſint, vt tubus vitreus, niue et ſale plenus. Cum vero aquae, ad ipſum glaciale punctum frigidae, immittitur vitrum frigidius, aut mercurius, aut glandium plumbearum

rum minorum numerus, copioſe in aqua oritur figura glacialis, pro baſi et origine aliarum omnium habenda lamina tenuis, omnino circularis. Hae laminae ſitu horizontali per aquam adſcendunt, interdum tam exiguae et tam numeroſae, vt nebulam aquam replentem, exhibeant, dum vero adſcendunt, ad lineae diametrum, et magis augentur. Superior illarum pars conuexa eſt, inferior plana. In aqua, ad dimidium vel integrum gradum p. 94.
infra punctum glaciale frigida, oriuntur eaedem laminae glaciales, ſed dum adſcendunt, margine foliaceo in eodem, cum illis, plano ſitu circumdantur, qui mox auctus, in figuram, qualem vix exhibet, ſexangularem abit. In frigidiore celerius ad- p. 95.
huc oriuntur illae ſtellulae hexagonae, omnes tamen a media lamina circulari. Ita facile oculis ſubiicitur nota lex Cl. MAIRANI, glaciem laminis planis et angulis 60 graduum oriri; ſed has figuras p. 101.
ex priſmatibus veluti glacialibus tenuibus, acuminatis oriri, non docet experientia; contra oſtendit, radios, qui dici queant glaciei, non acuminatos eſſe, ſed figuram foliorum referre, etiam microſcopio conſideratos. Ex his experimentis curatius, quam vt omnia huc transferri queant, deſcriptis, generalia quaedam conſectaria deducit Noſter. Niuis et p. 106.
glaciei figuras ſexangulares a ſolis aquae particulis oriri, non, vt quidam commenti ſunt, a ſalibus cet. admixtis: Ningere igitur, cum aer vaporibus aqueis p. 107.
refertus, ipſe vbique frigidior, quam ad punctum glaciale impellatur ab irruente vento frigido, aut nubes, vaporibus iam conglaciatis onuſta, irruat. Diuerſitates ſtellarum niualium, a variis gradibus frigoris, in aere naſci; laminas vero illas glaciales forte ſaepius copioſe in aere pendere, et ab illis meteora quaedam emphatica naſci. cet. Tandem de p. 110.
glacie loquitur, quam in fundo fluminum generari,

adſcendendo

adſcendendo creſcere, et ſic fluminum curſum cum damno litora colentium impedire, refertur. Eius ortum ſatis apte ex illis laminis glacialibus, adſcendendo creſcentibus, explicat.

p. 111. 2. *Hydropem rarum ouarii* deſcribit ROL. MARTIN Anat. et Chir. Prof. repertum in cadauere feminae, quae vna ſaltim die in noſocomio degeret, vt de morbo eius nihil conſtaret, quam, eam de dolore
p. 113. genitalium, et febri lenta eſſe conqueſtam. Ouarium dextrum in hydropem abiit, ita mutata figura conſueta, vt extremitates figurae eius oualis verſus caput et pedes eſſent directae, longitudo vtero perpendicularis, figura oblonga rotunda, aequabiliter aqua repleta, quam continebat tunica, aeque craſſa, ac veſica vrinaria, ſed viſcida et carens fibris mu-
p. 114. ſcularibus, in eius ſuperficie interna conglomeratae apparebant veſiculae pellucidae. Magnitudo oui ſtruthionis, menſuram aquae, continebat, plerumque in cauo illo aliquid etiam in veſiculis, vni laterum adiacentibus. Duplicatura peritonei expanſa, ſaccus ille ante tubam fere liber iacebat, illi vteri annexae adhaerens ſaltim membrana tenui velut celluloſa. In pelui minori, prope foramen obturatorium, et circa ramos arteriae hypogaſtricae, celluloſa tantum inflata, vaſa ne poſſent iniici, ſed cera ibi ſtagnaret, etſi alibi minimos ramuſculos intraret. Muſculi valde ſcirrhoſi, calculoſi quid
p. 115. aut ſabuli continentes, quod cultros laederet. Exitus vrethrae femineae, vbi in pronaeo vaginae vteri iungitur, in ſubſtantiam conglomeratam, viſcidam, viſu iudice velut adipoſam abierat. Hinc extrorſum premebatur vagina, ea parte, qua inteſtinum rectum reſpicit, eodem ſcirrho circumdata. Hinc natus tumor prolapſum vteri mentiebatur, parte vaginae inferiore relaxata, et, cum non amplius adhaereret, procidente.

procidente. Nam ipſum vteri fundum hydrops ille non preſſerat, cum ei non immineret.

3. *Pterocarpus* (ecaſtaphyllum) *Americana* deſcribitur a PETR. ION. BERGIO. Arboris ramum inter alias plantas, in itinere collectas, ex Havana attulit, IO. RVDOLPH. Chir. ſtud. Florem ſolum absque fructu viderunt Cll. PLUMIER et BROUNE. Ille *ſpartium* appellat, hic *ecaſtaphyllum* et figuram meliorem exhibet. Cl. LOEFLING florem et fructum vidit, ſed de vtroque breuiter loquitur absque figura, vt difficilius intelligatur, de hac planta illum loqui. Cel. LINNAEUS ad *hedyſarum* retulit, quia fructum non vidit: is enim docet, ad *pterocarpum* pertinere. Exemplar, quod hic deſcribit Noſter, ſimul depictum exhibet, ſoluit difficultatem aliquam circa characterem *pterocarpi*, quae ad ſtamina pertinet, oſtendit enim, filamenta diuiſa eſſe in duo corpora aequalia. Specificum nomen Noſter plantae tribuit: Pterocarpus (*ecaſtaphyllum*) leguminibus ſuborbiculatis, obtuſis, planis, foliis alternis ouatis, ſubtus villoſis. p. 116. p. 117.

4. *Juglans foliolis, ſeptenis lanceolatis, ſerratis, impari ſeſſili* Linn. ſp. pl. ed. II. p. 1415. deſcribitur a P. KALM. Arbor Americae borealis indigena eſt, Anglis *White, Walnuts*, item *Butternut, Oylynut*, Batauis Noui Eboraci *Olje Noot;* quoniam exterior cortex nucis velut butyro aut oleo obductus eſt, manus etiam inficiens, inprimis ſi viridis tractetur. Nucis forma oualis eſt, qua ab aliis, ſui generis, omnibus diſtinguitur, inde Gallis Canadenſibus dicuntur *Noyers langues*. Inter nouum Eboracum et Albaniam ſyluae plurimum hac arbore conſtant. Ad ſinum St. Pauli, milliaribus Gallicis 18 Quebeco borealiorem vltimae verſus bo- p. 119. p. 120. p. 121.

ream

ream reperiuntur. Creſcit ad ſiccas, paulatim decliues fluuiorum ripas, et alia collium decliuia. Philadelphiae florere incepit 1750. d. 26 aprilis, ſtili noui, tribus aut quatuor diebus poſt folia proruperunt. Ad Montreal Canadae nuces d. 23 ſept. 1749 in Albania, maturae fuerunt, cum minus borealis ſit, 1750. d. 12 ſept. maturas reperit. Folia ſub finem octobris 1750. deciderunt. Corticis, nucis et foliorum odor ab oleo copioſo, maxime ingratus. Rami facile, modice inflexi, franguntur. Lignum album eſt, vnde arbori nomen Anglicanum, hinc ad opera minora lignea non quaeritur, ſed combu-
p. 123. ritur. Cortex lanam colore nigro tingit; decoctum corticis, in ore retentum, aduerſus odontalgiam commendatur. Nucum prouentus copioſus eſt, ſuntque optimi ſaporis. Semimaturae ſaccharo condiuntur. Oleo barbari crines illiniunt, et artus
p. 124. poſt laſſitudinem, a motu vehemente. Nuces per annum eſui aptae manent. In Finnia ex vere 1758 ſatis nucibus arbores aeſtate proxima progerminarunt, et tulerunt hyemes, pleriſque arborum indigenarum laetiferas. Nuces nondum maturuerunt ob aeſtates minus calidas et breuiores. Semimaturae tamen condiri poſſunt.

p. 127. 5. *De aquae comminutione* agit CAR. FRID. NORDENSCHIOELD. Diſputat inprimis contra *ea, quae de mutationibus ſuperficiei telluris, inprimis in tractu eius frigidiore*, dicta ſunt et inſerta actis anni 1765. trim. ſec.*) Pleraque, quibus adſtruit, aquam reuera diminui, non ignota ſunt, et ab eo prolixius et obſcurius dicuntur, quam opus erat. Habet tamen quaedam, quae ſibi vindicet, vel cogi-
p. 134. tata vel comperta. Cum dulcis aqua, poſt pluuias copioſiores, manna copia ſalſae miſcetur, fermen-

tationem

*) vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 10.

tationem naſciuit, et, poſt praecipitationem, cuius ſedimentum particulis terreſtribus fundum maris obducat, adeoque altiorem reddat, et prouocat ad experimentum, eius cauſa a ſe explicatum in notis ſuis, ad Cl. BROWALLII *de aquae diminutione* librum, adhuc ineditis. Similiter alia ex ſcriptis ſuis, nondum editis, ſupponit, vnde partim naſcitur obſcuritas eius, partim etiam a ſtilo. Anno 1727 propè mare fodiens puteos reperit, plenos aqua ſalſiore, quam eſſet marina, qua exhauſta, alia aqua puteos rurſus implens, minus ſalſa fuit, propius ad marinae ſalſedinem accedens. Vnde colligit, marinam aquam, dum per ſabulum colatur, ibi ſal deponere; ſabulum vero plus ſalis retinere, quam aqua marina contineat. Itaque aquam, per ſabulum transeuntem, magis ſalſam fieri poſſe marina. Superficiem maris ſingulis ſeculis vlna circiter humiliorem fieri ponit, Cl. CELSIUS 2¼ vlnas ſumſerat, quod, quoniam experientia conciliari nequeat, in cauſa fuiſſe dicit Noſter, vt multi diminutionem aquae omnino negarint. Scripſit vero haec omnia, vt ſub finem diſſertationis indicatur, d. 31. Oct. 1765. p. 141.

p. 146.

6. *Quae in Suecia acta ſint, ad obſeruandum Veneris per Solem tranſitum d. 3. Iunii 1769* enarrat P. VARGENTIN. Quod obſeruatores plures varia in loca miſſi ſint, vtile fuit, nam ob coelum nubilum illorum vnico Cl. PLANMAN contigit, obſeruare Caianeborgi contactum interiorem et exteriorem. Deinde obſeruationes Holmienſes enarrat Cl. Auctor. Id inprimis ad naturae coeleſtium cognitionem pertinens notatu dignum eſt, quod, cum Venus toto ſuo orbe intraſſe diſcum ſolis iudicaretur, extenderetur tamen ab ea, ad illam partem marginis ſolaris, per quam intrauerat, velut faſcia nigra, qua margini adhaereret, ea faſcia, ſuc- p. 151. p. 153

ceſſu temporis, paulatim anguſtior facta eſt, donec tandem ſubito, velut a radio lucis, per eius transverſum proiecto, disrumperetur, et Venus, a luce Solis vndique circumdata, appareret. Id phaenomenon Suecis obſeruatoribus omnibus viſum eſt, aliis illorum aliter in circumſtantiis, vt amplitudine, duratione, figura faſciae, quod tuborum, quibus vſi ſunt, et ipſorum oculorum diuerſitati tribui poteſt.

p. 158. 7. *Vpſalienſes obſeruationes Veneris in Sole* edit ERICUS PROSPERIN. Adj. Math. et Vicar. Obſeruatoris Aſtr. Reg.

p. 161. 8. *Illud faſciae phaenomenon explicare* conatur DAN. MELANDER Aſtr. Prof. Vpſ. Vtitur atmoſphaera Veneris, et ſimul alias coniecturas, de planetarum atmoſphaeris, proponit.

p. 173. 9. *Oboenſes Veneris in Sole obſeruationes* enarrat IAC. GADOLIN Th. D. et Prof.

Trimeſtre tertium.

p. 177. I. Cl. NORDENSCHIOLD *ſcripto* (Trim. ſec. 5.) *vtpote ſuo oppoſito* reſpondet EPHR. O. RUNEBERG, ſingulas aduerſarii rationes excutiens. Ad illa, de ſedimento a pluuia, cogitata monet, ita fundum maris eleuari debere tantundem in auſtralibus regionibus ac in borealibus, et maxime ſub
p. 185. aequatore. Regiones eſſe vltra milliare Suecicum ſupra maris horizontem eleuatas, excurſu fluminum colligit, qui, vt lentus ſaltim ſit, decliuitatem vnius partis pro longitudine centum partium poſtulet, dari autem fluuios, qui ab origine ſua 100 milliaria ad mare decurrant. Volgae longitudinem 500 mill.

Germanico-

Germanicorum aeſtimari, vbi, detractis etiam viae flexibus, ſat longitudinis reſtet.

2. *Epiſcopatus Oboenſis augmentum populationis* p. 197. annis 30 recenſet CAR. FRID. MENNANDER. Th. D. Epiſc. ad Procanc. Oboenſ. Conferenda haec ſunt cum prima diſſertatione trim. pr. In terris omnibus, quae ad epiſcopatum (ſtift appellant) pertinent, extenduntur vero in longitudinem circiter 100 milliarium Suec. latitudinem 20; non computata Lapponicae parte, quam *Kemi* appellant, annis 1727-1736 nati ſunt 84702; mortui 47541; annis 1757-1766. nati 135843; mortui 93240. p. 199. Maxime creuit numerus incolarum Bothniae orientalis, fere ad duplum, cuius cauſas recenſet, quod haec regio, fertilis natura ſua, peſte 1710, et bello Ruſſico, quod pax 1721 terminauit, fere fuerit in- p. 205. colis orbata. Qui ergo eam quietis temporibus p. 207 rurſus occuparunt, cum ſat terrarum haberent, quam primum per aetatem fieri poterat, matrimonia inierunt, et liberos procrearunt. Leges Suecicae ad oeconomiam ſpectantes, etſi multae in melius ſint mutatae, de quibusdam tamen queritur, quod iis efficiatur, vt homines, laboribus apti, ex patria migrent.

3. *Hirundo Daurica*, *area temporali rubra*, *vro-* p. 209. *pygio luteo rufeſcente* deſcribitur ab ERICO LAXMANN, Eccl. Luth. in Sibiria. Dauricae nomen, vt receptum, et a Cl. MESSERSCHMID in Cat. Muſ. Petrop. adhibitum, retinet Noſter, ipſe in Dauria non vidit, ſed in *Singoriae* parte ante aliquot annos a Sinenſibus vaſtata. Vulgo appellatur *ſaxatilis*, nam plerumque in rupium ſciſſuris habitat. Paulo maior eſt vulgaribus, ceterum vitae genere nihil differt. Matrimonia monogamica fideliter p. 212

ſeruant, ſed ſocia orbatus auis, paucis horis elapſis, aliam quaerit: vidit Noſter, qui eam ob cauſam vicini vxori ſe applicaret, ſed fruſtra, vt viduum manere oporteat, niſi viduam ſors offerat.

p. 214. 4. *Venerem in Sole Caianebergi* obſeruauit ANDRAEAS PLANMANN.

p. 218. 5. *Eiusdem phaenomeni obſeruationem, in Lapponia inſtitutam* recenſet FRID. MALLET. Obſ. Reg. Vpſ. Lacum obſeruatorio elegit *Corten Njemi*, vbi Galli aſtronomi degerant, cum meridiani gradum, qui circulum polarem ſecat, metirentur.

p. 223. 6. *Introitum Veneris in Solem* obſeruauit NIC. SCHENMARK Math. Prof. *Lundini Sconiae.*

p. 225. 7. *Eundem Hernoſandiae* obſeruauit NIC. GISSLER M. D. et Phyſ. Lect. Deformationes Veneris, et eam, qua, cum tota Solem ingreſſa iudicaretur, adhaerere Solis margini proximo videbatur, velut vmbram, terreſtri atmoſphaerae adſcribit. Anno 1761 Venerem in Sole omnino rotundam vidit.

p. 226. 8. *Holothuria phyſalis* Syſt. Nat. deſcribitur a GUST. FRID. HIORTBERG. Ipſe animal vidit in mari, aequatori ſubiecto. Nautae pro veſica inflata habebant, ſed vitam indicat motus fili, ex corporis parte inferiore exeuntis, item apicum, ex anteriore et poſteriore parte prominentium. Viuum coloribus caeruleo, rubente, violaceo egregie variegatur, qui omnes pereunt in ſpiritu vini, corpore ſimul rigeſcente. Ad eiusmodi exemplaria, in ſpiritu vini ſeruata, factae ſunt auctorum delineationes, hic, quale viuum apparuit, exhibetur, niſi quod colores addi non potuerunt.

9. *Horrea*

9. *Horrea frugibus, ope aeris perſpirantis ſiccandis, et currus trituratorios* deſcribit NIC. GISSLER. Horrea ex tignis conſtruuntur, ita coniunctis, vt liber aeri tranſitus pateat, tectum vero pluviam, recta decidentem, excipiat; *Haeſſja* ſtructura haec dicitur incolis Norrlandiae occidentalis. Frumentum ſiccum poſt infertur in conſueta horrea aut in area, prioribus illis horreis ſubiecta, grana excutiuntur ope *currus*, quem vocant. Machina conſiſtit ex pluribus rotis ferreis aut ligneis, 24 numero, quorum axes paralleli ſunt, vt rotae voluantur in planis parallelis, vbi recta progreditur machina. Ita ducitur hic currus ſuper fruges, in area expanſas, tanto temporis et virium compendio, vt, quod tribularum ope viri 6 vel 8, quotidiano labore 8 vel 10 menſium excuſſerint, id poſſint viri quatuor, ope currus et duorum equorum praeſtare ſeptimanis tribus aut quatuor. Varii modi has machinas conſtruendi exhibentur. p. 228 p. 242.

10. *Ad hiſtoriam plantarum Sconiae* pertinet ſcriptum Cl. ANDERS. IO. RETZII, chemiam et nat. hiſt. docentis. Anno 1729, impenſis Cl. Archiatri STOBAEI, Sconiam tres Sueci peragrarunt, et inter hos pater Noſtri Cl. NILS RETZIUS. Eorum diaria et collectiones perierunt; Plantas tamen eius regionis conſiderarunt Cell. LECHE, ROSEN, de LINNE; poſt eos nouae ſpecies obſeruatae ſunt, vt iam indigenarum ſpecierum numerentur 900, iis computatis, quae, cum originis ſine dubio exoticae ſint, ita tamen climati adſueuerunt, vt, cum exoſae agricolis ſint, deleri iam non poſſent. Rariorum catalogum ſubiungit, quas vel ipſe collegit, vel accepit a Secretario Regio Cl. IAC. de ENGESTROEM, et Cl. EBBEBRING, Adj. H. N. In quibusdam obſeruauit, p. 243.

 quarum

quarum ſpecimina hic adducenda ſunt 3. *Schoenus* compreſſus S. N. XII. p. 80. in pratis paſcuis iacet, breuis eſt, culmo toto rotundus, ad maris litus duplo maior eſt, erectus, culmo ad radicem triangulari, qui anguli paulatim diminuuntur et euane-
p. 245. ſcunt. 5. *Feſtuca* adſcendens, panicula erecta, ſubramoſa, ſpiculis teretibus anguſtis muticis, caule adſcendente, foliorum vaginis cylindricis. Primo intuitu ad *fluitantem* accedit, ſed differt foliis anguſtioribus et aliis. Caulis ad quadrantem vlnae ſupra terram iacet, deinde erigitur. Glumae florales oblongae, acutae, margine membranaceae, ſubſpadiceae. Panicula vix ramoſa. Culmus infra paniculam ſcaber, teres. Species a nullo Auctorum, quos vidit Noſter, deſcripta. In locis pinguibus
p. 250 et vliginoſis. 40. *Tremella agaricoides* ſtipitata, nigra, inquinans, pileo ſubconuexo. Fungoides quercinum peltatum nigrum DILL. Cat. Giſſ. 190. MUELLERI fungus, glutini coquendo aptus. Act. Ac. Sc. 1762. Trim. ſec. diſſ. 2. communis in fagis, quercubus, alnis, ſecuri inde ab aliquo tempore caeſis. In fagis, ſi lamellas excipias, ad agaricorum faciem propius accedit delineatione Cl. MUELLERI; haec autem delineatio melius congruit illis, quas in quercubus et alnis Noſter reperit. Gluten ex hoc fungo coquere non potuit. Species, quas Noſter exhibet, numero 60 ſunt, omnes ad eas claſſes pertinentes, quarum ſpecimina exhibuimus.

Trimeſtre quartum.

p. 257. 1. *De pinuum cultura* agit *anonymus*. Quas arbores Sueci nominibus *Tall* et *Furu* diſtinguunt,
p. 258. eae ambae Ill. LINNAEO pinus ſunt, et, vt Noſter monet, aetate, loco, in quo creuerunt, ſolum

variant.

variant. Quidam tamen duas diuerſas ſpecies eſſe contendunt, quod refelli poſſe Noſter aſſerit, ſemina vnius huius varietatis ſerendo in terram, vbi altera creſcit. Diſſertatio eius, duobus his nominibus coniunctim inſcripta eſt, pro quibus hic *pinus* dicere liceat. Pinus autem rei metallicae, tum fuſoriae, tum machinis aquariis conſtruendis ita neceſſarias eſſe notat, vt prouidentiae conſilio, vbi metalla fodiuntur, pinus etiam creſcant. Aptiſſima iis vero eſt terra ſicca, ſabuloſa, in qua nihil praeterea creſcat, praeter ericam (*mojord* hanc terram Sueci appellant) alata ſemina, ventis diſperſa, ſub erica tuta deliteſcentes in arbores adoleſcunt; ſi vero erica deſtruatur, quod ſubiacet ſabulum, vento circumagitur, et agros obtegit, terras tunc culturae minus idoneas et inhabitabiles reddens. No- p. 261. ſter cum praedia ſua inuiſeret, magna ſpatia, erica tecta, vidit, nullo ibi reperiundo arbuſculo, etſi vicinae eſſent ſyluae. Scilicet ruſtici falce ericam reſecabant, capita eius molliora pecoribus praebebant, reliqua fimeto, agris ſtercorandis iniiciebant. Quod cum illis prohiberet Noſter, paucis annis in iisdem locis pinus adoleſcere vidit, nulla hominum opera, ſed vento ſatas. Caeterum plurima, quae ad pineta vaſtanda in Suecia fiant, recenſet. Inter haec p. 269. eſt, quod ex eo pinus latere, vbi pix copioſiſſima reſidet, fruſta caedantur, quouſque ſecuris pertingere poteſt. Ex his pix liquida coquitur, reliquum arboris ſtat inutile terrae, et iuniores arbores impediens. Noſter ruſticis ſuis ſuaſit, vt radices pinuum caeſarum effoderent, et ex iis picem coquerent, picis aeque diuitibus ac arbor. Ita ſimul ſolum arboribus liberatur, alias ibi per ſecula duraturis.

2. *Inſecta pinus depopulantia* deſcribit THORB. p. 272. BERGMANN ea occaſione, quod de his inſectis

conqueſtus erat Auctor ſcripti praecedentis, quem *Excellentiae* titulo honorat Noſter. Sunt haec inſecta, laruae tenthredinum, *erucae falſae.* Populum illarum, 134 conſtantem, in vnico ramo reperit Noſter, ipſas vero, et tenthredines deſcribit, et deinde alias, in paucis diuerſas. Neutra harum ſpecierum in ſyſtematibus occurrit. Nullum hactenus innotuit contra illas remedium, niſi vt greges illarum deſtruerentur, quod tamen valde operoſum eſſet.

p. 277. 3. *Calore, qui a furnis, vbi ferrum, malleis maioribus formandum, liquatur, quomodo vtendum ſit, ad hordeum cereuiſiae coquendae ſiccandum* deſcribit P. WAESTROEM. Res ipſa ad opus ferrarium Leufſtadenſe peragitur. Anno 1766, ob oſtenſum ſimilem modum, eosdem furnos ad frumentum ſiccandum adhibendi, numo aureo ab Ac. Reg. donatus eſt.

p. 283. 4. *Lapides et mineras ingeſto puluere pyrio disiiciendi methodos* emendat SAMUEL SANDEL Conſil Metall. Nihil fere de ipſa pulueris pyrii ingeſtione, ſed multa de terebris, quibus foramen ingerendo pulueri excauatur; illorum ſtructuram, et methodos iis vtendi, emendat, quantumque praeſtet haec emendatio, experimentis, iuxta illam inſtitutis, cum antiquiore methodo collatis, oſtendit, multa docens, quae maximi momenti ſunt in re metallica, et lapidibus ad vſum architectonicum obtinendis.

p. 311. 5. *Animaduerſiones ad diſſertationem praecedentem* edit SVEN RINMAN, quibus varia eius contenta tum probat, tum illuſtrat.

p. 315. 6. *Erucam, quae ſecale, quod vere ſeritur, vaſtat,* deſcribit PETR. OSBECK. Magnum ab illa

damnum

damnum contigit agris Hallandiae auſtralis 1768. Prope terram moratur et morſu culmos ad primum a terra nodum abſcindit, vt, velut falce reſecti, concidant. Sub finem iulii in chryſalides abeunt, ex quibus excluduntur phalenae, proxime ad illam ſpeciem accedentes, quam Ill. LINNAEUS *noctuam nictitantem* vocat; imo adſeuerauit Ill. LINNAEUS, eſſe illam ſpeciem, Noſter vero ſubdubitare videtur, inprimis, quia phalaena noctua nictitans in ſylvis habitat, huius eruca non niſi ſecalis culmos adgreditur, non hordeum, non herbas, in agris circumſtantes. In humidis agris, item bene ſtercoratis, non vidit; neque ſecale, ante hyemem praecedentem ſatum, adgreditur. Vnde videtur eius augmentum impediri poſſe, ſi ſecale vernum, quam primum fieri poteſt, ſeratur, vt egreſſae ex ouulis erucae adultiores iam culmos, et adeo duriores offendant.

7. *De crinium et metallorum fuſorum electricitate*, agit Cl. I. C. WILKE. Crines, *diu a corpore ſeparati*, *poſitiue* electricum reddunt tubum vitreum, ſiue tubus ſecundum longitudinem ſuam illis fricetur, ſiue transuerſim crinibus, velut in penicillum colligatis et bacillo adfixis, flagelletur; *Viui* vero crines, aut ante breue tempus a corpore ſeparati, ſi ſecundum ſuam longitudinem fricent tubum, vt, ſi tubus per crines, a capite pendentes, ducatur, aut, iuxta crinium directionem, ſupra dorſum felis vel canis: item, ſi crinium recentium penicillo, vt dictum eſt, flagelletur tubus, *negatiuam* electricitatem in tubo producunt, ſaepe ſatis fortem; ſi vero transuerſo crines hi fricentur, vt, ſi velut annulo ex iis ope forcipis, quae extrema crinium coniuncta tenet, facto, hic annulus per tubi longitudinem ducatur, aut tubus per transuerſum dorſi animalis

p. 319.

p. 321.

malis ducatur, *poſitiua* fit electricitas. Hinc colligit Noſter, viuos crines vi electrica proxime ad vitrum accedere, cum viuorum crinium pars quaeuis ſupra totam crinis longitudinem ducitur, vitrum plus fricari, quam crines; minus vero crinibus per eius tranſuerſum ductis, ab hac frictione fortiore vel debiliore calorum in vitro et crinibus differentiam naſci, et inde differentiam electricitatum. Viuos vero crines paulo alios effectus edere, inprimis ob
p. 322. pinguedinem, quam continent. Cum enim penicillo ex crinibus, recenter reſectis, tubum flagellaret, tubus vehementer *negatiue* electricus factus eſt, ſuperficies autem eius, quae pura erat, ſpecularis, tenui pinguedine obducta. Qua deterſa, et tubo, vna cum crinibus furno impoſito, poſt 14 dies, repetito experimento, minus *negatiue* electricus repertus eſt tubus, et minus pinguis. Deinde nulla electricitas potuit excitari. Elapſis ſeptimanis, crines hos Cl. Auctor paulo pinguedinis infecit, tunc flagellatus tubus *negatiue* electricus factus eſt, et pinguedine obductus. Eluta ex penicillo pinguedine, tubus *poſitiue* electricus factus.

p. 324. De metalli fuſi electricitate haec expertus eſt: Patinae vitreae impoſuit filum ferreum incuruatum, ei circumfudit plumbum, ſtannum, zincum thaleri magnitudine. Cum conſiſtit metallum liquatum, filo ſericeo ferreum ſuſtulit cum metallo appendente, id etim ſequitur patina. Quae omnia cum coniuncta dependent, nulla obſeruatur electricitas; cum decidit patina pondere proprio, aut leui ictu cylindri vitrei, viuax apparet electricitas, *negatiua* in metallo, *poſitiua* in vitro. Coniuncto rurſus metallo patinae, euaneſcit electricitas, ſeparata corpora diu retinent, quodlibet ſuam. Tactum metallum ſuam amittit, ſed patinae rurſus impoſitum, et ibi tactum, recuperat.

8. *Hiſtoriam*

8. *Hiſtoriam luis bouinae, quae anno 1769 in Belgio graſſata eſt*, Academiae, latino ſermone, miſit Cl. ED. SANDIFORT M. D. et Hagae Polyater.

Contagium inter armenta, quod ita per Hollandiam graſſabatur, vt eorum 63281 ab initio aprilis ad finem vſque ſeptembris 1760 perierint, hic a Cl. Auctore proponitur. Infectio ſeſe prodit ex ſeparatione pecorum ab aliis, perpetuo iacentium, aliqua appetitus proſtratione, anxio et vago aſpectu, oculis vehementer rubicundis ac tumentibus. Morbo tum exaſperato, plane nihil deuorant nec ruminant, debilitas aucta, cornua, aures ac pedes mox calida, mox frigida deprehenduntur cum faucium ſiccitate. Dentibus ſtrident, flatus ventris iis ſunt moleſti, vrina impeditur et aluus eſt obſtructa, qua aperta, excrementa, ſint dura, ſint mollia, male foetent. Sitis primis tribus diebus inſatiabilis, nec caput erigere poſſunt, nec aures, neque vllum edunt ſonum. Tuſſis fortior ac debilior, prout pulmones ſunt affecti. Bulbi oculorum tunicae externae tument ac prominent atque oculi, omnino inflammati, admodum rubent. Ex cantho interno effluit materia purulenta, et, morbo ingraueſcente, lacrymae copioſae. In ore confluit, et ex naribus, aquae purae ſimilis, effluit liquor, qui vtrinque tertio morbi die tenacior, mucoſior, et pure mixtus cernitur, nec ab illis lambitur. Reſpiratio eſt anxia cum inſigni rhoncho, et iacent delaſſati, caput interdum extendentes, interdum verſus thoracem prementes, qui tumet atque ita expanſus eſt in tympani modum, vt cutis prorſus ſeceſſiſſe videatur. Die quarto, quinto et ſexto dyſenteria cruenta cum ſummo foetore, ac teneſmo in plerisque apparet. Vrina non libere fluit, et genitalia in vaccis externe tument, et plerumque inter morbum abortiunt. Lactis ſecretio valde imminuitur, quod odorem ſpargit

git ſingularem, et, ſummo morbi gradu, inter coquendum coagulatur. Pereunt intra viginti quatuor horas, quarto, quinto ſeptimum vſque diem.

p. 327. Ex ſectionibus haec habeto: aqua plerumque in calua; dura mater raro, pia ſemper propemodum inflammata eſt. Tunica pituitaria inflammata ac gangraenoſa, in ore ac faucibus puſtulae aphthoſae, quas alii veſicas albas appellare videntur, lingua viſcido viridi eſt obducta. Dentes plerisque vacillabant. Aſpera arteria tota inflammata, maculis gangraenoſis et ſputo cruento quaſi obſeſſa. Pectus et abdomen in ſe liquorem rubicundum interdum continebant. Pulmones in plerisque inflammati, in aliis gangraenoſi, ac interdum ſphacelo iam prorſus corrupti, vna vice vomicis impleti. Cor in paucis erat inflammatum, in multis permagnum. Reliquae thoracis partes plus minusue inflammatae. Maiorem inflammationis gradum habebant peritoneum, omentum, meſenterium, rumen; minorem omaſus ſaepe ſphacelum, abomaſo fortiter inflammato. In his ventriculis indigeſta mox ſicca, mox humida, ſeu alii liquores conſpiciebantur. Pylorum vna vice Noſter ita inflammatum, ac, a liquore contento, ſic expanſum inuenit, vt diſrumpere totum cauum videretur. Inteſtina plus minusue inflammata erant ac tenuia talem ruborem prodebant, qualem anatomice cera repleta, ſaepe quoque gangraenoſa. Inteſtinum rectum gangraena affectum, pure interdum abundabat, quorum internae tunicae interdum facile, interdum paulo difficilius ſeparari poterat, prout cito, ſeu ſero aperirentur. Idem valet de veſica vrinaria ac fellea. Hepar interdum ſanum, interdum pallidis maculis inſperſum. Veſicula fellea plerumque ampla, et foetente tenui bile ad rumpendum vſque ſcatens, faſciolisque multis, ibi natantibus. Splen abſumtus, renes interdum

ſani

ſani, interdum, tumentes et inflammati. Veſica vrina ſcatebat plerumque, interdum contracta erat ac inflammata. Vterus bene ſeſe habebat, vagina vteri non grauidi, ſummopere conſtricta. Caro laxa, nec ita rubra, vti debet. Pauperes eo veſci ſine vllo detrimento Noſter; Cl. VEERMANN autem taedium, ac diarrhoeam inde natam obſeruauit.

Bona inter ſigna refert Noſter, ſi ſeptimum p. 330.
diem ſuperuiuunt, ſymptomata, ſupra commemorata, ſubinde ceſſant, quod plerumque fit, dein excretio muci ex naribus et ore ſi durat. Nec veſicas in regione inguinali ſemper adeo timendas eſſe, Noſter notauit. Porro. ſi pedes primum frigent, et tertio die naturalem acquirunt calorem. Quod ſi vero hoc non ſuccedit, praetereaque ſymptomata non ſolum manent, ſed etiam grauiora fiunt, mala ſigna haec iudicat.

Hunc morbum contagioſum nominat Noſter p. 331.
febrem inflammatoriam putridam, quae pectus ac abdomen potiſſimum male afficit. Ad eam arcendam ea remedia proponit, quae inflammationi officiunt, et humores ad putredini reſiſtendum adaptant, nec non, quae primas vias purgant, inprimis ſale cathartico, vel clyſmatibus, ex aqua melle ac nitro paratis. Morbo vero iam praeſente, iisdem remediis addit ea, quae vires vitales ſuſtentant, atque ſymptomata vrgentia compeſcunt. Notamus ex remediis propoſitis praeter conſueta antiphlogiſtica ac antiputrida, lac ebutyratum cum melle et ſale communi. Vires vitales aqua cum pane cocta, ſunt conſeruandae. Setacea nihil profuerunt. Cortex Peruuianus et ſalicis cum oleo vitrioli vtilis fuit.

Quod ad pericula attinet contagii transferendi p. 333.
in pecora, quamquam accurate maximam partem

ſunt

ſunt collecta, tamen, cum nimis longi partim fue-
rimus, partim plura a nobis iam tradita ſunt *),
mittimus.

p. 339. 9. *De peſtis bouinae inoculatione dubia* edit Cl.
PETR. ION. BERGIUS. Peſtem hanc, omnibus
iudiciis, monet magis pertinere ad malignos mor-
bos, quam ad exanthematicos, perſimilem videri
peſti, humanum genus vaſtanti, quae, cum idem
indiuiduum ſaepius adoriatur, idem de bouina peſte
veroſimile eſſe, itaque nihil prodeſſe inoculationem.
Neque, qui eam peregerunt, teſtari, leuiorem inde
p. 342. morbum fieri, quam naturali contagio, Cl. CAM-
PERUM Groningae ex inoculatis 112 ſeruaſſe tan-
tum 45; Cl. VAN D'OEVEREN 21 ex 33. ſed ha-
rum conſeruationem minus forte tribuendam eſſe
inoculationi, quam remediis adhibitis, et curae ha-
p. 343. bitae. Itaque non conſuli poſſe inoculationem,
non in loco, vbi iam eſt peſtis, cum ibi incertum
ſit, an animali morbus operatione conferatur, an
illum ante iam habuerit; non in loco, vbi nondum
graſſatur, cum ea occaſione vis morbi poſſit
extendi.

*) vid. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 279. p. 553. Vol.
XVI. p. 587. Vol. XVII. p. 164. p. 542.

II.

IOSEPH IACOB PLENCK *Sammlung von Beobachtungen über einige Gegenſtände der Wundarzneykunſt. Zweyter Theil. Wien, zu finden bey Rudolph Gräffer, 1770. 8. m. 3 K. 244 Seit.*

i. e.

IOSEPH IACOB PLENCK collectio obſeruationum, chirurgiam ſpectantium Pars II.

Continet profecto haec altera pars in hoc opere continuato, cuius primam partem ſimul cum inſtituti ratione alio tempore breuiter tradidimus *) multas lectu dignas et ſcitu neceſſarias chirurgicas obſeruationes, quarum nonnullae quoque iconibus illuſtrantur, et Cl. LEBERO potiſſimum debentur.

1. *De obſeruationibus, diuerſitatem aneuryſmatum concernentibus.* Tota haec tractatio ſecundum diuiſionem aneuryſmatum, in verum, ſpurium et pulſantem varicem, quae aneuryſmatica vocari poteſt, a Cl. PLENCK in nouo tumorum ſyſtemate **) propoſitam, tribus ſectionibus abſoluitur. p. 7.

Ac primum quidem de veris aneuryſmatibus agitur. Orta ſunt haec aneuryſmata plurima quaeque poſt venaeſectionem, quaedam poſt contuſionem, plurima per compreſſionem, nonnulla operatione curata ſunt. In operatione aneuryſmatis in arteria temporali, nec faſcia tortili, nec ligatura extremitatum arteriae vſus eſt Cl. LEBER. Compreſſio ſubinde eſt intendenda, ac, praeter compreſſionem

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 429.
**) Vienn. 1767. 8. p. 143. vid. comm. noſtr. ſecund. decad. ſuppl. I. p. 58.

nem aneuryſmatis, ſuadetur, partem ſuperiorem arteriae compreſſoriis ſpleniis ac faſcia circumdare, vt ſanguinis influxus in aneuryſma retardetur ac infirmetur. Grauidae rumpebat aneuryſma in brachio et, operatione facta, poſt tres dies feliciter parturiebat, ac, duobus menſibus praeterlapſis, ſanitati prorſus eſt reſtituta.

p. 22. Quod ad ſpuria aneuryſmata attinet, ea, quae Ill. HAEN *) propoſuit, atque in actis Pariſienſibus **) et Londinenſibus ***) commentariis ſunt collecta, cum iam a nobis ſint excerpta, mittimus. Reliquas obſeruationes, a Cl. LEBERO accepit Noſter, cuius inſtrumenta in icone ſiſtuntur, quae ad aneuryſma operandum adhibuit.

p. 53. 2. *De methodo ſanguinem extrauaſatum ex pectoris cauitate ſugendi.* Cum non ſolum ſanguis, ſed et pus, ſerum, aer et varii omnino peregrini humores in pectoris cauitate colligantur, nec per vulnus, commodiſſimus quoque ſi accedat aegri ſitus, emanari poſſint, iam diu de inſtrumento quodam, ad hunc vſum idoneo, cogitatum eſt, et nonnulla quoque a SCULTETO, ANELLIO et LUDWIGIO †) quae vero ſine ore chirurgi adhiberi nequeunt, inventa ſunt. Quapropter deſcribitur, et in icone exhibetur a Cl. LEBERO eiusmodi inſtrumentum, quod facile in pectoris cauitatem immitti, nec pondere, nec aliis incommodis moleſtum, et, quod optimum eſt, ſine ore chirurgi adhiberi poteſt, nec antequam

*) rat. med. P. VII. p. 3. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 433 ſeqq.

**) mémoir. de l'academ. roy. de Chirurgie Tom. ſecond. p. 535. comm. noſtr. Vol. III. p. 615.

***) medical obſeruations and inquiries by a ſociety of phyſicians in London. Vol. II. et III. vid. comment. noſtr. P. XII. p. 464. P. XVI. p. 131 ſeqq.

†) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 508.

tequam chirurgo videatur, extrahi debet. Quoniam vero praeuidemus, in eo deſcribendo ſine icone obſcuritatem non euitari poſſe, vlteriori eius deſcriptione ſuperſedebimus.

3. *Obſeruatio de vulnere arteriae intercoſtalis.* p. 69. Cum hoc vulnus alias in medicina forenſi, plerumque abſolute letale habeatur, haec obſeruatio eo dignior notatu eſt. Ad arteriam comprimendam, cum ligatura a nonnullis reiiciatur, ferramentum et machina *) a Cl. BELLOQ inuenta eſt. Cl. LEBER autem deligationem arteriae feliciſſimo cum ſucceſſu ita praeſtitit, vt, vulnere iniecto ex aduerſo vulneris iam inflicti, flexili et catheteris in modum incuruato inſtrumento, et apice foramine pertuſo, filum latum et puluillo inſtructum introduceret, atque illo circa coſtam ſimul cum puluillo, ibi applicato, vbi vulnerata eſt arteria, ea ligari poſſet. Quo facto haemorrhagia ſedabatur; ſanguis, in cauitatem pectoris extrauaſatus, ſubinde emanabat, et, decem diebus praeterlapſis, aeger penitus ſanatus eſt. Inſtrumentum hoc delineatum eſt in tabula ſecunda, inſimulque acus incuruata, foramine inſtructa, cum ſcalpello.

4) *Epiſtola* IOANNIS ALEXANDRI BRAMBILLAE *ad Auctores Eſtratto della letteratura Europea* **), *in qua nouum inſtrumentum, ad fiſtulam ani curandam, proponitur.* p. 77. Hoc hic iterum eſt delineatum. Quod quidem cum ſine icone aegre poſſit deſcri-

*) vid. mém. de l'acad. roy. de chirurg. Tom. II. à Paris p. 95. tab. I. p. 125. Tab. IV. comment. noſtr. Vol. III. p. 587.

**) v. per l'anno 1767. Tom. III.

deſcribi, ac praeterea nimis compoſitum, ideoque minus congruum nobis videatur, mittimus.

p. 91. 5. *Diſquiſitio vſitatiſſimarum methodorum mercurium lue venerea laborantibus exhibendi* a Cl. CH. Variae res, quae antiquitatem huius miaſmatis concernunt, ac eius comparationem cum iudaeorum elephantiaſi, vtriusque ſymptomata communia, praemittuntur. Elephantiaſin iudaeorum et luem veneream inter ſe confert Cl. Auctor ideo, quod elephantiaſis ceſſauit, lue venerea graſſante: porro, quod elephantiaſis mercurio, et ipſa inunctione mercuriali curata eſt ab Anglicis chirurgis. Quae omnia ex ſcriptoribus variis probantur.

p. 109. Tum diſquirit Noſter, num inunctio, an internus vſus mercurii ſit praeferendus? Anteponit autem inunctioni internum mercurii vſum, quoniam hydrargyrum viuum per inunctionem immediate in corporis vaſa infricatur, humores corporis reſoluit, et ad inteſtina deducit, et quoniam tandem Cl. Auctor neminem per frictionem mercurialem a lue venerea liberatum, et penitus reſtitutum vidit. Inter methodos mercurium interne adhibendi quamquam mixturam Swietenianam non reiicit, quin imo laudat, et eius efficaciam huius mali inprimis compeſcendi, obſeruationibus additis, demonſtrat, tamen illi pariter, ac omnibus omnino reliquis methodis mercurium interne aegris propinandi praefert illam methodum, quae a Cl. PLENCKIO magna cum ſtudii aſſiduitate inuenta ac nuper ab Eo publici iuris eſt facta *). Combinatur nimirum mercurius cum gummi Arabico trituratione accurata et diuturna ita, vt globuli mercurii penitus diſpareant, nec, quiete etiam accedente, iterum appareant **).

Egregie

*) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 326.

**) ibid.

Egregie hoc medicamentum conducere ad luem venéream compeſcendam ſine ſaliuatione et tum, cum antea mercurialia ſunt adhibita, probat Noſter nonnullis obſeruationibus, hiſque addit Cl. HERTZOGII obſeruationes, quae in diſſertatione *) eius inaugurali ſunt collectae, et efficaciam huius medicamenti produnt, inſimulque varia, de forma huius medicamenti, vbi pilulas reliquis praefert, et de quantitate gummi arabici, proponit.

6. *Obſeruationes de tetano, a vulneribus profecto.* p. 148.
Sex HIPPOCRATIS obſeruationes, tetanum concernentes, quaedam de tetano, a Cl. PLENCKIO collectae, ſequuntur. Nimirum poſt vulnera articulorum, poſt amputationem extremitatis inferioris ſuper genu, poſt vulnus faciei contuſum, poſt ligaturam vaſorum ſpermaticorum. Ex his aegris, quorum numerus eſt vndecim, duo vitae ſunt reſtituti. His iunguntur obſeruationes SYLVESTRI CLEPHANE, CHARLESWHITE, HOOCK, BAION et WAGNER.

Ex his tetani obſeruationibus annotationes de natura, cauſſis et cura huius mali deriuantur. p. 194.
Quod ad naturam attinet, tetanum eſſe ſpaſticam contractionem omnium, interdum et ſingulorum muſculorum corporis humani, ideoque in vniuerſalem et particularem diſpeſci debere, Noſter arbitratur. Variis nominibus e. c. riſus ſardonius, epiſthotonus etc. miſſis, inter cauſſas, hoc malum efficientes, refert Cl. Auctor non raro nerui cuiusdam laeſionem; ſpaſmorum autem proximam cauſſam cerni retur in aucta fibrae muſcularis irritabilitate. Porro oriuntur hae ſpaſticae contractiones a neruo ex parte laeſo, vehementer et diu tenſo, nimis firmiter ligato, ſeu cauſtico remedio tacto. Nec minus

*) Quae prodiit Helmſtad. 1768. 4.

conducit ad tetanum frigus nocturnum, calidus, putridus et maritimus aer.

p. 209. Quibus cauſſis per exempla declaratis ac probatis, curationem quaerit Noſter, vel in cauſſa, quae neruum irritat, remouenda, vel in effectibus arcendis et coercendis, quos irritatus neruus prodit. Ad hoc efficiendum pertinet diſſectio omnino laeſi, ſeu ex parte laeſi nerui, nimis ligati nerui relaxatio, laeſi membri amputatio, balneum tepidum emolliens, ex aqua ſeu oleo, opium, moſchus, cortex Peruuianus, oleum terebinthinae ſeu balſamus Peruuianus, venaeſectio, corporis ligatura et vſtio loci vulnerati in tranſactionibus philoſophicis *), praeterea electricitas ſuadetur. Opium et moſchus, nec non cortex Peruuianus, inprimis proſunt. Venaeſectio raro videtur Noſtro ſumme neceſſaria; reliqua ceterum antiſpaſmodica, veſicatoria laxantiaque nihil praeſtare in tetano aſſerit, nec minus reiicit inſtrumentum, pro tetano maxillae inferioris inuentum.

7. *De vſu ſpiritus vini in morbis chirurgicis.* Cum
p. 223. huius remedii vſum Cl. PLENCK in materia chirurgica, ab eo edita, vberius declaret, nonnulla tantum hic de vſu atque abuſu huius remedii diſputat. Vtilem nimirum illum iudicat in haemorrhagiis, nimia ſuppuratione in gangraena humida, carie, ſpina ventoſa, in laxitate ligamentorum, luxationibus, in variis prolapſubus etc. E contrario noxius ille eſt in inflammationibus, ſcirrhis, aduſtis, in vulneribus ſclopetorum, cerebri etc.

*) Vol. LIII. p. 10. et LVII. p. 88. v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 661. Vol. XVI. p. 261.

III.

III.

Flora Sibirica, ſeu hiſtoria Plantarum Sibiriae Tomus III. Auctore D. IOH. GEORG. GMELINO, Editore D. SAM. GOTTLIEB GMELINO, Academ. Scientiar. Petropol. Membr. ord. Petropoli, ex typ. acad. ſcient. 1768. 4 mai. alph. 1 pl. 13. tab. aen. 67. et Tomus IV. ibid. 1768. alph. 1. pl. 4. tab. aen. 83.

Beatum GMELINUM in diſquirendis, examinandis, et deſcriptionibus et figuris illuſtrandis Sibirici regni plantis, ſingularem induſtriam et ſtudium adhibuiſſe, occaſione Tom. I. et II. huius florae *) abunde cognouimus, ibidemque ea omnia, quae ad praeſtantiſſimum hoc opus ſpectant, illudque botanicis gratiſſimum reddunt, expoſuimus, vt nunc ea modo annotare debeamus, quae in continuatione, duobus ſcilicet his voluminibus continentur, et diu deſiderati, nec dum ad vmbilicum perducti operis fata concernunt. Sunt duo indicati Tomi poſthumi; tres autem claſſes tertii Tomi, *incompletas*, *fructifloras* et *calycifloras* Ipſe, dum vixerat, penitus elaborauit, elaboratasque ante viginti fere annos Tubingae Academiae Petropolitanae miſit b. Auctor; aſt variis ex cauſis tenebris ſepultum iacuit hoc volumen, vſque dum Petropolin vocato alteri GMELINO tradebatur. Hic in manuſcripto patrui ſui nihil mutauit, modo recentiori ſynonymia auxit, et varia e publico Academiae theſauro herbario, in quo induſtria STELLERIANA emicat, addidit, eadem autem, ſigno adhibito, ſollicite ſeparauit. Ita vero plantis Sibiricis intentus Cl. Editor, omnem ſenſim floram elaborauit, et Tom. III.

 Rin-

*) vid. comm. noſtr. Vol. II. p. 267.

Ringentes, *Siliquoſas* et *Columniferas* adpoſuit; in Tomo IV. autem *Leguminoſas*, *Oligantheras*, *Diploſantheras* et *Polyantheras* exhibuit. Has ergo plantas, poſterioribus ordinibus comprehenſas, et ſecundum viua, quae hortus alit, et ſecundum ſicca examinauit ſpecimina, conſulendo Patrui codices manuſcriptos, et indices, *Lenenſem*, *Ircutienſem*, *Ieniſeenſem*, *Transbaicalenſem*. Licet itaque duo nunc ſint huius florae Auctores, ſibi tamen vbique ſimile eſt opus, plantaeque ad normam Patrui et ordinatae, et deſcriptae, et definitae, et figuris illuſtratae ſunt a ſucceſſore; id modo non reticendum, vti Editor Ipſe monuit, parcius ſalutares et oeconomicos plantarum vſus in poſterioribus claſſibus enarratos, attamen non prorſus neglectos fuiſſe. Reſtant vegetabilia *Cryptanthera*, his deſtinauit quintum et vltimum Tomum, cui appendicis loco, ſingulare florae Sibiricae ornamentum, ſcilicet fluuiorum, cryptarum, montium et, quae ad reliquam huius regni hiſtoriam naturalem ſpectant, notitiam, omiſſis tamen animalibus, adiungere velle promiſit. Quae, cum nonniſi gratiſſima eſſe debeant omnibus, eo ardentius exoptamus, vt ex itinere, quod inſtituit, orientali ſaluus redeat, et in eodem collectos theſauros publici iuris facere poſſit.

His praemiſſis, nunc ea, quae in his Tomis praecipue memoratu digna nobis viſa fuerunt, recenſeamus, et primo loco plantas, ſingulari vſu celebratas, commemoremus. *Daphnes mezerei* baccis (T. III. p. 27.) ſexus ſequior in Ruſſia genas perfricare et rubentem tumidulamque faciem ſibi conciliare ſolet. Equis radix medicinam praeſtat, quando pedes ipſis intumeſcunt, particula eius, loco ſetacei, in ſumma pectoris parte applicata et quotidie loco mota, donec

nec tumor euaneſcat. Quae de virtute *Stellerae*, p. 28.
Chamaejaſme dictae, olim ſcripſerat Cl. Auctor, ea, vlterioribus experimentis certior factus, nunc iterum tractauit, monuitque, radicem eius inter ſumme draſtica medicamenta collocandam, et vix duodecim grana robuſto aliarum regionum homini danda eſſe, ſurſum enim et deorſum purgat. Sibiricorum autem ventriculus ad drachmam dimidiam et duos ſcrupulos perfert. *Polygoni, biſtorta* dicti, varie- p. 41.
tatem notauit et delineauit foliis vtrimque viridibus, minus acuminatis, ſpica habiliore, eiusque radicem, non adſtringentem, ſed inſtar auellanarum domeſticarum dulcem ſaporem habere, easque ſaepe vel integros dies, et ad ſatietatem vſque ſe comediſſe, STELLERUS retulit. Etiam vulgaris plantae radicem Ruſſi non ſolum ad gonorrhoeam, et alui fluxum ſiſtendum, ſed et ad ventris tormina mitiganda adhibere ſolent. Tunguſorum et aliorum populorum quotidianus quoque et gratiſſimus eſt cibus, et apud eosdem tantam famam accepit, vt, hoc ferculo appoſito, quilibet iudicaret, quod hoſpiti eſſet acceptiſſimus. *Polygoni* quoque *viuipari* radix ſiccata, contuſa, et cum lacte cocta cibum eximium praeſtat.
Perſicaria anguſtifolia C. BAUH. quam a *Polygono* p. 49.
perſicaria LINN. ſeparauit, et *polygonum ſpicis interruptis rariſſimis, foliis ex lineari lanceolatis ſeminibus obtuſe triangulis, vaginis ciliatis*, dixit Auctor, incolis Aſtrachanenſibus in ſingulari anginae ſpecie, quae cum aphtis coniuncta eſt, et ſaepe contagioſa fit, familiaris medicina exiſtit, dum herba ſiccata et contrita, vel cum aromatibus, vel cum vitriolo de Cypro et alumine vſto, et anguriarum viridium cortice permiſcetur, huiusque pulueris particula, ope fiſtulae, ori inflatur, aut cum melle miſta partibus dolentibus illinitur. *Valeriana officinalis* Sibiriae in- p. 121.
colis propter virtutem antepilepticam celebrata eſt.

p. 128. De *Linnaea boreali* ſcripſit: „ſpecificam eius virtu-
tem in arthriticis et rheumaticis doloribus ſaepe
tentantes, quum Petropoli verſaremur, de ea con-
vinci non potuimus, quod inviti, ex rei tamen ve-
ritate, denunciamus.„ Ex ligno *Lonicerae*, *Xylo-*
p. 129. *ſteum* dictae, in Ruſſia oleum per deſcenſum paratur
nigrum et ponderoſum, eoque tumores frigidi in-
vnguntur bono ſucceſſu, itemque interne ſumitur,
contra quaſcunque ſanguinis impuritates, in variis
p. 146. luis ſymptomatibus, ſcorbuto et ſcabie. *Vaccinii
oxycocci* baccae, tartari loco, ad coctionem albam
argenti per omnem Ruſſiam, bono euentu, adhi-
p. 146. bentur. *Viburni opuli* fructus non ſolum edules
ſunt, ſed et inebriante forſan virtute pollent, vt ex
curioſo, hic relato, experimento, patet. Baccae
ſcilicet maturae ollae iniiciuntur, et ſacchari ſpiritus-
que frumenti quantitas additur, olla opercula clauditur
et in clibano calefacto reponitur, donec baccarum co-
lor in ſpiritum tranſierit; baccae hinc candidiſſimae
adparent et ſpiritus, omni odore ac ſapore deſtitutus,
aquae vulgari ſimillimus eſt, aſt virtute valde ine-
p. 149. briante praeditus. *Campanulae liliifoliae* radix verno
tempore ſucculenta et dulcis eſt, incolisque gentilibus,
vt et Muhamedanis Sibiriae tum cruda, tum cocta,
eſcam praebet gratiſſimam, eamque napi radicis in-
ſtar coctam, hac ſapidiorem eſſe, propria experien-
p. 242. tia confirmauit Cl. GMELINUS. *Lauendula foliis
ouatis*, *ſaepe lobatis* noua eſt ſpecies, forte *Betoni-
cae ſibirienſis* nomine in WALTHERI horto deli-
neata, odore mentham refert, eiusque flores et fo-
lia Ircutienſes cum ſpiritu frumenti infundere, ad
ſolem digerere, inque balneis fornacum lapidibus
candentibus ſuperinfundere ſolent, et ſudanti hoc
in balneo, febre tertiana laboranti, certum auxi-
lium pollicentur. Etiam in forma decocti ad go-
norrhoeam, fluxumque album mulierum commenda-
tur.

tur. *Geranii pratenſis* frequens eſt vſus in preſſio- P. 274.
nibus ventriculi pectorisque anguſtiis, forma decocti T. IV.
hauſti. *Glycirrhizae* non *glabrae*, ſed *echinatae* radi- P. 32.
ces ad Volgam effodi, ac ex eadem in pharmacopo-
lio Aſtrachanenſi ſuccum tanta copia parari, quanta
pro omni imperio Ruthenico ſufficiat, LERCHIUS P. 73.
retulit. *Myoſotis ſcorpioides* multi vſus eſt in quouis
obſcuro morborum genere, inprimis in ſymptoma-
tibus luis venereae. *Androſace ſeptentrionalis* et in P. 81.
variis pecorum morbis, et eius decoctum in gonor-
rhoea, alboque fluore adhibetur. *Parnaſſiae paluſtris* P. 91.
decocto in ſtranguria et calculo vtuntur; *Verbaſci nigri* P. 92.
flores non ſolum recentes, tritosque vulneri recenti
imponere, oleique cocti virtutem vulnerariam extol-
lere, ſed et in epilepſia infantum plantam adhibere ſo-
lent incolae. *Hyoſcyami nigri* radices, folia et flores bal- P. 93.
neorum fornacibus ſuperiniiciunt, aut propter iocum,
aut alias rationes, quo lauantes in balneo in ſoporem
aut veſaniam ludicram coniiciant. Puluere plantae,
in dentes carioſos inſperſo, contra dolores eorum
vtuntur Rutheni. *Solani dulcamarae* herbam et bac- P. 94.
cas, immaturas maturasque conſcindunt, et pabulo
equorum immiſcent, vt eos contra bubones conſer-
vent, vel has maturent purificentque. *Polemonii*
coerulei puluerem in vlceribus, a lue venerea ortis, P. 103.
inſpergunt, vt et, ab eadem dolentibus partibus,
cataplaſma inde paratum imponunt. *Andromeda*, P. 123.
quaedam, quae forte cum *Rhododendro pontico* con-
venit, a venatoribus, et glaciei mariae foſſoribus
multum aeſtimatur; dum enim illi labore ſuo facile
delaſſantur, et a perpetuo inacceſſibilium fere mon-
tium aſcenſu, in genubus praeſertim, grauiſſimos do-
lores patiuntur, laſſitudine et doloribus potu decocti
foliorum huius fruticis, per duos vel tres dies con-
tinuato, medentur, multumque inde ſe dormire et
quaſi inebriari, ſed breui ad labores ſuſtinendos

 aptiſſimos

aptiſſimos inde ſe euadere, perhibent. Ratione loci
et climatis huius plantae vires multum variare ſo-
lent. In Beringii inſula epota et decocta nec phan-
taſias excitat, vt ad Baical, nec catharcticam effica-
ciam oſtendit, vt ad Lenam, potores vero ſuffoca-
tionis periculum experti fuerunt, aſt aliquot horis
elapſis, bene rurſus ſeſe habuerunt. *Saxifraga bron-*
chialis a LINNAEO forte dicta fuit, quia incolae
p. 167. Sibirici eius decocto in pleuritide et angina vtun-
tur. *Saxifragae craſſifoliae* folia emarcida ſuperioris
aut tertii anni, colore ſuo orbata, coriacea, fuſca,
a frigore et niue mitiora reddita, inſeruiunt loco
p. 189. Theae ſinenſis Ruthenis, potumque commendant
alui profluuio laborantibus. *Aconiti Lycoctoni* radi-
cem in cuiuscunque generis morbis incognitis, in-
primis epilepſia, et lue venerea, ac vbicunque magni-
tudo morbi generoſum remedium requirit, eiusque
decoctum in debilitate ventriculi commendant. *Trol-*
p. 190. *lii Europaei* quoque radicem, in morbis obſcuris et
p. 199. contumacioribus laudant. *Anemones nemoroſae* au-
tem radicem et folia pro deleteriis habent, come-
dentibus enim maximas pectoris anguſtias creant et
triginta plantae, absque radicibus deuoratae, ho-
minem robuſtum iugulare valent.

Notemus porro ea, quae genera concernunt, horumque characteres vel limitant, vel confirmant. Genus, a LINNAEO forte propter obtuſas et non pungentes ramorum extremitates, *Axyris* dictum, difficulter ratione characteris diſquiritur; et in *ceratoide* GMELINUS, oculis etiam armatis, nil certi cognoſcere, et STELLERUS nihil quidquam ſeminum, ſed tria tantum ſtamina in ſingulis floribus videre potuerant. Attamen et *Chenopodium ſcopariam* huius generis forte ſpeciem eſſe monuit, et in *ceratoide* in foliorum alis glomeres candidorum

pilorum

pilorum, et inter eos tria perpetuo ſubrotunda compreſſa ſemina, et ad ſingulum ſemen duo hirſuta, ac in cornua veluti deſinentia folia: praeterea ſpiculas ex luteo palleſcentes, ſteriles, obſeruauit, aſt de vltimarum ſtructura nihil diſtincti cognoſcere, et in feminis nihil, niſi ſemen maturum obſeruare licuit. *Axyris amaranthoides* ſpicas alares profert, quibus flores, exiguorum globulorum forma, adhaerent, conſtantes ex foliolis, inter villos albos breues emicantibus, et filamentis apicibus luteis inſtructis; extrema pars ſpicarum fit paleacea et exarida, inferior autem foliis veſtitur minoribus multis, tribus plerumque ſimul eidem loco affixis, in quorum ſingulis ſemen latitat orbiculare depreſſum, vtrinque foliolo cinctum. In hortis res aliter viſa fuit. In ſingulorum namque foliorum alis tres floſculorum contiguae ſeries locabantur, quarum duae femellae, ſingulae vtrinque breui foliolo, tanquam calice cinctae, praeterea duobus foliolis extra munitae ſunt, quorum ſingulis tres floſculi eiusdem generis inſident, eorumque calix duobus aut tribus foliolis conflatur; ſtyli duo ſunt, corolla longiores. Intermedia ſeries foliolis tribus includitur hirſutis, et floſculo conſtat maſculo triſtemone, et duabus femellis. Saepe etiam in alis foliorum duas aut tres tantum floſculos femineos, aut totidem maſculos ſeparatos vidit Auctor. In *hybrida* flores maſculi caulem ramosque terminant, aſt nec alae foliorum iisdem deſtituuntur; feminei vero in ipſis alis ſub maſculis ſemper ſeſſiles ſunt. Maſculorum calix conſtat tribus glumis hirſutis et tribus filamentis cum antheris didymis, puluere excuſſo tricuſpidibus; haec non vno eodemque tempore erumpunt, hinc facile pauciora numerari poſſunt. Feminarum calix etiam trifolius, ſed ſtylus modo vnicus, cum ſtigmate ſimpliciſſimo obliquo. *Axyris proſtrata* ex foliorum

alis

alis capitula craſſa, vmbellarum fere ſpecie, tomen-
toſa emittit, femineorum florum ſedes; ab hac ſpe-
cie characterem generis deſumſiſſe LINNAEUM,
p. 99. Auctor monuit. *Anabaſis aphylla* et *folioſa Salſolae*
quidem factae ſunt ſpecies, attamen *aphyllam* inpri-
mis ſui generis, et a *Kali* ſeparandam eſſe monuit,
ac vtriusque fructificationis partes deſcripſit. De
fructu, an bacca dici poſſet, nec GMELINUS,
nec LERCHIUS aliquid determinauit, in *folioſa*
calicem quinquefidum ſucculentum perſiſtentem
germini inſiſtentem, ſtamina quinque, ſtylos duos,
et ſemen vnicum cochleatum, in *aphylla* calicem tri-
fidum, ſtamina quinque et ſtylum vnum, huius vero
duo ſtigmata, vix oculo armato diſtinguenda, de-
p. 213. ſcripſit. *Euphraſia odontites*, et *linifolia*, duce HAL-
LERO, *odontitis* nomine occurrunt, priorique *Ale-
ctorolophi* nomen impoſuiſſe b. GMELINUM, Edi-
T. IV. tor monuit. *Meſſerſchmidiae* genus, a LINNAEO
p. 77. in ſpecierum edit. II. p. 202. ad *Tournefortiam* rela-
p. 88. tum, eo nomine reſtituit; *Claytoniam virginicam* et
ſibiricam eo nomine repetiit, licet priorem, *Beliae*
nomine, a loco natali, Biela fluuio deſumpto, in-
p. 113. ſigniuerit STELLERUS. Ita et *Swertiam dichota-
mam* et *corniculatam* nomine *tetragonanthos* deſcrip-
ſerat STELLERUS et b. GMELINUS, vtramque
vero Cl. Editor *ſwertiis* denuo aſſociauit. Prior ſci-
licet *dichotoma* flores profert pendulos, eorumque
calix eſt quadrifidus, et corollae quatuor laciniae
apicibus coeunt, et pyramidis quadratae effigiem
induunt, non raro tamen a ſe inuicem ſecedunt; ſin-
gulae laciniae duo inſiſtunt puncta, et circa vmbili-
cum floris multa haeret lanugo, ex qua ſtamina
quatuor naſcuntur, ſtylum ſimplicem cingentia.
Corniculatae flores, ob quatuor ſegmenta, ſuperne
coeuntia, fere clauſi, pyramidis quoque quadratae
formam referunt. Plantam, quae in KAEMPFERI

Amoenit.

Amoenit. p. 846. *Tſutſuſi* nomine occurrit, et *Aza-*
lea indica LINNAEI eſt, tanquam ſingulare genus
hic notatur, et quia inter muſcos creſcens ſola flo-
reat, *Bryanthi* nomine inſignitur. Character ge- p. 132.
neris ſequens eſt: calix monophyllus, coloratus,
perſiſtens, in tot, quot corolla, lacinias fiſſus; co-
rolla campanulata, patens, in quatuor, quinque vel
ſex lacinias vltra dimidium diuiſa, filamenta quatuor
ad ſex filiformia, antherae rubrae, dorſo ſtaminum
perpendiculariter adhaerentes, ſupina parte medio
canaliculatae; ouarium ſphaericum, ſtylus filifor-
mis, vltra corollam exſertus, ſtigma nodoſum; ca-
pſula ouato acuminata, quinquelocularis, quinque
valuis, ſemina plurima rotunda; floret in corymbo
terminali, et habitu Ericam refert. *Lychnidum* fa- p. 136.
miliam ad vnum reduxit Cl. Editor genus, et hinc
Cucubalus, *Silene*, *Agroſtemma* et *Gypſophila* coniun-
guntur; prout et *Alſines* genere *ſtellarias*, *ſpergulas*,
ſaginas et *ceraſtia* comprehendit, monuitque peta- p. 154.
lorum integritatem et diuiſuram, ſtylorumque va-
riantem admodum numerum tantum non valere, vt
a ſe inuicem ſeparentur. *Arenaria peploides*
LINNAEI a reliquis huius generis et alſines ſpe-
ciebus craſſo ſuo habitu, glandulisque nectariferis,
in flore conſpicuis, multum abludit, et hinc b. GME-
LINUS nouum inde genus formare, illique *Ammo-*
deniae nomen imponere voluit, notauitque Editor,
ſi ab *alſine* remouenda planta, *Arenariam* dici poſſe,
cum reliquae arenariae omnes ad alſinem commode
referantur. *Cimicifugam*, antea ad Actaeam rela-
tam, eodem nomine generico propoſuit Cl. Editor, p. 182.
et accuratam deſcriptionem addidit; ex qua nota-
mus, extremum caulis plurimos emittere ramulos, ad
quos egrediuntur flores globoſi, corolla deſtituti,
calicis modo quatuor, quinque, ſex foliolis ſubro-
tundis, filamentisque plurimis absque piſtillo in-
ſtructi;

ſtructi; caulis autem faſtigium in ſpicam terminatur, cuius flores corolla nulla, ſed calice tantum, priori ſimili, caduco, filamentis iisdem antheris omnino fertilibus, piſtillisque pluribus, numero variantibus, cum totidem ſtylis praediti. Ita obſeruauit Cl. Editor in exemplis, quae in horto aluit, hinc ad polygamiam monoeciam pertinere aſſerit, quamuis et ſaepe dioica eſſe ſoleat, antheris circa femineas partes ſterilibus; capſulae vniloculares continent ſemina, theca, criſpis quaſi vndulatiſque membranis aſpera, obuoluta.

T. III. p. 241. p. 258. Species etiam nonnullae ad alia relata fuerunt genera. Ita *Ballota lanata*, *Phlomis foliis multifidis*, *Eryſimum hieracioides* cum HALLERO *Heſperis foliis longioribus, glabris, rariter dentatis*, dicitur; ob calicis enim foliola deorſum gibba, et ſemina non emarginata cum Heſperide bene conuenit. *Pulmonaria ſibirica* eſt *Anchuſa foliis radicalibus cordatis, caulinis ouatis;* et *Peganum dauricum*, *Ruta foliis ſimplicibus alternis* nominatur.

T.IV. p. 75. p. 176.

T. III. p. 18. In varietatibus colligendis et conſtituendis magnam ſolertiam vbique adhibuerunt Auctores. *Salicorniam fruticoſam*, quam LINNAEUS dubitanter ab *herbacea* ſeparauerat, varietatem modo eſſe, repetito examine didicit b. GMELINUS. *Herbacea* primi et ſecundi anni planta eſt, ſimplici aut parum ramoſo caule, qui dein in plures ramos diſpergitur, habitum ſimul mutat, et fruticoſior euadit. *Coriſpermum ſquarroſum* ab *hyſſopifolio* non ſeparauit, nil enim deprehendere potuit, quod certas diſcriminis notas exhiberet; viridis et ruber color variat, et nulla rubro colore occurrit, niſi autumno; hirſuties et glabrities foliorum pro ratione ſoli ludit, et hirſuta folia cum aetate pilos plurimam partem amittunt; ſpicae etiam, docente cultura, in planta erecta

longae,

longae, in procumbente ouatae enaſcuntur. *Poly-*
gonum biſtorta non ſolum radice variat, ſed et alti- p. 41.
tudine caulis, longitudine et latitudine foliorum, et
colore earum infra magis aut minus glauco, forma
etiam eorundem ex ouato oblonga, lanceolata, acu-
ta aut obtuſa, ex cordato lanceolata. Inprimis ea,
quae ſpicam habiliorem profert, notari meretur,
hinc et eius delineationem addidit Auctor. *Perſica-*
riam foliis ſubtus tomentoſis HALLERI ad *Polygo-* p. 49.
num perſicariam cum LINNAEO retulit; *Perſica-*
riam anguſtifoliam C. B. vero cum HALLERO ab
eodem ſeparauit, et *Polygonum ſpicis interruptis ra-*
riſſimis, foliis ex lineari lanceolatis, ſeminibus obtuſe
triangulis, vaginis ciliatis appellauit. *Polygonum*
conuoluulus et *dumetorum* coniunxit quidem GME-
LINUS, aſt rectiſſime LINNAEUM duplicem inde
conſtituiſſe ſpeciem, Editor notauit. *Atriplex ta-* p. 72.
tarica ab *hortenſi* differt. *Rumex criſpus* pro natali p. 112.
loco eximie variat, hinc et *alpinum* cum eodem con-
iunxit. *Leonurus tataricus* et *ſibiricus* a ſe inuicem p. 238.
diuerſae non ſunt ſpecies, in *ſibirico* flores modo
maiores adparent, et labium ſuperius inferiori fere
aequale. In *Trollio Europaeo* ſingularem plenitu-
dinem florum obſeruauit, nectariis ſcilicet in petala T. IV.
oblonga et anguſta commutatis; foecunda proferre p. 190.
ſolet ſemina ex quibus ſimiles plantae enaſcuntur,
hinc forte pro diſtincta ſpecie haberi poſſet, cum
et in iis regionibus, vbi prouenit monſtroſa planta,
naturalis deficiat, et vice verſa. *Ranunculus reptans* p. 201.
ad *flammulam* amandatur. Nullibi autem tanta va- p. 187.
rietatum copia exiſtit, quam in *Delphinii* ſpeciebus
praecipue *elato* dicto; vt et Auctor dixerit, taedio-
ſum fore, ſi omnes recenſere voluerit, cum tamen
quaedam earum facile confundant diſquirentes, pri-
mariarum delineationes in Tab. 75. ad 80 exhibuit.
Nec longitudo pedunculorum maior, nec glabrities

et hirſuties, nec foliorum inciſura profunda, aut minus profunda, nec laciniarum latitudo maior, aut minor, nec mollities aut durities foliorum, nec florum diuerſa magnitudo, nec petalorum forma ſubrotunda, aut oblonga aliquid in hac planta ad ſpeciem diuerſam ſtatuendam conferunt. In hortum tranſplantata planta lacinias foliorum ſaepe tam anguſtas profert, vt omnino accedant ad lacinias *Delphinii grandiflori*, et *grandiflorum* habet ſaepe ita latas, vt parum abludant a latitudine *elati.*

T. III. p. 28. Inſunt hiſce Tomis plures aliae obſeruationes, quae ad generum ſpecierumque cognitionem egregie faciunt: *Atraphaxis ſpinoſae* deſcriptionem, a DILLENIO datam, perfectiſſimam eſſe Auctor fatetur, folia modo rotundiora, et ſpinarum vix veſtigium inuenit, niſi in vetuſtis et forte ſuperioris anni; hinc maturum anni tempus, in quo planta obſeruata fuit, huius differentiae cauſam inuoluere, exiſtimauit. *Myriophyllum ſpicatum* folia perpetua, quaterna oſtendit, vti C. BAUHINUS in Prodromo pinxit, et foliola, quae pinnas conſtituunt, in fluuio Mana capillaria quidem, aſt ſex duplo fere maiora, quam in planta vulgari obſeruauit. *Polygoni* genus, vt in recentiſſimis ſcriptis aſſumſit LINNAEUS, Noſter quoque retinuit Auctor. p. 48. *Polygono auiculari* folia anguſta et lata, tumque caulem ſemper altiſſimum et ramoſiſſimum, ſaepe etiam corollas quadripartitas immixtas vidit, in eiusmodi autem corollis ſuprema ſtaminum ſeries quaternarium numerum non excedebat, inferior tria ſtamina, vt in corolla quinquepartita, continebat. *Polygono barbato* ſynonymon SLOANEI falſo appoſuiſſe LINNAEUM, potius illud ad *ocreatum* pertinere notauit et computatione inſtituta confirmauit Cl. Auctor; ita et *Perſicaria foliis ouatis glabris* KRASCHENN. a *barbato*

Polygono

Polygono diuerſiſſima eſt ſpecies. In *Polygono tatarico* obſeruauit flores femineos, et interdum p. 64.
omnia deficiebant ſtamina, interdum vnum vel alterum modo aderat, in aliis ſtamina octo tres breviſſimos ſtylos cingunt, quorum ſtigmata minutiſſima ſunt, globuli etiam nectariferi, aſt valde minuti adſunt, vt numerari vix poſſint. *Valeriana officinalis* pro loco natali multum variare ſolet, notatu p. 120.
praecipue digna illa eſt mutatio, dum tubus floris inferius ab ea parte, qua labium inferius locatum eſt, in leuiſſimum tuber intumeſcere, ſaepe Cl. Auctor cognouit. *Viburni opuli* margines floris ſteriles quidem, non vero ad neutros referendos eſſe p. 146.
exiſtimauit, perpetuo enim in illis filamenta quinque, antheris didymis inſtructa, et ſtigmata tria vidit. *Aſperula tinctoria* in natali loco florem tubuloſum trifidum et ſtamina tria; in horto autem p. 168.
culta, corollas plerumque quadrifidas, tetrandras, et magis campanulatas protulit. In *Crataego oxyacantha* tres ſemper ſtylos cum ſtigmatibus capi- p. 176.
tatis et viginti ſtamina numerauit; praeterea folia ex pinnato ſerrata appendiculata dicenda eſſe monuit, cum duae, appendiculae, in petiolorum exortu, aut baſi folii vtrinque adnaſcantur lanceolatae, ſerratae. Haec foliola veris tempore nunquam deficiunt, poſtea vero defluunt, vt paſſim vnum, rariſſime vtrumque deficiat. *Hypecoum erectum* a T. IV.
reliquis ſpeciebus abludit ratione ſtaminum eo modo, vt *Capnorchis* BOERHAAVII a *Fumariis*. p. 69.
Stamina ſunt ſex, quorum duo breuia externa ex hiatu petalorum internorum oriuntur, antheris ſibi impoſitis longis, duplicatam membranam referentibus, quatuor interna incurua, baſi latiora, germen cingentia, inaequalia, inſtructa antheris erectis, concavis, anguſtis, reliquorum multo breuioribus, ſingulis paribus connatis; ſtyli ſunt duo breuiſſimi. *Verbaſci* p. 92.

baſci nigri ſingularem metamorphoſin icone expreſſit; flores ſinguli pedunculis ſatis longis ſuſtentantur, a forma reliquorum plane abludentes; ſunt infundibuliformes, et alii androgyni, alii maſculi, alii neutri, quandoque proliferi, ſine cauliculis protrudentes, foliis aut flore nouo terminatos; caules quoque habet totos purpureos, ramoſiſſimos, et folia anguſtiora, plerumque rubentia, minus lanuginoſa.

T. III. Specierum, hactenus deſcriptarum, nomina
p. 13. ſaepe mutata, et aliis notis definita inuenimus. Ita *Callitriche autumnalis*, foliis oppoſitis oblongis, fructibus quadrifariam dehiſcentibus, et *verna* foliis oppoſitis oblongis, fructibus integris, diſtinguuntur;
p. 40. *Polygonum auiculare*, Polygonum floribus ſubſolitariis in alis foliorum ſeſſilibus, ſtaminibus octo; *Polygonum biſtorta*, Polygonum ſpica ſimplici terminatum, foliis imis appendiculatis, ſeminibus triquetris; *viuiparum*, Polygonum caule ſimplici, ſpica terminatum; foliis ad oram neruoſis, ſeminibus ouatis; *amphibium*, Polygonum ſpicis ſolitariis pedunculatis, ſtaminibus quinque, foliis ſerratis. *Perſicaria*, Polygonum ſpicis denſis, floribus hexandris digynis, ſeminibus compreſſis, vaginis ciliaribus; *hydropiper*, Polygonum ſpicis, ſtrigoſis, laxis, foliis lanceolatis, ſeminibus obtuſe triangulis, vaginis debilibus; *fruteſcens*, Polygonum fruticoſum, floribus pentapetalis octandris trigynis, duobus petalis externis reflexis, ramis in extremo iner-
p. 230. mibus etc. appellatur. *Dracocephalum Moldauica*, Dracocephalum floribus verticillatis, foliis ex ouato lanceolatis, bracteis longe ciliatis; *nutans*, Dracocephalum floribus verticillatis, bracteis lanceolatis integerrimis, foliis oblongis, ſuperioribus integris, floribus nutantibus; *thymiflorum*, Dracocephalum

floribus

floribus verticillatis, bracteis lanceolatis integerrimis, foliis ouatis, ſuperioribus integris, floribus vix e calice eminentibus; *grandiflorum;* Dracocephalum floribus verticillatis, foliis oblongis, obtuſis, ex ſinuato crenatis, bracteis oblongis; *ſibiricum*; Dracocephalum verticillis pedunculo communi eleuatis ſecundis; *pinnatum*, Dracocephalum floribus ex verticillato ſpicatis, foliis cordatis, ſinuato pinnatifidis; *Ruyſchiana*, Dracocephalum floribus verticillato ſpicatis, foliis linearibus confertis, nominatur, et ſic in multis aliis characteres ſpecifici mutati fuerunt, eoque modo ſpecierum cognitio facilior reddita.

Porro etiam non tantum Sibirico regno proprias, et a nullo botanicorum hactenus memoratas plantas accurate deſcripſerunt, vel iconibus illuſtrarunt Auctores, ſed et partim Sibiricarum eas, quae in Europaeis hortis coluntur, et in LINNAEANA ſpecierum enumeratione occurrunt, partim quoque multas, quae noſtris terris indigenae ſunt, e. g. *Chenopodium ariſtatum*, *Valerianam Sibiricam*, *Loniceram Xyloſteum et coeruleam*, *Cymbarias*, *Buniam orientalem*, *Primulam cortuſoidem*, *Hyoſcyamum phyſoloden*, *Violam vnifloram* aliasque plures nouis deſcriptionibus exornarunt, et *Plantaginis maioris*, *Arenariae peploidis*, aliarumque cognitarum icones nouas adpoſuerunt.

Denique et ea annotare deberemus, quae nouas, et hoc opere primum memoratas ſpecies concernunt. Cum vero nimis magna earum exiſtat copia, earumque recenſio in compendio exhiberi non poſſit, easdem lubenter omittimus, de vna alteraue modo quaedam adhuc adducturi. *Spinachia foliis* T. III.
triangularibus, ex ſinuato dentatis, flores in ſpicis p. 85.
breuibus ſine globulis arctiſſimis profert; et maſcu-

 lis

lis quidem ſtamina ſunt quatuor, interdum quinque, ex baſi corollae quadripartitae oriunda, et in baſi huius corollae germinis veluti veſtigium, ſub ſpecie puncti nigricantis adparet. Femellae in eadem planta maſculis miſcentur, aut etiam inferius in alis foliorum, ſine maſculorum admixtione ſeſſiles ſunt, earumque calix incondite tribus, quatuor, aut quinque dentibus, inter quos duo oppoſiti prae reliquis no-
p. 155. tabiles ſunt, terminatus monophyllus. *Campanula calicibus e tergo lamellis quinque notatis, pedunculis vnifloris*, flores ſpecioſiſſimos, plerumque cernuos, foris albentes, intus purpureis punctis guttatos, ibidemque multa albida lanugine veſtitos gerit, quorum calix decemfidus, in lacinias quinque longas et erectas, quinque breues et reflexas diuiſus eſt, quae flore marceſcente ſurſum rurſus recedunt, et ouarium ab iniuriis defendunt. Hinc admodum ſimilis eſt *Violae marianae*, attamen certiſſime di-
T. IV. verſa. *Aſtragali* triginta quatuor recenſentur ſpe-
p. 62. cies, inter quas inprimis illae notatu dignae ſunt, quae foliis inſigniter a reliquis differunt, vt et hinc STELLERUS ex illis nouum, a loco natali dictum, *Baicaliae* genus conſtituere voluerit; cum vero partium fructificationis eadem, ac in reliquis, ſit ratio, non ſeparare voluit Cl. Editor. Habent autem hae ſpecies foliola quaterna vel quina, radiatim caulem
p. 65. amplexantia. *Fumaria ſiliculis ouatis compreſſis, caule quinquangulo* cum cognita ſpecie nulla convenit. Caules ſunt pentagoni, ſordide virides, et obſoleta ſubinde purpura aſperſi, ramoſi, folia petiolata, fumariae vulgaris foliis ſimilia, ſed tenuius laciniata, cirrhi nulli, flores intenſe flaui, pedunculati, labii ſuperioris calcar ſurſum reflexum, capſulae ouatae, compreſſae in mucronem deſinentes, deorſum pendulae. Flores in ſummitate caulis citius efflorefcunt iis, qui ad alas foliorum locantur.

cantur. *Fumaria caule ramoſo, foliis pinnatis, foliolis extremis lobatis, capſulis ouatis pendulis;* caules gerit craſſos, ſed leuiſſimo attactu fragiliſſimos, folia ampliſſima pinnata, pinnis extimis, Poeoniae vulgaris ad inſtar, in lobos diuiſa, inſigniter venoſa, infra glauca. Ramis inſident flores magni purpurei, quorum labium ſuperius ſcaphae fere figuram habet, inferius in calcar longum deſinit. *Viola* p. 100. *acaulis foliis digitatis*, quae a *Viola acauli, foliis pinnatifidis* LINN. ſpec. p. 1313. no. 3. diuerſa eſt, duos plerumque ex radice caules emittit, quorum vnus craſſior et glaber flores, alter tenuior et hirſutus folia ſuſtinet. Pedunculi floriferi flores gerunt ſolitarios, pallide coeruleos, lineis ſaturatioribus pictos; flore iam interitui proximo, demum circumpoſita alteri cauli folia explicantur, quae prius ſemper conuoluta fuerunt, finduntur que in quinque, raro in quatuor folia ſeparata, ex eodem centro prodeuntia. *Gentiana floribus terminalibus* p. 106. *diaphanis*, varietas quidem *Pneumonanthes* a ſolo natali producta eſt, attamen, cum multa ſingularia oſtendat, digna Cl. Editori viſa fuit, vt et STELLERI deſcriptionem et alia, quae locum praecipue natalem concernunt, adferret. Radix fibroſa, fibris candidis et diaphanis ſub muſco, in terra repit. Ex foliorum radicalium roſula caules ſurgunt ab vno ad quatuor, vel duo ad quinque pollices alti, et geniculati; geniculis duo oppoſita adhaerent folia, ſub florendi tempus punicea, poſtea plane emarcida; ex ſummo caule vnus ad quinque flores campaniformes patentes multifidi, calice monophyllo albo, ſuperne quinquefido, inferne tubulato et diaphano comprehenſi, filamentis quinque totidem antherae ſecundum longitudinem adhaerent. Planta haec, vt refert STELLERUS, coloris plane ſingularis eſt, nihil cum colore aliarum ſpecierum analogi haben-

tis, aemulatur veſicam piſcium anemiam diaphanam, ſtriis et punctis plumbeis, liuidis, viridibusque variam. Locum natalem non ſine ſtupore contemplauit, et copioſius hic deſcripſit idem Auctor: rupes circa Barguſinum ad minimum 2000 orgyias elatae, vndique praeruptae, ſeptentrionem verſus aeterna niue tegebantur, oras ſummas larix folio non deciduo, betula pumila, et ſalix humillime in terra repens, velut ſertum ſenile caluitiem cingant; verticem rupis, tria circiter ſtadia Ruſſica longum, vnum latum, nec planta elata, nec arbor ornat, ſed muſci ſolummodo caneſcentis, continua ſerie, veluti ſtragulo cooperitur; in ipſo meditullio ſaxa ingentis molis protuberant circulatim, intra quae lacus puriſſima lympha repletus, ſed piſcibus et inſectis orbus reperitur. Ad haec ſaxa et muſcoſam lacus ripam haec Gentiana prouenit, et circa illam aliae minutae plantae, Caryophyllata alpina, Androſace, Arenaria etc. ita autem a naturali facile declinarunt, vt aegre non pro diuerſis habeantur. Ipſis e fiſſuris ſaxorum betula pumila, et ſalix folio ſerrato criſpo enaſcuntur. Hae autem plantae non virebant, ſed ob auſtrum pallebant, vel ob formae exilitatem, velut rubore, ſuffundebantur. Omittamus reliqua, quae de hac regione curioſius notavit STELLERUS, et modo adhuc moneamus, huius, intenſi amaroris, gentianae decocto appetitum laeſum, viriumque proſtrationem et pedum intumeſcentiam, feliciter ſuperaſſe, excretione in-
p. 130. primis vrinae turbidae inſigniter aucta. *Erica foliis aceroſis, glabris, imbricatis, ſquamatim caules amplexantibus, corollis campanulatis, nutantibus, antheris bicornibus*, vt et *Erica foliis aceroſis glabris imbricatis, floribus campaniformibus, baſi ventricoſis, antheris bifidis incluſis*, corolla quinquefida calice pentaphyllo,

taphyllo, et fructu quinqueloculari, quinqueualui ab Ericae genere quidem recedunt; habitus vero et reliqua reſpondent, hinc ſeparare noluit Cl. Editor.

IV.

Diſſert. inaug. de partu ſerotino praeſ. D. IONA SIDREN Anat. et Med. pract. Prof. R. et O. Reſpond. *Henrico Gahn* Fahlunenſi, noſocom. inſit. variol. Holmienſis medico ſecundo. Upſaliae 1770. 4. pgg. 39.

Vt hanc diſputationem notiorem reddamus, non aſſidua tantum, quam prodit, librorum huc pertinentium lectio inuitat, ſed et obſeruationes variae praeſtantiores inſperſae, quas Cl. GAHN vel auunculo ſuo Cel. a SCHULZENHEIM debet, vel ipſe data occaſione inſtituit. Quae hiſce ſuppetiis inſtructus collegit, ordine concinno maturoque iudicio proponit.

Quid de tempore grauiditatis ſentiat, mox initio declarat; hoc enim non vltra 39 hebdomades vel 273 dies extendit, dum nimirum conceptionem, mox poſt menſtruum fluxum factam, aſſumitur. Si, prout feminae ſolent, inde a die, quo vltimo haec excretio ſucceſſit, computus fiat, dolores praeciſe circa illud tempus incidunt, quo tributum lunare decimo femina ſoluere debuiſſet; a quo temporis interuallo ob excretionem dictam hebdomadis ſpatium detrahi debet. Ad concipiendum aeque aptam feminam eſſe ante catameniorum prouentum, ac iſto abſoluto, Cl. Auctor arbitratur.

Pondus longitudinemque infantum non tuto pronunciat criteria geſtationis temporis. Ex obſeruationibus vero Cel. a SCHULZENHEIM refert recens

 natos

tos plerumque libras decem aequare, multum vero libris 11½ grauiorem fuiſſe, nullumque libris 6½ leuiorem; vnicus modo ſi excipiatur caſus, quo infans etſi maturus, libras tantum 5 cum vnciis 2 aequauit: et hic quidem parentibus, aetate prouectis, natus fuit. Longos vero plerumque, 18 pollices cenſet. Quod hi numeri ab iſtis a ROEDERERO deſignatis differant, menſurae et ponderis diuerſitate tribuas; nam pondus, quo vſus, grauius, prout vlna breuior, fuit.

Sedulus fuit Noſter in conſulendis auctoribus, qui exempla partus, vltra conſuetum tempus protracti, narrant, et horum omnium hiſtorias, ordinem temporis ſequutus, breuiter expoſuit. Sunt inter haec et ii caſus conſignati, quibus infans vel mortuus, vel vario modo mutatus prodiit. Subiungit his exemplum, cuius eum Cl. a SCHULZENHEIM certiorem reddidit, geſtationis hebdomadum: quadraginta trium, comperto nimirum a ceſſatione menſtruorum aliisque notis facto. Fuit vero infans ſolito maior, et ob aetatem matris et funiculum vmbilicalem collo circumductum difficilius editus. Haud ita pridem quoque in Suecia geſtatio nouem annorum obſeruata, quibus exactis fetus per fruſta excidit.

Non alia autem lege, prout etiam in caſu, proxime dicto accidit, ſerotino partui in vniuerſum fidem tribuit, quam quod conſueto tempore dolores ſeſe exſeruerint, et aquarum ſtillicidium factum, ob impedimentum autem quoddam fetus intra vterum remanſerit. In reliquis omnibus hiſtoriis vel fraudem vel ignorantiam circa tempus conceptionis latuiſſe arbitratur, vel errorem in diſtinguendis ſignis grauiditatis ab aliis ſymptomatibus. Illuſtrat hunc errorem motibus ſpaſticis et flatibus propulſis, qui aliquando fetus agitationem aemulantur, citat-

que

que huius rei tres caſus, a Cel. a SCHULZENHEIM ſecum communicatos. A membranarum, quibus inuoluitur fetus, integritate non tam inſigne adiumentum in partu exſpectat; nam diſruptas eas adeo viceſimo ſecundo ante partum die vidit ſine vllo pediſſequo incommodo, quod idem adhuc prius ex aliorum obſeruatis accidit.

Cauſam, cur conſueto tempore partus ſuccedat, definire non audet, aliorum tamen opiniones diiudicat, et inter has iſtam Cl. LOUIS, qui precario papillas (*mamelons*) vtero placentaeque vterinae tribuit, ſibimet reſpondentes, et inter ſe connexas, quarum ſolutione partum fieri exiſtimat. Inquirens in hoc argumentum primum monet, non eſſe nouam ſententiam, ſed ab HIPPOCRATE iam aſſumtam, dein dolet, anatomiae luce papillas iſtas non detegi, quae ſi vere adeſſent, latere tamen cauſam innuit, quae ſolutionem iſtarum papillarum perficeret; vt igitur hac ipſa hypotheſi ratio partus aeque obſcura ac antea permaneret.

Quibus viribus partus ipſe fiat, curatius definit, ſimulque narrat digniſſimam memoratu Cl. a SCHULZENHEIM obſeruationem feminae, quae, ex ileo media grauiditate demortua, poſt triduum, quum ferali amictu eſſet obuoluenda, fetum ſuis membranis incluſum enixa reperiebatur. Legimus quoque hiſtoriam prolapſi vteri, cuius orificium incidere neceſſe fuit, quibus factis forcipe fetus viuus extractus eſt.

Argumentis vtriusque generis tam iis, quae partui ſerotino fauet, quam iis, quae illi aduerſa ſunt, probe perpenſis, de vtroque indicium ſuum fert. Non omni deſtitui fide eos caſus monet, in quibus tempus pariendi ad menſem tantum protractum fuit, quippe quum femina forſitan proxime ante fluxus menſtrui tempus conceperit. Duodecim autem vel

plurium menſium vel longiori termino negat locum eſſe, quum vero ſimile ſit, ob retardatum partum tantum incrementum capturum eſſe fetum, vt ob molem plane non naſci poſſit. Prout videmus fetum ſanum in lucem editum plerumque intra 3 menſes ad 7 librarum pondus increſcere.

Paucis ad finem diſputationis Cl. Auctor notas colligit, ex quibus fraudem ſubeſſe conficitur, ſcilicet: quum mulier primis menſibus poſt mortem vel abitum mariti grauiditatem diſſimulauit; menſtruum fluxum ſemel aut ſaepius poſtea experta fuit, quod maxime rarum eſſe Noſter iudicat; ſymptomata iſta vulgaria poſt conceptionem defuerunt, et haec contra ea tribus primis menſibus ex vltimis nouem modo inciderunt; femina motum infantis modo 4 et 5 menſe ante partum ſenſit, et tumor abdominis 6. modo menſe ſeſe manifeſtauit; dolores porro nono menſe poſt mariti abitum nulli percepti; nullus moeror vel lentus morbus praeceſſit, partus praeterea facilis infansque vegetus et conſueto pondere et longitudine inſtructus fuit. Quibus ſi accedant diſſolutionis vitae indicia, plane tum non dubitat Auctor Cl., partum illegitimum pronunciare.

V.

V.

Aanmerkingen over de inentinge der kinderziekte, met waarneemingen beveſtigd door PETRUS CAMPER. A. L. M. Phil. et M. D. Anat. et Chir. Prof. Honor. in Athen. illuſtr. Amſt. Medic. theor. Anat. Chirurg. et Botan. Prof. Ord. Gron. Academ. ſc. Reg. Lond. Edinb. rell. ſocius etc. met plaaten te Leeuwarden tèr drukkerye van H. A. de Chalot 1770. 8. mai. pl. 11. tab. aen. 2.

h. e.

Annotationes ſuper variolas, obſeruationibus firmatae Auctore Cl. P. CAMPER.

In quatuor ſectiones hanc tractationem diſpeſcit Cl. Auctor, in quarum prima de variolis in genere, quatenus ad inſitionem ſpectent, agit; conſiderat in altera praeparationem, remedia ſpecifica, diaetam, regimen etc. in inſitis obſeruanda; in tertia diſſerit de inſitione ipſa ſ. de methodo inſerendi, materia, qua inſerantur variolae, et de effectu eius; adiecit tandem in quarta ſymptomata quaedam ſingularia, in inſitione vel poſt eam conſpicua. Cum non omnia, quae hactenus ſuper hac re propoſita ſint, p. 4. Cl. Auctor probet, neque minus omnibus fidem tribuat, ipſe, in hanc rem accuratius inquirere, inſtituit: hinc ea, de quibus per obſeruationes ſibi perſuaſit, communicare non dubitat. Exponit itaque occaſionem, qua cum aliis medicis quadringentis hominibus variolas feliciter inſeuerit: Attendit ad omnia, quae ibi variant, phaenomena, eaque p. 10. poſtea ſingula percurrit; Quid de corporum diſpoſitione, eiusque praeparatione ſentiat, qua methodo vſus ſit, refert, et ſub finem tabulas duas aeneas, quibus inciſiones, punctura, per dies, regulari vel irregulari via, variantes, demonſtrat, adiicit. Cum

vero

vero ſingula in capita ſua congeſſerit, quaedam notatu digniora percurremus.

p. 18. Differit primo de natura contagii varioloſi, et
de vario eius curſu in varia hominum aetate; comparat hic naturales variolas cum inſitis; obſeruauit in his effectus quam mitiſſimos; in illis vero febrem tempore eruptionis grauiſſimam, quae haud raro dira relinqueret mala v. c. paralyſin, aphoniam, ſtrabiſmum, mentis alienationem cet, nec non febris ſecundae ſequelas vehementes vidit, vt abſceſſus, ſtaphylomata corneae, vel plenariam coecita-
p. 24. tem. Ex obſeruationibus ſuis porro patet, in infantibus infra annum plurimas variolas conſpici, aetatem ideo ab altero ad vigeſimum vsque annum optimam, ad inſitionem iudicari. Hinc nec ex annorum temporibus vllam mutationem in eis, nec ex praeparatione, ab aliis admodum commendata, quendam vſum obſeruauit.

p. 35. Attendit porro ad effectus huius contagii in corporibus, alia labe iam inquinatis, nec in iis quidem inſitionem, quod exempla eius teſtantur, vel ſine praeparatione inſtituta, ſi epidemia quaedam valde graſſaretur, funeſtam fuiſſe vidit.

p. 41. Ex his quoque ſubiecta et tempora ad inſitionem, exceptis infantibus lactantibus et grauidis, ad
p. 48. eam non ita aptis, iuſta quaeuis iudicat. Ad quaeſtionem vero, an inſitio ibi, vbi contagium naturale graſſatur, locum habeat, et an, qui infecti iam videntur, ſint inſerendi? Cl. Auctor reſpondet, ſe non dubitare, inſitionem tunc inſtituere, modo,
p. 51. vt his praedicat, eos ex inſitione parum iuuari: Nam contagium naturale per inſitionem peius fieri, negat; ſed, illo iam prodeunte, hoc vel euaneſcere vel cum illo confluere contendit.

Nec ex ſignis, in corpore relictis, coniici poſſe
p. 53. affirmat, num variolae iam adfuerint, nec ne? nam cicatrices, ad quas alii prouocant, fallere, exempla Cl.

Aucto-

Auctoris confirmant. Cum vero fuerint, qui inſitionem ex eo, quod a contagio recidiuo liberet, defenderent, Noſter cum iis non conſentire videtur, nam probabilitatem contagii reuerſuri ex aliorum et ex ſuis, quanquam raris, probat obſeruationibus. Nec ex numero puſtularum, in his copioſiore, in illis rariore, hanc prognoſin formari poſſe aſſerit.

Examinatis nunc variorum auctorum auxiliis, p. 58.
quibus puſtulas vel minuere, vel ex facie ſeu alio loco nobiliore depellere tentarunt; iisque non probatis, ſolam inſitionem huic fini aptam iudicat. Hanc vero interdum non communicari, probat, p. 67.
quod ex ſignis quibusdam, vbi ad cutim eiusque varietatem reſpicit, praedicere videtur. Sic in aliis p. 74.
omnia phaenomena, quae per omnia ſtadia euenire ſolent, ſine vlla eruptione obſeruauit.

Ad praeparationem Cl. Auctor, in altera ſectione, p. 88.
progreditur, et, methodo Rhaziana, quam multi adhuc ſequuntur, examinata, eam nec cum experientia ſtare, nec eius praeparationem ſibi probabilem videri iudicat. Eodem modo nec ſpecifica, p. 98.
a Cell. RHAZES, BOERHAAVE, DIMSDALE et MURRAY valde commendata, cum vel parum vel plane nihil iuuent, a Noſtro probantur; diaetam potius eam aegro commendat, qua antea vſus p. 103.
eſt, et regimen, in quo viuere conſueuit, in hoc morbo ſeruandum eſſe, ſuadet.

Dicturus in tertia ſectione de methodo inſerendi, p. 107.
ad materiam, qua inſitio inſtituatur, reſpicit, triplicemque adſumit: vel petatur ex puſtulis, materia tenui pellucida hactenus plenis, vel pure cocto, vel denique ex puſtulis, ad exſiccationem iam tendentibus, quam vltimam ſaepiſſime inefficacem obſeruauit, quia inflammationes quidem partiales, veras vero puſtulas nunquam produxit, ex prioribus vero ſemper bonum habuit effectum.

p. 112. Ad contagium vero communicandum vnam
tantummodo guttulam, atomum aliis dictam, ſuffi-
cere iudicat, nec copia, vt certi de vero morbo ſi-
mus, opus eſſe, quod duodecim exemplis probat,
vbi ex vna vel duabus inciſionibus mille et vltra, ex
pluribus vero quatuor, duodecim, quindecim cet.
p. 114. puſtulas obſeruauit. Locus ad incidendum a ſca-
pula ad manum extremam vſque optimus Noſtro
videtur, et cum Cl. MURRAY, qui ſiniſtrum tan-
tummodo brachium velit operationi ſubiicere, con-
ſentit, quia dextrum maiorem motum muſcularem
p. 117. experiatur. Inſtrumenta, quibus inciſiones opti-
me fecit, ſunt acus ſimplex vel foramine inſtructa,
lanceola et peculiaris ſcalpellus; has vero interdum
variantes ſic diſcernit, vt acum, foramine inſtructam
teneris e. g. infantibus optimam iudicet. Hanc
itaque et lanceolam reliquis praefert.
p. 120. Signa, quae veram contagii communicationem
indicent, incerta Noſtro videntur, variat enim mu-
tatio inciſionum, variat inflammatio, nec dolor in
ſcapula et axillis, ad quem attendunt, certum No-
p. 122. ſtrum reddidit: Vrina quoque, critico die turbida,
varioloſa, ad quam Cl. Auctor maxime attentus
fuit, eum fefellit: Qua de cauſa operationem repe-
titam in tali ſtatu neceſſariam, minime vero noxiam
p. 123. commendat. Hoc etiam de ſignis valet, quae, ceſ-
ſante eruptione, communicationem veram incer-
tam reddunt, nec ſemper vrina, febris, et color
p. 125. cutis mutatus ſatisfaciunt. Contagio vero non com-
municato, puſtulis tamen erumpentibus, diſcri-
men inter has et veras, ſi quod datur, in eo ponit,
vt ſpuriae ſint ſine febre et vrina immutata, et in
glandulis ſubcutaneis tantum ſedem habeant, mi-
nime vero ad ſanguinem ipſum abeant.
p. 128. Declarat porro Cl. Auctor varietates, quas in
inciſione obſeruauit, eum in modum, vt, in tabu-

lis

lis adiectis, puſtulas cicatricibus obliquis, marginem vero rubrum, ſ. circulum, punctulis depingat, vt adeo ex his prognoſis Cl. DIMSDALE et WATSON, qua magni margines et magnae puſtulae variolas paucas indicent, aliquo modo firmetur; eam vero variare, ex altera tabula ſtadiorum irregularium patet. p. 130.

Perſequitur nunc phaenomena, in inciſione et in toto corpore, quouis die, varia, quorum, cum maximam partem ad tabulas ſpectent, quaedam adnotamus: Quarto die margo ruber auctus, eleuatus, ſic vt in brachio pruritus vt plurimum conſpiciuntur. Quinto, pruritu aucto, puſtulam, nec non in multis vrinam, vti dicit, varioloſam vidit; ſexto iisdem intentis linguam obſeſſam cum ſpiritu fetente obſeruauit; ſeptimo praeter haec dolorem faucium et horripilationes attendit; octauo in aliis febrem, in aliis vrinam varioloſam diſtinxit; in nonnullis inflammationem ſuper brachium, pedes, dorſum vel pectus, nec non in facie, in genis praecipue cum pruritu vniuerſali animaduertit, in vno tantum eruptio hac die fiebat. His a nono die ad duodecimum vel decimum tertium variantibus, vt in his magis et citius, in illis minus et tardius conſpicerentur, in plurimis tamen hac die morbus ad ſtatum ſuum peruenit, et puſtulae ad exſiccationem tenderunt. Addit inſuper quaedam, quae praeter ordinem vidit, quae vero nos non adeo tangunt. p. 132. p. 138. p. 137.

Ad ſymptomata tandem, a ſe ſub variolarum decurſu vel poſt inſitionem obſeruata, in quarta ſectione perueniens, diſſerit primo de vrina, quam tamen, etſi materia varioloſa, ex ſanguine ad vias vrinarias delata, et ex his cum vrina excreta in vitro vrinali conſpiciatur, ex ſedimento hoc ſuo, criticam excretionem eſſe, ex obſeruationibus edoctus negat. p. 142.

p. 141. negat. Febrem porro ſecundariam Noſter, cum
ſint, qui eam in inſitis negent, et ex hoc praeſtan-
tiam inſitionis extollant, in quibusdam omnino ob-
ſeruauit, ſimul cum variolis ſecundariis, vt adeo
p. 148. haec febris in inſitione ſtatui debeat. Intumeſcen-
tiam faciei et manuum, quam alii, vt criſin diſtri-
butionis contagii varioloſi, defendunt, effectum tan-
tummodo inflammationis partialis faciei, manuum
cet. iudicat. Ex his etiam profluuium ſaliuae decla-
rat, ad quod, aſpera arteria, lingua variolis obſeſ-
ſae cum continuo affluxu ſaliuae attendi merentur.
p. 151. Attendit porro Noſter ad inflammationem oculo-
rum, quam plurimi in inſitione negant, quam ta-
men grauem ipſe in duobus exemplis obſeruauit.
p. 158. Ad haec non minus pertinet angina inflammatoria,
quae cum quadam interdum difficultate ſpirandi,
ſemper tamen innoxia a Noſtro obſeruata fuit; tuſ-
ſim vero rariorem in inſitis, quam in naturalibus eſſe,
contendit, eamque leuem in vnico tantum exemplo
habuit, et quae ſi euenit, ſine periculo eſſe ſolet;
quae vero poſt febrem ſecundariam oritur, letalis
ſaepiſſime eſt, tabem vel mortem ipſam producit.
p. 159. Obſeruauit denique abſceſſus ſub axillis, et exulce-
rationes diuturnas locorum, vbi inciſio facta eſt, quae
tamen, quamquam interdum eueniunt, nunquam
malignae, nec hanc ob cauſam, inſitioni funeſtae
a Noſtro iudicantur.

VI.

Hiſtoire de l' Académie royale des ſciences année 1766. avec les mémoires de mathématique et de phyſique pour la même année, tirés des régiſtres de cette Académie. A Paris, de l'imprimerie royale 1769. 4 mai. alph. 3. pl. 9. tab. aen. 24. Année 1767. ibid. a. 1770. alph. 3. pl. 12. tab. aen. 20. Année 1768. ibid. eod. alph. 3. tab. aén. 11.

i. e.

Hiſtoria Academiae Regiae ſcientiarum ad annum 1766, 1767 et 1768. cum commentariis mathematicis et phyſicis, ad hos annos pertinentibus.

In *obſeruationibus phyſicis* anni 1766. relatum legimus, lapidum calcareorum duo fruſta efloreſcentia ſalina tecta fuiſſe, quales tamen lapides nullum ſal continere, vt plurimum ſtatuunt: ex lacu proxime, ad vrbem *Montmorency* ſito, riuulum prodire, cuius aqua foetida eſt, et ſulphur redolet, cuius odoris origo ex ſulphure viuo, quod ad egreſſum huius rivuli reperitur, declaratur: *alcyonium ficus* dictum ſaepe conchylia, aliaque corpora marina includere cet. p. 36. Hiſt.

Ex *obſeruationibus anatomicis* ſequentes notamus:

Cl. SABATIER ouaria duo ſcirrhoſa in grauida trium menſium reperit, quod docet, leuem vel partialem tantum morbum harum partium conceptionem non impedire. Cl. MALESHERBES vſum medicamenti illius, ſatis iam inter nos cogniti, quod *eau de Luce* vocant, in morſu viperae, noua obſeruatione, confirmat *). Cl. LE CAT ab anno p. 57.

1757

*) vid. Hiſt. de l'acad. 1747. p. 54. comment. noſtr. Vol. II. p. 194.

1757 ad annum 1765 nouo ſuo inſtrumento, quod *ductorem canaliculatum cyſtotomum dilatatorem* vocat, (*gorgeret cyſtome dilatateur*) in 59 aegris calculum felici ſucceſſu ſecuit, ex quibus vnicus tantum poſt tres menſes periit. Alii chirurgi eodem hoc inſtrumento 70 aegros a calculo liberarunt, ita, vt numerus operationum, hoc inſtrumento his annis factarum, ad 129 accederet, in quibus vnicus tantum aeger interiit, qualem ſucceſſum nullam fere aliam methodum habuiſſe conſtat.

p. 74. In *obſeruationibus* tandem *chemicis* Cl. LE SAGE refert, ſe ſal metallicum coeruleum ex cupro, ope alcali volatilis, cum alcali fixo mixti, effeciſſe: ex cuius figura ac reliquis qualitatibus coniecturam format, varias illas cupri mineras, lazureas, quas dicunt, oriri ex alcali volatilis ſolutione. Licet enim plurimi chemici aſſerant, volatile alcali tantum in regno animali reperiri, ſulphur tamen humectatum, ſi cum limatura martis commiſcetur, alcali volatilis odorem ſpargere, Cl. LE SAGE obſeruauit, et iam HENCKELIUS in mineris variis alcali volatile inuenit. Quae de examine chemico lithantracum, ad locum *Seuerac* dictum, effoſſarum, hic commemorantur, ex quibus patet, ad carbonem ſic dictum vegetabilem eas referendas eſſe, omittimus.

Sequentes commentarii ad annum 1766 pertinent.

p. 1. I. *Commentarius de fodinis et locis, vbi lapis aluminoſus ad* Tolfam *prope* Centumcellas (Ciuita vecchia) *effoditur et methodo, qua ibidem alumen ex eo praeparatur.* (*Sur les aluminières, alumières ou alunières* de la Tolfa). Auctore Cl. FOUGEROUX DE BONDAROY. *Alumen Romanum* vulgo dictum ex lapide, qui circa arcem Tolfa reperitur, parari, notum

notum eſt. Cl. Auctor hiſtoriam fodinarum, methodi, qua lapides aluminoſi effodiuntur, calcinantur, aquae ope emolliuntur et in paſtam rediguntur, tandemque in ahenis excoquuntur, quo ex lixiuio alumen praeparetur, pleniorem tradit, quam a Cl. MAZEAS in commentario ſuo *) antea factum eſt. Ex terra, quae in fundo ahenorum praecipitatur, Cl. Auctor acido vitriolico adiecto, alumen obtinuit. Originem fodinae huius ita explicat, vt doceat, lapides ipſos calcareae fere indolis eſſe, argillae tamen magnam copiam continere, atque acidum vitriolicum, quod ad aluminis conformationem requiritur, ex monte igniuomo, olim in his locis reperiundo, ſed nunc exſtincto, ortum ducere.

2. *Diſquiſitiones de longitudine quarundam vrbium, iunctis meditationibus, de noua ratione determinandi parallaxin ſolis horizontalem*, Auctore Cl. PINGRE. p. 17.

3. *Commentarius de Veſuuio* Auctore Cl. FOUGEROUX DE BONDAROY. p. 70. Non quidem, quod iam a pluribus factum eſſe neminem latet, ſitum aliaque momenta, quae huius igniuomi montis ſpectant hiſtoriam, declarare atque repetere conatus eſt Cl. Auctor **); ſed longe maiorem gratiam ſe promereri apud phyſicos recte exiſtimauit, ſi lapidum genera, ex quibus hic mons compoſitus eſt, et corporum, quae furibundus eiicit, varias ſpecies accuratius deſcriberet. Multos lapides, quos alii ab ipſo monte eiectos eſſe putant, circa confinia eius natos, et tantum a materia illa liquefacta, quam *laua* dicunt, obductos eſſe, quae, ſi mons vehementius

 furit,

*) Confer. Cl. MAZEAS commentarium in mém. préſ. T. V, p. 379. vid. comment. Vol. XVII. p. 19.

**) Confer. Cl. D'ARTENAV in mém. preſ. T. IV. p. 247. vid. comment. noſtr. Vol. XII. p. 198.

furit, ex eius oſtio profluit, recte monet. Pertinent huc cryſtalli variae, micae particulae et granitis fruſtula, quae in medio maſſarum *lauae* reperiuntur, quales forte Ill. DE HAMILTON anſam dederunt, vt marmora lapidesque pretioſos originem ſuam ex montibus ignivomis duxiſſe autumaret*). Hinc a *lauae* maſſis non tum lapides mutati, a laua liquefacta incluſi, tum ii quoque, qui combuſti et ignis vim paſſi ſunt, aut in quorum interſtitia laua tantum penetrauit, ſegregari debent. Ipſam vero lauam chemice Cl. Auctor diſquiſiuit, inuenitque illam ferrum et cupri quoque portionem continere reliquam vero eius partem ſcorias eſſe vitrificatas, et terreas partes, quae ſalia contineant varia, alumen inprimis; nam vitriolum rarius reperitur. Nec deeſt in laua petrolei parua et ſatis magna ſulphuris portio, tam viui, quam metallis admixti. Terram Puteolanam (*la Pozzolane*) qua in aedificiis, ſub aqua exſtruendis vtimur, montium quoque igniuomorum progeniem eſſe, pumicemque pro ſpuma vitrefactae materiae**), cuius tamen natura ignoratur, haberi debere probat. Deſcribit porro ſublimatum quoddam flauum, quod in cacumine montis circa orificium eius reperitur, et quod plurimi ſulphur eſſe autumant. Docet vero hoc neutiquam eſſe verum ſulphur, ſed ex ſale, ſubſtantia aluminoſa, terra vitreſcibili argillae ſimili et pauxillo ferro conſtare. Sal tandem ammoniacum verum, vitriolum et alumen inter materias, quae ex monte proiiciuntur vel ſublimantur, eſſe, nec non aquam ſaepe, quae ex mari per ſubteraneos cuniculos ad montis interiora transfertur, eructari, aſſerit. Inter materias, a monte eiectas, vitri quoque naturalis parua eſſe fruſta monet,

*) vid. Philoſ. Transact. Vol. LVIII. p. 1. comment. noſtr. Vol. XVII. p. 387.

**) Ex aſbeſto forte vitrefacto, probat obſeruatio, quae in Phil. Tranſact. Vol. LI. P. II. pag. 837. vid. comment. hoc Vol. XI. p. 33.

monet, lapidemque Obſidianum PLINII talem originem habere, probat, qua in re Ill. Comitem DE CAYLUS ſequitur, quem iam ante LEHMANNUM Cl. hoc docuiſſe ex Noſtri commentario intelligimus *).

4. *Commentarius II. ſpectans ad eruenda praecipua theoriae Iouis elementa* Auctore Cl. JEAURAT. p. 100.

5. *Obſeruatio Eclipſeos ſolaris partialis* d. 5 Aug. 1766. Auctore Cl. DE FOUCHY. p. 120.

6. *Commentarius de inflammatione viſcerum infimi ventris et hepatis inprimis, quam ſemper per omnem reliquam vitam chronica valetudo aduerſa ſequitur, et quae magnam partem dolorum producit, qui falſo ventriculo, ſub nomine cardialgiae cet. tribuuntur.* Auctore Cl. FERREIN. Hepatis inflammationem, quam alii fere omnes raro occurrere putant, morbum eſſe frequentiſſimum, ſemperque, eo quoque ſuperato, tamen per omnem reliquam vitam obſtructionem in viſcere illo remanere, inflammationemque ſaepius, imo, quod mirum dictu, in nonnullis aegris quouis die recrudeſcere, doloresque varios, qui vulgo ventriculi eſſe putantur, exinde produci, Cl. Auctor probat. Non vero ea pars, quae in dextro hypochondrio ſita eſt, ceu maior hepatis lobus, inflammatur, ſed fere ſemper hoc malum epigaſtricam partem hepatis, quae ſub ſcrobiculo cordis poſita eſt, occupat. Aegro in dorſo, genubus flexis, quo muſculi abdominales relaxentur, cubante, tactu facile illa hepatis pars diſtingui poteſt, ſique ea, digito preſſa, dolet, dolorque a preſſione augetur, ſignum pathognomonicum hepatis inflammati praebet. p. 121.

 Cauſſa

*) vid. *Mém. de l'Acad. des belles lettres* Tom. XXX. p. 457. Conf. Cl. LEHMANN Tom. XII. Act. Petropol. nov. p. 364. comment. noſtr. Vol. XVII. p. 701.

Cauſſa inflammationis huius tam frequentis, ſanguini ſpiſſo venae portarum tribuenda eſt; morbo vero ſuperato, ea, ſi cruditates in primis viis haereant, vel febris ex quacunque cauſſa oriatur, vel catamenia inſtent aut ſupprimantur, vel vomitus, inprimis emeticorum antimonialium vſu excitetur, ſaepius recrudeſcit. Signum cruditatum in ventriculo vel inteſtinis praebet pulſus intermittens, quod ſignum conſtantiſſimum eſſe, et pulſum illum raro ex alia cauſſa oriri Cl. Auctor aſſerit. Epigaſtrica vero hepatis pars reliquo hepate frequentius inflammatur, quoniam ſaepius a ventriculo, inprimis in tuſſi, ſingultu cet. comprimitur. Effectus huius inflammationis ſunt dolor, qui ſaepe cardialgiam mentitur, atque ſi dolor vehementius vrget, febris, obſtructio porro hepatis et inſignis, quae hanc ſequi ſolet, aliorum morborum caterua. Quod tandem curationem mali attinet, eam in cauto venaeſectionis et relaxantium, nec non in aperientium, et in primis purgantium vſu ponit. Malo ſuperato, ne morbus recrudeſcat, leinora reſoluentia et inprimis aquae medicatae martiales impediunt. Potiſſimum vero diaetae ratio habenda eſt, victusque loco, ſi malum vehemens ſit, iuſculis tantum aeger nutriatur.

p. 139. 7. *Commentarius de variis rationibus, ad murorum fundamenta, ſub aqua ponenda, adhibitis* Auctore Cl. PERRONET.

p. 149. 8. *Commentarius ſecundus de conſilio aquam riuuli* l'Yuette *Lutetias Pariſiorum deducendi*, Auctore Cl. DEPARCIEUX *). Hoc commentario, examine chemico huius aquae a nonnullis membris Facultatis medicae Pariſinae inſtituto, comparationeque eius facta cum aliis, quae puriſſimae putantur, proba-

*) vid. Mém. 1762. p. 337. com. Vol. XV. p. 471.

probatur, eam ſalubrem eſſe, et ſine omni noxa pro potu ordinario adhiberi poſſe.

9. *Nouae rationes analyticae, computandi ecli-pſes ſolares etc. Commentarius IV. quo demonſtratae in prioribus aequationes ad ſoluenda problemata aſtronomica applicantur.* Auctore Cl. DU SEJOUR. p. 183.

10. *Commentarius de ſacco naſali et lacrymali multorum animalium*, Auctore Cl. BERTIN. Cl. Auctor inprimis hoc commentario contra Ill. HALLERUM probat, non omnia animalia puncta lacrymalia et ductus lacrymales habere, ſed leporem aliaque quadrupeda, quae terram effodiunt, aues etiam, quae grana in terra colligunt, vnicum habere ductum, cuius orificium verſus oculi canthum internum amplum eſt, labiisque duobus prominentibus terminatur. Cauſſam huius mechaniſmi in eo ponit, vt puluis, in oculum illapſus, eo commodius ad nares vna cum lacrymis transferri poſſit. In gallo gallinaceo valuula clauditur, quae ita conſtructa eſt, vt lacrymarum ingreſſum in nares permittat, regreſſum vero impediat, ne aqua forte impura, ab his animalibus hauſta, e faucibus ad oculos tranſeat, et ſordes, in ea contentae, tenerum hoc organon laedant. In obſtructione ductuum lacrymalium, aliis auxiliis fruſtra adhibitis, forte ſimilem aperturam efficí, acu triquetra canaliculata caruncluam, ſaccum et os vnguis perforari poſſe, et methodum hanc forte vulgari methodo operationis fiſtulae lacrymalis praeferendam eſſe, ſi curatius excoleretur, Cl. Auctor aſſerit. p. 281.

11. *Commentarius de pigmento, quod vulgo pigmentum flauum Neapolitanum* (Jaune de Naple) *ſeu* Giallo lino *dicitur.* Auctore Cl. FOUGEROUX DE p. 303.

BONDAROY. Mirum in modum differunt de hoc pigmento Auctorum coniecturae, cum alii naturae, alii artis productum eſſe autument. Chemice igitur illud, tam ſoluendo in variis menſtruis, quam calcinando Noſter diſquiſiuit, et felici tandem, experimentis ſuis chemicis ſuperſtructa, coniectura maſſam, huic pigmento ex aſſe ſimilem, compoſuit ſequenti modo. Sumſit duodecim vncias ceruſſae, aluminis vnciam vnam, ſalis ammoniaci vnciam vnam, antimonii diaphoretici vncias tres, eaque omnia, intime commixta, crucibulo indidit, ignique non adeo violento, ſed per ſeptem vel octo horas protracto, expoſuit, qua methodo maſſam dictam acquiſiuit.

p. 315. 12. *Hiſtoria morbi ſingularis, quo duo laniones in noſocomio militum emeritorum Pariſino* (hôtel royal des invalides) *correpti ſunt.* Auctore Cl. MORAND. Laniones duo, qui boues duos, ceteroquin ſanos viſos, mactauerant, quorum carnem ſine noxa milites dicti noſocomii cibi loco ſumſerant, ſubito graui afficiebantur morbo. Facies ſcilicet et palpebrae tumore oedematoſo ſubito occupabantur, idemque in pede accidebat, vbi etiam abſceſſus oriebantur. Nec deerat febris capitisque dolor grauiſſimus. Cauſſam horum ſymptomatum Cl. Auctor ponit in ſanguine bouino, et vapore, ex his animalibus mactatis ſurgente, docetque, humores boum, nimis longo itinere nimium defatigatorum et calefactorum, ita corrumpi, vt caro quidem innoxia ſit, vapor vero ex cadauere exſurgens ſanguisque, ſi cutem tangat, grauiſſima mala, imo, vt communicata a Cl. DU HAMEL hiſtoria probat, gangraenam producere poſſe.

p. 323. 13. *Applicatio notatu digna phaenomenorum quorundam electricorum* Auctore Cl. NOLLET.

14. *Meditata*

14. *Meditata, de eclipſi lunari* d. 24. Febr. 1766. Auctore Cl. LE MONNIER. p. 338.

15. *Commentarius de elatere noctiluco Cayanenſi.* Auctore Cl. FOUGEROUX DE BONDAROY. Mirum eſt, hoc inſectum, quod Americae calidioris incola eſt, Pariſiis deprehenſum fuiſſe. Factum vero hoc eſt in regione quadam huius vrbis, vbi plures ſcriniarii, qui exoticis lignis vtuntur, habitant, vt itaque probabile ſit, inſecti laruam vna cum lignis his allatam fuiſſe, et Pariſiis metamorphoſin ſubiiſſe. Varia quoque hac occaſione Cl. Auctor de *lampyride noctiluca* LINN. (vers luiſant) et alia *lampyride* (an *italica* LINN?), Italis *luciola* dicta, monet. p. 339.

16. *Commentarius de motu nodorum, et de variatione inclinationis ſatellitum iouialium.* Auctore Cl. DE BAILLY. p. 346.

17. *Experimenta circa boracem*, Auctore Cl. CADET. Experimenta haec probant: cuprum vere boraci ineſſe, eiusque principium conſtituere: acidum boracis acidum marinum eſſe, non vitriolicum: ſal ſedatiuum non eductum eſſe e borace, ſed additione acidi vitriolici produci: boracem terram vitreſcibilem continere, quae, ſi diſſoluitur, ab ea ſeparatur: ex borace Indico plus ſalis ſedatiui, quam ex illo, qui Venetiis, vel in Belgio depuratus eſt (*rafiné*) obtineri cet. p. 365.

18. *Commentarius de vera natura conatuum ad emendandas tabulas maris mediterranei, et conſcribendum alterum volumen Neptuni Gallici ſuſceptorum.* Auctore Cl. DE CHABERT. p. 384.

p. 395. 19. *Obſeruatio eclipſis ſolaris* d. 5. aug. 1766. ab Ill. MARCHIONE DE COURTANVAUX.

p. 398. 20. *Obſeruatio eiusdem coram Rege inſtituta.* Auctore Cl. LE MONNIER.

p. 401. 21. *Obſeruatio eiusdem* a Cl. MARALDI.

22. *Obſeruatio eiusdem* a Cl. PINGRE.

p. 402.

23. *Obſeruatio eiusdem* a Cl. CHAPPE D'AUTEROCHE.

p. 405.

24. *Obſeruatio eiusdem* a Cl. IEAURAT.

p. 407. 25. *Obſeruatio eiusdem* a Cl. CASSINI DE THVRY.

p. 416. 26. *Obſeruatio et calculus Emerſionis ſtellae* ♑ *capricorni e luna* d. 25. ſept. 1765. a Cl. IEAURAT.

p. 417. 27. *Commentarius de cometa huius anni priore* a Cl. PINGRE.

p. 423. 28. *Meditationes de nouis quibusdam hydroſtatices obſeruatis,* Auctore Cl. NOLLET. Expoſuit Cl. Auctor de duplici genere antliarum hydraulicarum,
p. 431. quas attractiuas vocant, quorum vtrumque a regulis, a natura, conſtitutis in eo diſcedere videtur, quod aquam in altitudinem 32 pedibus maiorem attollit.

29. *Ad theoriam mercurii Commentatio I. qua continetur determinatio loci aphelii nouis obſeruatio-*
p. 446. *nibus ſuffulta,* Auctore Cl. DE LA LANDE.

30. *Ad*

30. *Ad theoriam mercurii Commentatio II. continens motum aphelii et motum medium mercurii cet.* Auctore Cl. DE LA LANDE. p. 461.

31. *Illuſtrationes fabricae, hucusque incognitae, inſignis copiae corporum animalium, inprimis vero teſtaceorum*, Auctore Cl. HERISSANT. Egregio hoc commentario, qui de felici Auctoris Cl. induſtria, quam in oſſium fabrica declaranda olim iam oſtendit *) iterum teſtatur, ea quae REAUMURIUS **) olim de generatione teſtarum in conchis ceteterisque cruſtaceis animalibus propoſuit, ita emendat, vt nunc clarum ſit, non ea ex inorganica quadam maſſa, e toto animalis corpore exſudante, oriri, ſed organicam fabricam oſtendere. Duplici vero teſtas conchyliorum ſubſtantia, oſſibus hac in re perfecte ſimiles, compoſitas eſſe Cl. Auctor ope macerationis in ſpiritu nitri fumante, aqua diluto detexit. Harum vna animalis eſt, et parenchyma ſiſtit ex tubulis capillaribus, inter ſe egregia arte contextis, compoſitum, quod ad animal ipſum pertinet, eique proprium eſt, et cum eo ope fibrarum tendinearum, quae animal ad teſtam alligant, cohaeret. Altera vero ſubſtantia, quae interſtitia parenchymatis replet, terreſtris eſt, et per vaſa antea mota, coloribus variis, quibus conchylia oculos ſpectantium alliciunt, pingitur. Subſtantia animalis vel rete ſpongioſum teſtaceorum, gummoſa quadam ſubſtantia illinitum, deprehenditur, quae ei, qua ſerici fila obducuntur ***) analoga eſt. Si deſtillationi ſubiicitur, eadem producta oſtendit, quam animalium partes deſtillatae largiuntur, oleum ſcilicet empyreuma- p. 508.

*) vid. Mém. 1758. p. 323. 421. Comm. Vol. XII. p. 591. et 595.

**) vid. Mém. de Paris 1709. p. 364.

***) Confer. hac de re Cl. BIBIENA in Act. Bonon. T. V. P. I. p. 9. Comm. noſtr. Vol. XVII. p. 581.

reumaticum, alcali volatile cet. Omittimus, quae Auctor Cl. de eleganti fabrica huius parenchymatis eiusque fabricae differentiis habet, cum ea ſine figuris obſcura ſint. Addimus tantum e ſimili duplici ſubſtantia, non opercula tantum teſtaceorum, ſed et corpora alia marina, ſpongiae ſcilicet et corollia conſtare, nouumque hoc argumentum eſſe, quo animalis eorum natura confirmatur.

p. 541. 32. *Commentarius de phaenomeno electrico, notatu digno, nec hactenus obſeruato: ſiue de differentia diſtantiarum, ad quas proſiliunt ſcintillae, inter duo corpora metallica diuerſae figurae, prout alterum eorum ſit electricum, alterum ei admouetur*, Auctore Cl. LE ROY.

p. 547. 33. *Obſeruationes botanico meteorologicae in arce Denainvilliers*, a Cl. DU HAMEL *factae* a. 1765.

p. 575. 34. *Obſeruationes aſtronomicae in itinere Britannico* a. 1736. *inſtitutae* Cl. MARALDI.

p. 579. 35. *Commentarius de fluidis, per orificia vaſorum effluentibus*, Auctore Cl. DE BORDA.

p. 608. 36. *Conſilia de obſeruationibus aſtronomicis, refractionum horizontalium gratia inſtituendis.* Auctore Cl. LE MONNIER.

Progredimur iam ad annum 1767.

p. 22. In *obſeruationibus phyſicis*, quae ad annum hunc relatae ſunt, narratur: cicadas etiam in ſeptemtrionali Galliae parte, et caſtores in Rhodano fluuio
p. 33. reperiri. Cl. IALLABERT filium, et Cl. SAUSSURE, dum alpes viſitarent, et nubem electricam fulgurantem

fulgurantem intrarent, ita electricos factos eſſe, vt ſcintillae e brachiis eorum proſilirent, et fibula metallica in pileo Cl. IALABERT ſcintillas ederet frequentes, e litteris Cl. IALLABERT patris relatum legimus.

Ad *obſeruationes anatomicas* pertinet relatio Cl. GUATTANI, qui, ex tumore, in regione hepatis ſponte rupto, ad 300 hydatides, quae globulorum tormenti bellici minoris magnitudinem aequabant, prodiiſſe, aegrumque, iniectionibus adſtringentibus in cauum, hydatides continens, adhibitis, ſanatum fuiſſe narrat. Cl. PORTAL duos renes inſolitae magnitudinis et formae, et in inferiore ſua parte inter ſe concretos Academiae oſtendit. Alia, quae leuiora nobis viſa ſunt, omittimus. p. 44.

Commentarii huius anni ſunt:

1. *Commentarius III. de riuo* l'Yuette *Lutetias deducendo, quo docetur, hoc conſilium praeſtare fere reliquis omnibus, quae de aqua, huic vrbi procuranda, in medium prolata ſunt. Accedit aquaeductuum Pariſienſium breuis hiſtoria.* Auctore Cl. DEPARCIEUX. p. 1.

2. *Series diſquiſitionum de lentibus opticis. commentarius* III. Auctore Cl. D'ALAMBERT. p. 43.

3. *Experimenta de diuerſa vi pulueris pyrii, pro eiusdem varia praeſtantia*, Auctore Cl. NOLLET. Refellitur his vulgaris opinio, non niſi granulatum puluerem ad vſum bellicum eſſe idoneum, et comprobatur, puluerem nondum granulatum (*pulverin verd*), aeque ac eum, qui temporis diuturnitate corruptus eſt (*poudre decompoſée*) eundem vſum praeſtare. p. 109.

4. Commen-

p. 119. 4. *Commentarius de motu apſidum lunae*, Auctore Cl. FONTAINE.

p. 120. 5. *Commentarius de luce, quam aqua marina tempore nocturno, inprimis Venetiis in canalibus, hac aqua repletis* (lagunes) *ſpargit.* Auctore Cl. FOUGEROUX DE BONDAROY. Notum eſt, plures recentiorum lucem, qua aqua marina nocturno tempore fulget, vermibus, et quidem *nereidi noctilucae* adſcribere *), alios contra a materia phoſphorea, in aqua marina contenta, deriuare**). Cl. Auctor vero Venetiis inuenit puncta lucida, quae in marina aqua obſeruantur, omnino nereides eſſe a GIANELLI, LINNAEO cet. deſcriptas: illas vero copioſius fucis inhaerere, quorum ſi copia colligitur, facile microſcopio haec animalcula conſpici poſſunt. Lumen non ſemper, ſed pro lubitu tantum, et quidem ex poſteriore ſua parte, edunt Quamquam vero ſplendor maris ſaepe ab eiusmodi animalibus oritur, tamen phoſphoream quoque materiam aquae marinae ineſſe, et huius ſplendoris cauſſam ex parte eſſe poſſe, pluribus Cl. Auctor demonſtrat.

p. 129. 6. *Examen latitudinis et longitudinis Capitis* Foulpointe *inſulae* Madagaſcar, *ex obſeruationibus* Cl. LE GENTIL *ad optimas tabulas examinatis.* Auctore Cl. DE LA LANDE.

p. 130. 7. *Obſeruatio altitudinis ſolſtitialis limbi ſolis ſuperioris ſolſtitio hiberno* 1766. *inſtituta* a Cl. CASSINI DE THVRY.

8. *Com-*

*) vid. Ill. LINN. Amoen. Vol. III. p. 203. l. 3. Comm. noſtr. ſuppl. dec. I. p. 100. BASTER Opuſc. ſubſec. I. t. 4. f. 3. Cl. GODEHAU mém. préſ. T. III. p. 269. Comm. noſtr. Vol. X. p. 339.

**) vid. Cl. LE ROY in Mém. préſ. Tom. III. p. 143. comm. hor. V. X. p. 392. Adde quae Cl. SCHYTTE de aqua marina in glaciem mutata etiam luceſcente habet in Act. Nidroſ. T. I. p. 249. comment. hoc Vol. XVI. p. 669.

8. *Commentarius de remedio quodam, contra foetorem fouearum, in quas aqua, domiciliis moleſta, colligitur, (puiſards) vrgente neceſſitate, prope aedes effoſſarum.* Auctore Cl. DE PARCIEVX. p. 133.

9. *Nouae methodi analyticae computandi eclipſes ſolares. Commentarius* V. Auctore Cl. DV SEIOVR. p. 137.

10. 11. *Obſeruationes de ſalibus, quae ex cineribus vegetabilium obtinentur.* Auctore Cl. DV HAMEL. p. 233. et 239. Notum eſt, e cineribus plurimorum vegetabilium alcali fixum parari poſſe, ſodae vero ſali, quod, herbam kali comburendo, obtinetur, alcali ineſſe minerale, quod pluribus proprietatibus ab alcali vegetabili differre, neminem chemicorum latet. Hinc Cl. Auctor experimenta inſtituit, quo cognoſceret, vtrum haec cinerum diuerſitas ab organis plantarum, an a ſoli differentia pendeat. Kali ſcilicet in ſolo, longe a mari remoto, cultum combuſſit, et cineres cum cineribus kali, quod ad mare creuerat, comparauit, viditque kali in mediterraneo loco cultum, magnam quoque copiam alcali fixi, praeter alcali minerale continere. Vlteriora experimenta declararunt copiam alcali mineralis, ſi ſemina ex kali in loco a mari remoto collecta iterum terrae mandantur, idque per plures annos repetitur, ſenſim minui, et copiam alcali fixi contra augeri.

12. *Obſeruationes cometae* a. 1759. et *meditationes de reditu cometarum.* Auctore Cl. CASSINI DE THVRY. p. 241.

13. *Obſeruatio oppoſitionis ſaturni* d. 23. nov. 1765. *et Iouis* d. 5. febr. 1766. a Cl. IEAVRAT. p. 252.

14. *Examen*

p. 256. 14. *Examen chemicum aquae mineralis, quae ad abbatiam* des Fontenelles *in Pictauia* (Poitou) *proxime ad rupes ad Icanuam* (Roche ſur Yon) *reperitur, adnexis obſeruationibus de ſelenite, eiusque origine.* Auctore Cl. CADET. Experimentis Cl. CADET conſtat, praeter ſelenitem, etiam huic aquae medicatae ſal marinum et ferrum, maxima ex parte phlogiſto ſuo priuatum, ineſſe. Praeterea vero duae potiſſimum obſeruationes, quae Cl. Auctor in hoc commentario communicat, omni attentione dignae nobis viſae ſunt. Prima earum docet, vulgarem methodum, ferrum in aquis mineralibus, ope infuſi gallorum detegendi, fallacem eſſe, cum aquarum hic deſcriptarum color, licet ferrum contineant, neutiquam tamen ab infuſo dicto immutetur. Simile quid ſub aquarum Plomberianarum examine Cl. MALOVIN obſeruauit. Altera ad originem ſelenitis ſpectat, quod lapidum genus ex acido vitriolico et terra calcarea compoſitum eſſe, putant. Docet vero Noſter, etiam ſeleniten formari poſſe ex terra vitreſcibili, et acido vitriolico, nec non ex acido nitroſo et marino cum terra vitreſcibili tenuiſſima, aquis inhaerente, combinatis. Ex ſabulo, in acido vitriolico digeſto, Auctor Cl. ſeleniten obtinuit, nec non vitrum comminutum in acidis omnibus ſolui, expertus eſt.

p. 266. 15. *Obſeruationes oppoſitionis ſaturni* a. 1766. Cl. IEAURAT inſtitutae.

p. 268. 16. *Obſeruatio tranſitus lunae per pleiades* d. 22. ſept. 1766. a Cl. CHAPPE D' AVTEROCHE facta.

p. 270. 17. *Commentarius de rotis hydraulicis.* Auctore Ill. DE LA BONDA.

18. *Epitome*

18. *Epitome laborum in mari mediterraneo, per a. 1766. a Cl.* DE CHABERT *continuatorum.* p. 288.

19. *Commentarius ſuper actione ignis violenti carbonum ope excitati, in plures terras, lapides, et calces metallicas.* Auctore Cl. MACQUER. Cl. DACET, vti ex commentariis ab eo editis *) patet, in furno, quo porcellana igne, ligni ope ſuſtentato, coquitur, plura corpora mineralia, quae inter apyra antea referebantur, lapidem ſcilicet calcareum, talcum, micam, aſbeſtum, gypſum, calcesque metallicas varias fudit. Haec experimenta pari felicitate Cl. MACQUER in furno minore repetiit, quo carbonibus non ligno ignis alitur, quem in commentario *de argillis* *) deſcripſit, et fuſionem horum corporum in quinque vel ſex horis praeſtitit. p. 298.

20. *Obſeruationes cometae, qui apparuit menſe martio a. 1767. a Cl.* CASSINI DE THURY *factae.* p. 315.

21. *Obſeruationes cometae alterius, qui apparuit menſe aprili a. 1766.* Auctore EODEM. p. 322.

22. *Commentarius de ſexu vero eorum, qui vulgo hermaphroditi vocantur.* Auctore Cl. FERREIN. Plurimos ad femineum ſexum pertinere et clitoridem elongatum tantum penem mentiri, probat. Nouam obſeruationem Cl. Auctor eſſe putat, in fetu femello p. 330.

*) vid. EIVSD. Mémoire ſur l'action d'un feu égal, violent et continué pendant plusieurs jours ſur un grand nombre de terres. A Paris, 1766. 8. it. ſecond. mémoire ib. a. 1771.

**) vid. Mém. de Paris 1758.

ſemello clitoridem grandem eſſe, ita, vt embryo ſemellus pro virili habere poſſit. Id tamen centies iam ab aliis obſeruatum et dictum fuiſſe, loca, a HALLERO in elementis excitata, (Tom. VII. Lib. XXVIII. p. 82.) abunde probant.

p. 340. 23. *Obſeruationes iouis, ſoli oppoſiti.* d. 8. mart. 1767. Auctore Cl. IEAURAT.

p. 343. 24. *Obſeruatio eclipſis ſolaris* d. 5. aug. 1766. a Cardinali DE LUYNES.

p. 344. 25. *Obſeruatio tempeſtatis* d. 6. aug. 1767. *exortae, et fulminis, quod e terra prope obſeruatorium Pariſienſe adſcendere viſum eſt.* Auctore Cl. CHAPPE D' AUTEROCHE.

p. 350. 26. *Tentamen comparationis ponderum extraneorum cum marca Gallica.* Auctore Cl. TILLET.

p. 409. 27. *Commentarius de meteoro, quod nomine* Typhonis *appellatur.* Auctore Cl. BRISSON. Nomen typhonis ſeu turbinis marini (*la trombe*) gerit apud eos, qui res nauticas tractant, nubecula, parua quidem, ſed quae nihilo ſecius a nautis valde extimeſci ſolet. Imminet ab initio mari, ſeque vel attollit vel demittit, ſaepe etiam nubibus adhaerens, eas comitatur, et in alium locum ſe transfert, donec tandem, repente emiſſo fulmine, in pluuiam et grandinem diſſoluitur, haud ſine magno nauigantium periculo. De huius rei cauſis phyſici valde diſſentiunt. Putauerat Cl. ANDOGVE, eam latere in aere, qui duobus ſibi inuicem parallelis venti tractibus interceptus, in vorticem ageretur: ſed obſeruatum eſt, hos turbines non modo ſaepe tranquillo aere oriri, ſed nonnunquam etiam ex aqua aſcendere,

adſcendere, vt bis Geneuae accidiſſe relatum eſt, e quo patet, cauſam in ventis non eſſe quaerendam. Quamobrem alii confugerunt ad vapores ſubterraneos inprimis bituminoſos, qui ex aquis erumperent, et per aſcenſum in aerem exardeſcentes omnem hanc nautis calamitatem pararent. Quid vero, re ita ſe habente, eſſet, cur iſti turbines nonnunquam nubem, veluti ab ea attracti, ſectarentur, quid etiam, cur ſaepenumero e nubibus ad aquas appropinquare viderentur? Cl. BRISSON igitur rem ope doctrinae de electricitate expedit. Inter nubem electricam et telluris ſuperficiem fertur materia electrica, duplici flumine, vno, quod ex nube profluit, et effluens appellatur, altero, quod a tellure proficiſcitur, et affluentis nomen a Cl. NOLLETO accepit. Horum ſemper alterum altero validius, vtriusque vero ea natura eſt, vt in egreſſu diuergentibus, in acceſſu ad alterum corpus conuergentibus radiis progrediatur. Inde figura conica, quae in turbine obſeruatur, qui conſiſtit e particulis aqueis, vel ab effluente materia e nube, vel ab affluente ex aqua correptis, et ſecum vel deorſum vel ſurſum tractis, quo facile et aſcendentis et deſcendentis turbinis ratio redditur. Rem illuſtrat experimentum ſatis notum, quo per tubum electricum, vaſi admotum, aqua aut atramentum, quod vaſi ineſt, verſus tubum attollitur, et orta ſcintilla, tubo paullulum madefacto, iterum decidit: quae omnia ita eueniunt in turbine aſcendente, qui, orto fulmine, in pluuiam aut grandinem diſſipatur, conſiſtentem particulis, ex aqua eodem modo elatis, vt in experimento iis acciderat, quae tubum electricum orta ſcintilla madefecerant.

28. *Solſtitium aeſtiuum a. 1767. obſeruatum, in foco lentis obiectiuae 80 pedum: accedunt obſerua-* p. 417.

 tiones

tiones ſolis et arcturi, quadrante mobili peractae a Cl. LE MONNIER.

p. 423. 29. *Commentarius de experimentis quibuſdam, ad dioptricam facientibus* a Ser. DVCE DE CHAVLNES.

p. 471. 30. *Experimenta chemica, cum bile humana et brutorum inſtituta*, Auctore Cl. CADET. Vſus eſt Cl. Auctor potiſſimum bouina bile, et ex experimentis, fuſius hic enarratis, colligit: ex bile putreſcente alcali volatile obtineri, et, ſi cum acido ſalis marini eiusmodi bilis miſceatur, ſal ammoniacum parari: acida mineralia in initio bilem quidem, ſi ei affundantur, coagulare, ſed poſt breue tempus fluidiorem reddere, quam antea fuerit: in bile terram calcaream reperiri, quae cum acido admiſto ſelenitem efformet, et calculis biliariis ſaepe originem praeſtet: ſeroſam bilis partem ſal continere, ſaccharo lactis ſimile, quod calculos biliarios cryſtallis ſimiles, a nonnullis Auctoribus deſcriptos, formet: compoſitam tandem eſſe bilem ex pinguedine animali, baſi alcalina ſalis marini, ſale marino ipſo, ſale illo, ſaccharo lactis ſimili, et terra calcarea, quae pauxillum ferri contineat.

p. 484. 31. *Obſeruatio altitudinis ſolſtitialis* menſ. iun. 1767. a Cl. CASSINI DE THVRY.

p. 485. 32. *Obſeruationes et calculi oppoſitionis ſaturni et ſolis* d. 22. dec. 1767. Auctore Cl. IEAVRAT.

p. 487. 33. *Analyſis ſodae ex herba* Varech (fuci ſpecie) *paratae*, Auctore Cl. CADET. Soda haec multo impurior eſt, quam ea, quae ex cineribus herbae kali *) remanet.

*) vid. ſupra p. 81.

remanet. Salinum habet guſtum, odoremque hepatis ſulphuris. Chemice Cl. Auctor illam diſquiſivit, cognouitque, eam longe minorem copiam alcali mineralis, quam ſoda vulgaris, ſulphur porro, tartarum vitriolatum et magnam ſalis marini copiam continere. Suſpicatur Cl. CADET, longe puriorem obtineri poſſe, ſi in comburendo fuco etiam aliae plantae marinae cultae adderentur. Impurior haec ſoda tantum ad vitrificationem adhibetur.

34. *Experimenta de reniſu fluidorum*, Auctore Ill. Equ. DE LA BORDA. Inquiſiuit Cel. Auctor ope machinae, a ſe deſcriptae, in quantitatem retardationis, quam celeritas corporis, ſub aqua, moti ab eius reniſu pateretur. Inuenit, ſphaerae et hemiſphaerii retardationem eſſe fere in ratione duplicata celeritatum: hemiſphaerium, ſi eius latus conuexum praecedat, tantundem fere, quam totam ſphaeram retardari: denique, ſi circulus maximus hemiſphaerii praecedat, eſſe retardationem eius ad eam, quam tota ſphaera patitur, vt 5 ad 2. Obſeruauit etiam Cel. Auctor, NEWTONI theoriam hac in re experientiae haud eſſe conſentaneam, quippe qua vera minor retardatio proueniret, quae eſſet ad veram vt 9 ad 10. Vltimo loco refert, reniſum aquae multo maiorem eſſe, ſi corpus prope eius ſuperficiem moueatur, quam ſi paullo profundius ſit ſubmerſum: eiusque rei hanc rationem reddit, quod corpus ad ſuperficiem motum aquam celerius in gyrum agitet, adeoque plus virium perdat, quam ſi altius in aquam demittatur. p. 495

35. *Expoſitio quorundam capitum geographiae phyſicae, ſpectantium ad alueos fluminum et riuulorum Galliae, quorum nonnulli accuratius deſcribuntur, ille praeſertim, quo Sequana continetur.* Auctore Cl. BVACHE. p. 504.

 36. *Obſer-*

p. 510. 36. *Obſeruationes botanico meteorologicae in arce* Denainvilliers a. 1766. *factae* a Cl. DVHAMEL.

p. 539. 37. *Ad theoriam mercurii commentarius III. qua eccentricitas et locus medius iſtius planetae determinantur.* Auctore Cl. DE LA LANDE.

p. 551. 38. *Explicatio methodorum inueniendi curuas, quibus ineſt maximum aut minimum.* Auctore Ill. DE LA BORDA.

p. 564. 39. *Commentarius de motu ſingulari in tremella obſeruato.* Auctore Cl. D' ADANSON. Planta haec, quae aquarum limo innaſcitur, tenerrima eſt, et ſi nudo oculo ſpectatur, gelatinoſam maſſam refert. Quod ſi vero microſcopio eam examinamus, deprehendimus, conſtare illam filamentis cylindricis, in extremo fine obtuſis, ex nodis compoſitis. Haec filamenta inter ſe ſpontaneo quaſi motu agitario, vario modo ad ſe inuicem accedere vel iterum recedere, motumque hunc in margine plantae maiorem eſſe, quam in reliquis partibus Cl. ADANSON obſeruauit. Praeter hunc lateralem motum alium quoque dicta filamenta oſtendunt; qui vero tantum ab eorum incremento pendet.

p. 573. 40. *Diſquiſitiones de calculo integrali* auctore Cl. D' ALEMBERT.

p. 588. 41. *Additamenta ad methodum ſoluendi problemata de maximis et minimis.* Auctore Cl. FONTAINE.

42. *Commentarius de reſonitu oſſium cranii* (ſur les contre-coups) Auctore Cl. LAFOSSE, membro ſocietatis Regiae Montiſpeſſulanae. Notum eſt, plures ſcriptores chirurgicos iam in eo deſudaſſe, vt originem eius fracturae caluariae explicarent, qua

os

os alia parte, quam vbi percuſſum eſt, finditur, quam *reſonitum* ſeu *contrafiſſuram* vulgo vocant. Hoc ſaepe ex eo accidere, quod oſſa alio in loco minus, quam in eo, qui fractus eſt, reſiſtant, Cl. Auctor non negat; putat tamen, niſi alia obſtent, praecipue in loco cranii, illi, qui ictum accepit oppoſito, fieri debere. Caput enim oſſeum conſiderat, tanquam ex circulis multis oſſeis et elaſticis, verticalibus, obliquis, horizontalibus cet. varia ratione ſe ſecantibus, compoſitum. Iam ex LEIBNITII experimento notum eſt circulum ferreum, ſi in loco quodam percutitur, ellipticum fieri et punctum eius puncto percuſſo e directo oppoſitum tantum ad centrum circuli accedere, quantum ipſum percuſſum punctum ictus vi accedit. Hoc ad caput oſſeum applicatum docet in loco percuſſo e directo oppoſitum, ſi partes oſſeae ibi minus cohaereant, fracturam facile fieri poſſe, circuli conuexa ſcilicet parte plana facta et introrſum pulſa. His propoſitis, ſigna diagnoſtica reſonitus fuſius Noſter pertractat, neque ea, inprimis, ſi ad ſitum aegri directionem, ictus cet. attendatur, adeo obſcura eſſe, vt multi putant, perſuaſum ſibi habet.

Addamus tertium horum commentariorum volumen, quod ad annum 1768 pertinet.

Obſeruationes phyſicae nil praecipui attentione dignī continent, ſi ea, quae de Cl. SPALLANZANI experimento, quo limacum capita et tentacula reſecta de nouo, vt polyporum amputatas partes, creſcere expertus eſt, exceperis, de quibus vero alia occaſione vberior dicendi erit locus. Anno 1768. p. 31.

Inter *anatomicas* autem obſeruatio Cl. FERREIN occurrit, qui in deglutitione ex ſpaſmo oeſophagi impedita, quae nullis remediis cedebat, clyſmata p. 45.

 ex

ex fumo herbae nicotianae vel clyſmata cum opio egregios praeſtitiſſe effectus vidit. Cl. vero MONTET in ſimili morbo (forte tamen magis inflammatorio) glaciem in minora fruſta diffractam, quae inflammationem reprimendo ſanabat, opem tuliſſe narrat. In *cuniculis* ſaepe dentes inciſores ita elongantur, vt illa animalia cibum difficulter capere poſſint, imo, niſi reſecentur dentes hi monſtroſi, ex cibi defectu pereant. Cl. TENON veſicam vrinariam duplicem obſeruauit. Septum vero, quod veſicam diuidebat, oriebatur ex tunica membranacea veſicae externa, quae herniae in modum intra veſicae fibras carneas ſe in ipſum veſicae cauum immerſerat. Vetulam 91 annorum, adhuc menſtruatam et optima ſanitate praeditam, Cl. DU PEYRON vidit. Equa vno partu mulum et pullum equinum edidit, quod ſuperfetationem in hoc animali fieri poſſe probat *). Cl. BORDENAVE in ſene quodam aſthmatico concretionem calculoſam in ipſa cordis ſubſtantia reperit.

p. 48.

p. 69. Inter *chemicas obſeruationes* examen chemicum aquae cuiusdam mineralis in pago *Vaugirard*, proxime Lutetias Pariſiorum ſito, reperitur. *Botanicas* vero, cum nil notatu digni in iis reperiatur, omittimus.

Commentarii huius voluminis ſunt.

p. 1. 1. *Diſquiſitiones de motibus axeos cuiuslibet planetae, ſuppoſita meridianorum eius diſſimulitudine.* Auctore Cl. D'ALEMBERT.

p. 54. 2. *Commentarius de frigore per hiemem* a. 1767 et 1768. *nec non de glacie, quae in cruſtas fracta fluminibus innatat,*

*) vid. hiſt. de l'acad. 1753. p. 131. comment. hor. Vol. VII. p. 254.

innatat, *et de ſingulari ratione*, *incommoda inde oriunda euitandi.* Auctore Cl. DEPARCIEUX.

3. *Commentarius de modo holoſericum ſplendido rubore imbuendi ope coccionellae.* Auctore Cl. MACQUER. Cum e coccionella parata pigmenta, quorum ope lana et goſſypium egregiis coloribus imbuuntur, holoſericum non afficiant, plura experimenta Cl. Auctor inſtituit, quo cognoſceret cauſſam huius phaenomeni, ſimulque methodum inueniret, qua etiam coccionella in arte tinctoria ad holoſericum tingendum adhiberi poſſet. Inuenit vero actionem coccionellae in holoſericum, non a pingui ſmegmate holoſerici impediri, vt multi putant, ſed pigmentum ex coccionellae tinctura, vulgari modo ope ſolutionis ſtanni in aqua regis praecipitatum, ob nimiam molecularum craſſitiem non in holoſerici poros penetrare poſſe. Hinc primo holoſericum in ſolutionem ſtanni aqua quidem multum, non tamen ita dilutam, vt praecipitatio oriretur, immerſit, holoſericumque ita praeparatum in coccionellae tincturam immiſit, viditque hac ratione optime illud tingi. p. 82.

4) *Obſeruationes et calculi pro oppoſitione iouis et ſolis* d. 6. apr. 1768. Auctore Cl. IEAURAT. p. 91.

5) *Commentarius de oppoſitione iouis obſeruata* 1768. *in eius limite meridionali*, a Cl. DE LA LANDE. p. 93.

6) *Obſeruatio eclipſis lunaris* d. 4. ian. 1768. a Cl. CHAPPE D'AUTEROCHE facta. p. 96.

7) *Nouae methodi analyticae computandi eclipſes ſolares cet. Comm. VI.*, *quo aequationes prioribus demonſtratae ad ſolutionem plurium problematum* p. 97.

 aſtro-

aſtronomicorum applicantur. Auctore Cl. DU SEIOUR.

p, 207. 8) *Commentarius de caſu irreducibili.* Auctore EODEM.

p. 209. 9. *Commentarius de methodo reſinam elaſticam Cayanenſem* Caoutchac *dictam diſſoluendi eamque iterum ex hac ſolutione, natura eius non mutata, obtinendi.* Auctore Cl. MACQUER. Alio loco *) iam monuimus Cl. HERISSANT et MACQUER reſinam elaſticam, quae in America auſtraliore ad ripas fluvii Amazonum ex cortice arboris cuiusdam exſudat**), ope olei animalis DIPPELII, olei terebinthinae rectificati cet. in mollem maſſam redegiſſe. Vlteriora vero tentamina Cl. Auctorem docuerunt, plenariam ſolutionem eius ab aethere vitriolico praeſtari, et ſolutioem illam, ſi penicillo modulo illinitur, promte exſiccari, laminamque hac ratione obtineri tenuem, elaſticam, omnibusque qualitatibus reſinae praeditam.

p. 218. 10. *Obſeruationes de circulatione aeris per metallifodinas, et de mediis, eam ibidem obtinendi* Comm. I. Auctore Cl. IARS. Notum intereſt omnes, quanta e libero aurae tranſitu per metallifodinas commoda enaſcantur, inter quae maximum eſt, quod eae non facile alio modo repurgari poſſint a vaporibus noxiis, qui maximas ſaepe foſſoribus calamitates afferunt. Obſeruauerat Cl. IARS, dum in itinere per Angliam, Germaniam et Hungariam verſaretur, complura, quae ei viam ad accuratiorem theoriam circulationis aurae munirent, cuius primas lineas

*) vid. hiſt. de l'Acad. des Scienc. 1763. p. 49. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 467.

**) vid. comment. noſtr. Vol. VI. p. 255.

neas hac tractatione adumbrauit magis, quam expreſſit. Summa rei huc redit. In cuniculum ſub terra actum incidat puteus ſpiritalis, ad perpendiculum demiſſus. Iam vtrique extremae parti cuniculi, incumbit columna aeris, et ea quidem pari pondere, ſi calor exterioris aeris idem eſt, cum eo, quem loca ſubterranea conſtanter ſeruare ſolent, qui eſt decem graduum thermometri Reaumuriani: quare hoc ſi accidit, nullus aurae motus in cuniculo ſentiri poterit, quem eo tempore foſſores ſolent, accenſo in fodinis igne aut fornace Lehmanniana, excitare. Si vero tempeſtas fuerit aut frigidior aut calidior, tum hae columnae ſunt diuerſi ponderis, altera, nimirum ad introitum cuniculi tota, altera pro parte tantum, aere exteriore, pro reliqua vero parte eo conſtat, qui puteo ſpiritali ineſt, qui diuerſum ab exteriore calorem ſeruat, adeoque diuerſo etiam pondere premit. Quo fit, vt altera columna ſemper alteri cedat, et continua aurae agitatione fodinas repurget, quod accidit hieme et aeſtate, ita tamen, vt, vbi per hiemem aura exiit, ibi per aeſtatem ingrediatur. Sunt etiam, qui, effoſſis pluribus puteis multum ſe effecturos credant. Quilibet viderit neceſſe eſt, ad obtinendam ea ratione auram, per fodinas ſpirantem, opus eſſe, vt horum puteorum introitus ſint diuerſae ſupra horizontem altitudinis, ne columnae aereae, iis incumbentes, ſint eiusdem ponderis. Facile id quidem fieri poteſt ſubter ſolum paullo accliue, non autem ſub plano et ad horizontem parallelo: vnde euenit nonnunquam, vt magnis ſumtibus, incaſſum impenſis, et tempus et opera perdatur, vt Schemnitii in Hungaria accidiſſe, Cl. Auctor refert. Suadet vero, vt tum potius alterutri puteo turris rotunda imponatur, aut fornax Lehmanniana applicetur, vt vel in turri, ad certam altitudinem exſtructa, aer in eodem calore

conſerue-

conſeruetur, quo eſt in metallifodinis, vel igne in fornace accenſo incaleſcat, et interioris aeris cum exteriore aequilibrium tollat. Tradit denique nonnulla artificia, quibus aurae circulatio in cuniculo vltra eum locum, in quem puteus ſpiritalis demiſſus eſt, poſſit promoueri, aut etiam in puteum, profundius actum, propagari: quod fit ope tignorum, arctiſſime iunctorum, quae alioquin exportandis aut euehendis lapidibus inſeruiunt, quibus cuniculus in duas partes diuiditur, communicatio vero aeris per puteum ſpiritalem intrantis cum exteriori ope ianuae in ſuperiori cuniculi parte intercluditur, ita, vt tantum per inferiorem ſub tignis pateat, quae cum nonniſi in vltima parte cuniculi aperta ſit, aurae neceſſitatem imponit, per totam fodinam tranſeundi.

p. 229. II. *Obſeruationes de circulatione aeris per metallifodinas, et de mediis eam ibidem obtinendi* Comm. II. Auctore EODEM. Agitatur de calamitatibus, e vaporibus noxiis exortis, praeſertim in Anglia, vbi in Cumbriae comitatu prope vrbem, quae *White-haven* dicitur, inſunt in lithantracum fodinis vapores, qui ex ardentis candelae flamma ignem concipiunt, quo ſaepe per ingentem aeris extenuationem, et magis etiam per repentinum eiusdem reditum magna hominum copia necata eſt, quorum multi flamma aduſti, multi etiam ſola aeris compreſſione ſuffocati ſunt, nulla in eis reperta nota, quae ab igne inuſta videretur, corporibus etiam triduum fere calorem vitalem ſeruantibus. Refert praeterea, ad vrbem *Workington* eſſe veteres et iam neglectas lithantracum fodinas, quae tantam talium vaporum, inflammabilium in denſas maſſas coactorum copiam alerent, vt propoſitum etiam fuerit, eos in vrbem ducere, vt nocturno tempore, admota lampade, accenſi per plateas lumen praeberent.

rent. Commendat denuo ea, quae in priori commentario communicauerat, artificia, ſuadetque, vt tubi pro aeris circulatione conſtruantur quam ampliſſimi. Obſeruaſſe ſe etiam refert aliud vaporum ſubterraneorum genus, quod flammam non conciperet, attamen aerem redderet tam moleſtum, vt ſaepe, intercluſo ſpiritu, foſſores necarentur, quale factum eſſe ait in confiniis Cumbriae et Northumbriae.

12. *Annotationes de tranſitu veneris* 1769. *obſeruato*, a Cl. DE LA LANDE. p. 236.

13. *Obſeruationes aſtronomicae factae pro determinanda longitudine Maniliae* a Cl. GENTIL. p. 237.

14. *Obſeruationes de motu argenti viui in barometris, quorum tubi ſunt diuerſarum diametrorum, et diuerſa ratione repleti*, a S. V. Romanae eccleſiae Cardinali DE LUYNES. p. 247.

15. *Iter, iuſſu Regis ſuſceptum, ad ſitum capitum Finis terrae et Ortugalliae aſtronomicis obſeruationibus determinandum* a. 1751. Sectio I. *quae hiſtoricam de itinere relationem continet*, Auctore Cl. DE BORY. p. 270.

16. *Commentarius de elementis variationis inclinationis, et de libratione nodorum ſecundi ſatellitis iouialis*, Auctore Cl. MARALDI. p. 298.

17. *Series diſquiſitionum de motibus axeos planetae cuiuslibet, ſuppoſita meridianorum eius diſſimilitudine*, auctore Cl. D'ALEMBERT. p. 332.

18. *De*

p. 385. 18. *De maxima inclinatione orbitae lunaris ad planum eclipticae, et de parallaxi huius ſideris.* Comment. I. Auctore Cl. LE MONNIER.

p. 389. 19. *Commentarius de mechaniſmo ruminationis et natura vel temperamento ouium*, Auctore Cl. D' AUBENTON. Egregio hoc commentario Cl. Auctor modum, quo ruminatio in oue inprimis fieri ſolet, deſcribit, eaque, quae hac de re ab aliis dicta ſunt, vel quae ipſe in BUFFONI *hiſtoria naturali* variis in locis expoſuit, emendat. Ex herba maſticata in ore bolus formatur, qui ſaliua madefactus per oeſophagum ad rumen (*la panſe*) deſcendit. Rumine repleto, ruminatio peragitur, quae ex Cl. Auctoris obſeruatione voluntaria actio eſt. In ea, parua cibi portio maſſae, in rumine contentae, reticulum (*le bonnet*) intrat, quod vulgo vt receptaculum amplum, in interiore ſua ſuperficie reticulatum, deſcribitur. Ex Noſtri vero obſeruatione contractum fere ſemper eſt, vt diameter eius vnum tantum pollicem aequet, rugaeque retis contracti eminentias paruas tantum referant, inter quas ſinus ſunt ſero limpido copioſo repleti. Hoc, ſi huius receptaculi parietes diſtrahuntur, diſparet, rugis vero ad ſe inuicem compreſſis, iterum de nouo exſudat, et cum bolo, qui ſurſum, quo ſecunda vice maſticetur, pelli debet, miſcetur. Eundem vſum in dromedario ſingulare illud receptaculum praeſtat, quod Cl. D' AUBENTON olim *) deſcripſit, in quo vulgo aquam aſſumtam ſeruari putant, quo ea, potus quaſi loco, animal hoc per ſiticuloſa deſerta iter faciens ſiti vrgente vti poſſit. Bolus vero, per contractionem reticuli ſurſum pulſus et de nouo manducatus ſecunda deglutitione iterum deſcendit. Quo vero rumen et reticulum non ingrediatur, ſed ſtatim ad omaſum

*) Hiſt. nat. T. XI. p. 252 ſq. comm. Vol. XIII. p. 190.

omaſum (*feuillet*) ceu tertium ventriculum tranſeat, muſculus aliquis, fuſius hic deſcriptus, aditum ex oeſophago ad priores duos ventriculos claudit. Ex hactenus propoſitis inprimis vero ex explicatione vſus ſeri, in reticulo contenti, varias regulas Cl. Auctor deducit, quae ad curam ouium in vniverſum ſpectant. Docet vero primum parcum tantum potum ouibus porrigendum eſſe, cum diu eo carere queant, et aqua nimis copioſe hauſta plurimos morbos producat. Deinde tam argumentis, quam experimentis probat, ſudorem ouibus noxium eſſe, easque per omnem hyemem in aere libero, ſine vlla noxa viuere poſſe, nec, quo ſtabulis includantur, opus eſſe.

20. *Obſeruationes aſtronomicae factae ſub meridiano* $0^h\ 13\frac{1}{2}$ *Pariſienſi occidentaliori* a Cl. LE MONNIER. p. 399.

21. *Obſeruatio iouis ſoli oppoſiti* a. 1768. a Cl. BAILLY *facta.* p. 415.

22. *Commentarius de antliis hydraulicis.* Auctore Cl. DE LA BORDA. p. 420.

23. *Commentarius de elementis orbitae ſaturni.* Auctore Cl. DE LA LANDE. p. 432.

24. *Commentarius de conſtructione araeometrorum ad explorandam liquorum ſpirituoſorum praeſtantiam, ad commercia cum iis, ac iura circa eos conſtituta vtilium.* Auctore Cl. DE MONTIGNY. p. 435.

25. *Additamenta ad commentarium* 1734. *editum de curuis tautochronis.* Auctore Cl. FONTAINE. p. 460.

26. *Obſer-*

p. 471. 26. *Obſeruationes botanico meteorologicae*, a Cl. DU HAMEL *in arce* Denainuilliers a. 1767. *factae*.

p. 501. 27. *Diſquiſitio de aequatione centri iouis, et quibusdam aliis theoriae eiusdem planetae elementis.* Auctore Cl. BAILLY.

p. 520. 28. *Noua experimenta circa combinationem acidi tartari cum antimonio.* Auctore Cl. DE LASSONE. Experimenta haec probant, acidum tartari longe maiorem copiam reguli antimonii ſoluere, quam in vulgari tartaro emetico continetur; antimonii ope tartarum magis ſolubilem reddi, acidum tartari ita cum regulina parte antimonii miſceri poſſe, vt, adiecto alcali fixo, coniunctio haec non diſſoluatur; ſal medium, ex acido tartari et alcali fixo paratum, antimonium egregie ſoluere, et hac ratione ſal medium antimoniale obtineri cet. Vtitur vero Cl. Auctor inprimis hepate antimonii vel antimonio diaphoretico, et duabus partibus vnam partem cremoris tartari addit, eaque inter ſe, ebullitionis ope, miſcet, atque exinde ſalia gummoſa (*ſels gommeux*) obtinet, quae ex acido tartari, alcalina parte hepatis antimonii vel antimonii diaphoretici non abluti et regulina parte conſtant. Alcali nullo addito, ſal quoque obtentum non gummoſum eſt. Acidorum quoque mineralium ope, calx metallica antimonii ita mutari poteſt, vt cum acido tartari ſe copioſe coniungat, qua tamen ratione gummoſum ſal nunquam efficiet. Acidum vero tartari, ſali ſedatiuo miſtum, vitrum antimonii egregie ſoluit, et gummoſum ſal conſtituit. Reliqua experimenta omittimus, omnibusque, qui chemicis experimentis laborem impendere ſolent, vlteriora hac in re tentamina commendamus, quo ſalium harum natura et in arte medica efficacia, de qua optima quaeque exſpectanda ſunt, vlterius pateat.

29. *Expe-*

29. *Experimenta ad cognoſcendam lignorum firmitatem inſtituta*, a Cl. DV HAMEL. Quod obſeruatum iam eſt ab aliis, ligna, quibus ad exſtruenda aedificia vtimur, noſtro tempore non eſſe tam firma et ſtabilia, quam ſub huius ſeculi initia fuerunt, id etiam Cel. DV HAMEL his experimentis iterum condocefactus eſt. Praeter eam cauſam, quam alii iam in frigore hiberno a. 1709. quaeſiuere, ille adiungit eam, quod noſtris temporibus mos inualuerit, caedendi arbores e ſyluis, neglecta nouarum ſatione, quo fieret, vt pleraeque ſyluae arboribus conſtarent, quae ex caeſarum truncis progerminaſſent. p. 534.

30. *Commentarius II. de pluribus rebus, ad hiſtoriam naturalem et mineralogiam pertinentibus*, auctore Cl. MONTET *). Varias continet obſeruationes inprimis vero mineralogicas, quas Cl. Auctor in itinere per montes Cemmenis (*Seuennes*) inſtituit. Plurimae ex his ad varias granitis ſpecies ibidem reperiundas ſpectant. In fine modus, quo caſtaneae in his terris exſiccantur, fuſius deſcribitur. p. 538.

*) vid. Mém. de Paris 1762. p. 632. comment. noſtr. Vol. XV. p. 476.

VII.

A treatiſe ou mineral waters, in two Volumes, by DONALD. MONRO, M. D. phyſician to his Majeſty, and to St. Georg's Hoſpital, F. R. S. London by D. Wilſon and G. Nicol, in the Strand, and T. Durham, Charingcroſs. 1770. 8. Vol. I. pl. 30. Vol. II. pl. 28.

i. e.

Tractatus de aquis mineralibus, Auctore DONALD MONRO. M. D.

Quemadmodum Cl. ZÜCKERT *) deſcriptionem ſyſtematicam omnium fontium medicatorum Germaniae dedit: ſic Cl. MONRO amplius ſe extendit, et delineationem aquarum mineralium totius Europae in ſe ſuſcepit. Fateri tamen debemus, eum id non praeſtitiſſe, quod alter effecit: fortaſſe quod campum multo ampliorem, et nondum ſatis laboratum prae ſe habuit. Omiſit enim quod Germaniae quidem aquas attinet, non ſolum nonnullas, ſed, quod maximum eſt, ignorauit quoque recentiſſimos, interdum optimos, huius vel illius fontis ſcriptores, vti ex Cl. ZÜCKERT ſyſtematis collatione facile cognoſci poteſt. Hoc certe non factum eſſet, ſi Cel. HALLERI modo bibliothecam hydrographicam, quam BOERHAAVE *methodo ſtudii medici Amſtelodami* 1751 editae **) adiecit, conſuluiſſet Cl. Auctor. Hanc notam tantum de fontibus mineralibus Germaniae valere volumus: interim tamen ſuſpicio nobis inde orta eſt, de ceterarum terrarum fontibus idem metuendum eſſe. De aquis autem mineralibus Angliae, Scotiae et Hiberniae non dubitamus, quin nobis perfectiſſimam

mam

*) Conf. comment. noſtr. Vol. XVII. Part. *I. p. 78.*

**) pag. 92. et 1010.

mam exhibuerit hiſtoriam, et indicem ſcriptorum nouiſſimorum ſatis locupletem. Quilibet inde perſpiciet, illa nos ſupra non monuiſſe, vt taxaremus Cl. Auctorem, labor enim ſuus omnem laudem meretur, ſed vt doceremus, quam difficile eſſet, vniuerſale ſyſtema aquarum mineralium totius Europae audere, atque condere. Antea enim, quam tale expectare poſſumus, neceſſe eſt, vt indigenae ſuarum terrarum atque regionum aquarum medicatarum ſpecialem hiſtoriam praemittant. Tunc certe non deerunt alii, qui haec omnia colligant, et vniuerſale exſtruant ſyſtema. His praemiſſis, in viam reuertimur.

Totum opus in *duo* diuiſum eſt volumina, quae rurſus in *tres* ſubdiuiſa ſunt partes; quarum duas *primum* volumen, *alterum* autem vnam continet. Pars *prima*, quae generalia circa aquas minerales tantum praemittit, *tria* habet capita. *Primum* agit p. 1.
de aqua in genere, eamque in meteoricam, ſit venia verbo, et terreſtrem diuidit, qua occaſione ſimul in proprietatem aquae ſpecialius inquirit. *Se-* p. 15.
cundum caput explicat diuerſas partes, quibus aquae minerales impraegnatae ſunt. Hae ſunt 1. ſalia, quae vel acidae, vel alcalinae, vel neutrius ſunt indolis; 2. inflammabilia, quo pertinent olea foſſilia, p. 24.
et ſulphur: 3. metalla, vt ferrum et cuprum. 4. p. 37.
terrae diuerſae, quae vel in aquis tantum ſunt ſuſpenſae, vel perfecte ſolutae. Huc refert Cl. Auctor ſalem calcarium GLAUBERI, alumen, ſelenitem, et gypſum. Solidis partibus aquarum mineralium alii p. 43.
ſcriptores adhuc adnumerarunt ſpiritum illum ſubtilem mineralem, qui aquis mineralibus dat ſaporem acidulum, vinoſum, titillantem, et vaporibus, prope aquas minerales exhalantibus, vim ſuffocantem. Hunc vero numero eximit, quia ſiſti non

p. 46. poteſt. Caput *tertium* exponit methodum detegendi partes, in aquis mineralibus contentas, quod quintuplici via fieri poſſe contendit: 1. miſcendo cum aqua minerali tincturas vel infuſiones vegetabiles, quae diuerſos exhibent colores, prout materiae in aquis contentae variant: 2. addendo aquis mineralibus talia corpora, quae habent maiorem attractionem, vel affinitatem cum aqua, vel cum acido in aqua contento, quam corpora mineralia, in ea iam ſuſpenſa: 3. ſaturando aquam cum aere fixo, vel aerem extrahendo, quo partes contentae, ſiue ſint ſolutae, ſiue ſuſpenſae, pondere cadant: 4 deſtillando vel exhalando aquas, cum ad partes volatiles capiendas, ſi quasdam contineant, dum adfigendas fixas, et ad examinandam earum naturam: 5. exponendo aquas aeri libero, quo partes contentae ſe ſponte ſeparent.

p. 72. Diuidit tunc aquas minerales in frigidas, et calidas. Frigidas pertractat Pars *ſecunda* et calidas abſoluit *tertia*. Singula pars ſuas habet ſubdiuiſiones, ſub quibus aquas ſecundum contenta ordinat. Vt Cl. Auctoris ſyſtema melius cognoſci, et in totum introſpici queat, ſicut cum Cl. ZÜCKERTI ſyſtemate fecimus, omnem eius conſpectum, quem in peculiari tabula operi praemiſit, adiiciemus. Retinebimus autem, vt melius intelligamur, fontium et locorum nomina peregrina, niſi eorum nomina latina aliunde iam nota ſint: ſiquidem multa ex BACCII *tractatu de thermis*, quem Cl. Auctor ſaepe citat, mutauimus.

Aquae minerales ſunt, vel frigidae vel calidae.
Ordo I. Frigidae ſunt vel
Claſſ. I. Sale impraegnatae; et quidem
Cap. I. Vel acido, vt
In Italia, prope
Laterae oppidum, in Patrimonio Petri,

Seluenae

Seluenae oppidum,
Siculae, in Sicilia.
II. Vel alcali foſſili, vt
In Anglia,
Tilbury, in Eſſexia
Cliffton, in comitatu Oxonienſi.
Glaſſenbury, in Sommerſetia.
In Hibernia,
Tober Bony, prope Dublini vrbem
Carrickmore, in comitatu Cauan.
St. Bartholomaei fons, prope Corcagiae vrbem,
Cape Clare, in regione meridionali Hiberniae.
In Germania,
Selteranae, in Archiepiſcopatu Freuirenſi,
Buchenſes, in Bohemia, prope thermas Carolinas,
Heilsbronnenſes, in Marchionatu Onoldino,
Wildungenſes, in comitatu Valdecenſi,
Antonianae, in Archiepiſcopatu Colonienſi,
In Gallia,
La Marquiſe, in Delphinatu,
De Pouges, in Ducatu Nevers,
St. Mion, in Comitatu Aluerniae,
St. Floret, in eodem comitatu,
Pontgibault, ibidem,
De Joſſe, ibidem,
St. Arban, in prouincia Forenſi
De Pont de Cameret, in Occitania.
Cap. III. Vel vero ſale GLAUBERI. *)
IV. Vel Nitro,
V. Vel ſale marino,
Sect. I. Aqua marina,
II. Aquae admodum ſalſae,
III. Debiliores ſalſae, et multo ſale calcario GLAUBERI impraegnatae,

*) Neque hoc, neque ſub ſequente capite fontes nominat Cl. Auctor.

In Anglia,
Barrowdale, in Cumbria,
Leamington, in Verovico,
New Cartmal, vel Rougham, in comitatu Lancaſtrenſi,
St. Eraſmi, in Staffordia,
Cargyrle, in Vallia,
Dorfshill, in Staffordia.
In Hibernia,
Carrickfergus, in comitatu Antrim,
Killraat, ibidem,
Mahereberg, in comitatu Kerry,
Dublinenſes.
In Germania,
Hornhauſenſes, in principatu Halberſtadenſi
Ratzebergenſes, in Ducatu Magdeburgenſi
Creutzbergenſes, in Thuringia.
In Gallia,
D'Availles, in prouincia Pictauienſi,
Vezellay, in Burgundia,
St. Pierre de Clermont, in comitatu Aluerniae.
Chaſtelguyon, ibidem.
In Heluetia,
Schuls, in Rhoetia,
Cap. VI. Vel ſale calcario GLAUBERI, et ſale marino,
In Anglia,
Alford, in Sommerſetia,
Dulwich, in Cantio,
Holt, in Wiltonia,
Stretham, in Surria,
Dog et Duck, ibidem.
Kinalton, in Nottinghamia,
Sydenham, in Cantio
Moreton - See, in Salopia
Hanlys, ibidem,

Comner,

Comner, prope Oxoniam vrbem,
Pancras, in Middleſexia,
Baynigge, ibidem,
Barnet, in Herfordia,
Nord Hall, ibidem,
Acton, prope Londinum vrbem,
Epſom, in Surria,
Alkerton, in Gloceſtria,
Ball, vel Bandwell, in comitatu Lincolnienſi,
Landrindod, in comitatu Rodnarienſi, in Vallia meridionali,
Kenſington, in Middleſexia,
Richmond, in Surria,
Colcheſter, in Eſſexia,
Brentwood, ibidem,
Upminſter, ibidem.
In Hibernia,
Carrickfergus, in comitatu Antrim,
In Germania,
Sedlizenſes, in Bohemia,
Seydſchuzenſes, ibidem.
In Hungaria,
Neoſolienſes,
Schemnitzenſes.
Cap. VII. Vel ſale calcario GLAUBERI,
In Germania,
Ceicienianus lacus, in Morauia.
In Siberia,
Tuſtucul lacus.
Claſſis II. Vel oleo foſſili aut ſulphure:
Cap. I. oleo foſſili,
In Italia,
In Mutinenſi Ducatu, verſus montes Apenninos,
in Bononienſibus montibus.
In Perſia.

Backu, in oris maris Caſpii.
In Inſula Sumatra,
In Tranſyluania,
Megiers, prope Danubum,
Hermanſtadienſes,
In Polonia,
in Cracouienſi Palatinatu.
In Anglia.
Pitchford, in Salopia,
Broſely, ibidem,
Wigan, in comitatu Lancaſtrenſi.
In Scotia,
Liberton, in comitatu Midlothiano.
In Heluetia,
Valtalinae, in prouincia Griſonum,
Diemtigen, in pago Bernenſi.
In India occidentali,
Barbados,
In Gallia,
Gabian, in Occitania,
Plombieres, in Lotharingia,
In Belgio Gallico,
Douay, in comitatu Flandriae,
In Germania,
Waldsbornenſes, in Alſatia.
Cap. II. Sulphure,
Sect. I. Sulphure et alcali natiuo, ſeu natro,
In Anglia,
Sutton Bog, in Oxonienſi comitatu
Wiggleswor th, in Eboraecenſi,
Chadlington, in Oxonienſi,
Bilton, in Eboracenſi,
Quin Camel, in Sommerſetia,
Nottington, in Dorſetia.
In Hibernia,
Drumgoon, in comitatu Fermanagenſi,
Swadlingbar,

Swadlingbar, in comitatu Cauan,
Derryleſter, ibidem,
Liſbeack, in comitatu Fermanagenſi,
Killasher, ibidem,
Mechan, ibidem,
Ashwood, ibidem,
Derryhence, ibidem,
Drumanaue, in comitatu Leitrim,
Anaduff, ibidem,
Aphaloo, in comitatu Tyronenſi.
In Gallia,
Fonſanche, in Occitania.
Sect. II. Sulphure et vero ſale GLAUBERI,
In Hiſpania,
Vacia Madrid, prope Madritum vrbem.
Sect. III. Sulphure, et ſale marino,
In Anglia,
Harrigate, in comitatu Eboracenſi,
Mandsley, in Lancaſtrenſi,
Circkle Spaw, ibidem,
Braugthon, ibidem,
Shattlewood, in comitatu Derbicenſi,
Keddleſtone, ibidem,
Durham, in Northumbria,
Wardrew, ibidem,
Shipton, in comitatu Eboracenſi,
Rippon, ibidem,
Liandrindod, in Vallia meridionali.
In Scotia,
Moffat, in Anandia,
Carſtarphin, prope Edenburgum vrbem,
In Germania,
Francofurthenſes ad Moenum,
Bielfeldenſes, in Weſtphalia.
Sect. IV. Sulphure et ſale calcario GLAUBERI,
In Anglia,

Askeron,

Askeron, in comitatu Eboracenſi,
Croft, ibidem,
Cawley, in comitatu Derbicenſi,
Counley Houſe, in Lancaſtrenſi,
Buglawton, in prouincia Ceſtrenſi,
Loansbury, in comitatu Eboracenſi,
Normanby, ibidem,
Shapmoor, in Weſtmeria,
Upminſter, in Eſſexia,
Codſalwood, in comitatu Straffordienſi,
Wicksworth, in Derbicenſi.

In Hibernia,
Derrindaff, in comitatu Cauan
Owen Breun, ibidem,
Pettigae, in comitatu Donegal.

In Germania,
Neulandenſes, in Sileſia,
Werſigauenſes, ibidem,
Reutlingenſes, prope Tubingiam oppidum, in Ducatu Wurtembergico,

In Gallia,
Cronſac, in Aquitania.

Sect. V. Sulphure, incertae tamen, ad quam claſſem referendae.

In Italia, ad
Ardeam oppidum, in Campania Romana, et ad
Baias, et Puteolos, in Neapoli,
Borra, in agro Senenſi,
Agnano, in agro Piſano,
St. Marini, in valle prope montes Apenninos,
Sub Carpo, ibidem,
Viterbienſes, in Hetruria.

In Heluetia,
Coria, in pago Tigurino,
Simia, in Bernenſi
Anders, prope Rheni ſcaturiginem.

In Germania,

Ferinae aquae, in Ducatu Wurtembergico,

Villingenſes, in Sueuia,

Wattweyl, in Alſatia ſuperiore.

Statina, in Morauia,

Buchlouia, ibidem,

Petrouia, ibidem.

Korytna, ibidem.

Claſſis III. Vel materia metallica,

Cap. I. Cupro,

In Hibernia,

Ballymurtagh, in comitatu Wicklow.

Cronebaum, ibidem.

In America, in

Penſiluania,

In Germania,

Neoſolienſes, in Hungaria,

In Gallia,

Cheiſſy, in regione Lugdunenſi.

Cap. II. Ferro, et quidem.

Sect. I. Vitriolo martiali,

In Anglia,

Shadwell, prope Londinum vrbem,

Weſtwood, in comitatu Derbicenſi,

Swanzy, in Vallia

Haigh, in comitatu Lancaſtrenſi.

In Scotia,

Hartfell, in Anandia,

In Hibernia,

Crosſtown, in Waterfordia,

Nobber, in Media,

Cashmore, in Waterfordia.

In Gallia,

Vahls, in Delphinatu.

In Ruſſia,

Olonez, in principatu Nouogardiae,

In

In Hiſpania,
Rio Tinto, in prouincia Andaluſiae,
Sect. II. Terra ochracea, et pauca materia ſolida,
In Anglia,
Hampſtead, in Middleſexia,
Carlton, in comitatu Nottinghamenſi,
Islington, in Middleſexia,
Leez, in Eſſexia,
Marks Hall, ibidem,
Felſtead, ibidem,
Wellenbrow, in Northamtonia,
Aylesham, in Norfolcia.
Maluern, in Gloceſtria,
Harrigate, in Comitatu Eboracenſi,
Birmingham, in comitatu Varuicenſi,
Cannock, in Straffordienſi,
Moſs Houſe, in Lancaſtrenſi,
Wigan, ibidem,
Sene, in Wiltonia,
Kernkey, in Cornubia,
Llandrindot, in Vallia meridionali.
In Scotia,
Peterhead, in comitatu Aberdoniae,
Glendy, in comitatu Mairns,
Aberbrothock, ibidem,
In Hibernia, ad
Coolauran oppidum, in comitatu Fermangenſi,
Ballycaſtle, in comitatu Antrim,
Glanmile, prope Naul oppidum,
Kanturk, prope Carcagiam vrbem,
Dunnard, prope Dublinum,
Wexford, in Lagonia,
Ballyspellan, ibidem,
In Gallia,
Carenſac, in prouincia Rutinenſi,

La

La Rogne, et Daniel, in Occitania,
Prouins, prope Lutetiam Pariſiorum vrbem,
De Pouge, in regione Neuernenſi,
De Chartres, prope Baucium oppidum,
St. Paul de Rouen, in Normannia,
Bourberouge, ibidem,
Pont Normand, ibidem,
Montbosque, ibidem,
Hebereuon, in Burgundia,
Apougny, ibidem.
In Hiſpania,
Toletenſes, in Caſtella noua,
Valentiola, in epiſcopatu Toletenſi,
Almagra, in prouincia Caſtellenſi, et ad
Bolagnum pagum, ibidem.
In Italia, et quidem ad
Recobas oppidum, in regione Vicentina
Piceni, in regno Neapolitano, et ad
Baias, ibidem, et in
Illua inſula, in lacu Tyrrhenio.
In Germania,
Radebergenſes, prope Dreſdam vrbem,
Lauchſtadienſes, in Miſnia,
Bebranae, in Thuringia,
Freyenwaldenſes, in Marchia,
Wiſenbergenſes, *) in Franconia,
Helmſtadienſes, in ducatu Brunſuicenſi,
Polzinenſes, in Pomerania,
Fürſtenauenſes, prope Brunſuicum vrbem,
Stadthagenſes, in comitatu Schaumburgenſi,
Goeppengamenſes, in ducatu Wurtembergico,
Iebenhuſanae, ibidem,
Stebenſes, in Franconia, et ad
Nezdenice pagum, in Morauia, et ad
Zaharouice villam ibidem, et ad
Suchaloza pagum, ibidem,

Ferinae

*) Fortaſſe Weiſſenburgenſes.

Ferinae aquae prope Norimbergam vrbem,
Aquae nonnullae minerales in Sueuia,
— — — in Ducatu Wurtembergico,
— — — in Alſatia,
— — — ad Moſellam fluvium,
— — — in Archiepiſcopatu Colonienſi,
— — — in Archiepiſcopatu Treuirenſi,
— — — in principatu Hanovienſi.

In Hungaria, ad
Newlublon oppidum,

In Pruſſia, ad
Ottlauiam oppidum, prope vrbem Marienwerder.

Sect. III Alcali natiuo,

In Anglia,
Ilmington, in comitatu Verouico,
Thetford in Nortfolcia,
Lincomb, in Sommerſetia,
Road, in Wiltonia,

In Hibernia,
Lis-doone-varna, in Connazia,
Maccroomp, prope Corcagiam vrbem,

In Gallia
Abcourt, prope Fanum St. Germani,

In Germania,
Kukenſes, in Bohemia,
Lignicenſes, in Sileſia,
Brabacenſes in comitatu Naſſouico,
Sulsbacenſes, in Alſatia,
Scollienſes, in Heluetia,
Spadanae, in epiſcopatu Leadenſi.

In

In Italia, ad
Brandolae Caſtellum, in ducatu Modenenſi
Sect. IV. et ſale marino,
In Anglia,
Cobham, in Surria,
Funbridge, in Cantio,
Buxton, in comitatu Derbenſi,
Millar's-Spaw, in Lancaſtrenſi,
Latham, ibidem,
Tilshelf, in comitatu Derbicenſi
Chippenham, in Wiltonia,
Witham, in Eſſexia,
Lancaſter, in comitatu Lancaſtrenſi,
White Acre, ibidem,
Weſt Ashton, in Wiltonia,
Cawthorp, in Lincolnia,
Derby, in comitatu Derbicenſi,
Weatherslack, in Weſtmeria,
Fillah, in agro Eboracenſi,
Dorſthill, in Staffordia,
Stanger, in Cumbria.
In Scotia,
Dunſe.
In Hibernia,
Caſtleconnel, in Litmerico,
Tralee, in comitatu Kerrienſi,
Granshaw, in Dunenſi,
Newton Stewart, in Altonia,
Galway, in Connacia.
In Gallia,
Forges, in Normannia,
Cadomi (*Caen*) ibidem,
Lanion, in Brittannia minori.
Sect. V. et ſale calcario GLAUBERI,
In Anglia,
Knowsley, in comitatu Lancaſtrenſi,
Burlington, in agro Eboracenſi,

Aſtrope

Aſtrope, in comitatu Oxonienſi,
Couentri, in Varuicenſi,
Bournley, in Lancaſtrenſi,
Townley, ibidem,
Newham Regis, in comitatu Varuicenſi,
Binley, ibidem,
Kingscliff, in Northamtonia,
Thurſk, in agro Eboracenſi,
Hartlepool, in epiſcopatu Dunhelmenſi,
Thoroton, in Nottinghamia,
Orſton, ibidem,
Stenflied, in Lincolnia,
Kirby, in Weſtmeria,
Tarleton, in comitatu Lancaſtrenſi
Malton, in Eboracenſi,
Aſwarbu, in Lincolnia,
Scarborough, in agro Eboracenſi
Cheltenham, in Gloceſtria,
Bagnigne, ibidem,
Stacke, in Surria,
Woodham, in Eſſexia,
Hanlys, ibidem.
In Hibernia,
Athlone, in comitatu Roſcomanenſi,
Mount Pallas, in Vlſtria,
Kilinshanvalli, in comitatu Fermanagenſi.
In Germania
Hoffgeismarienſes aquae, in Haſſia,
Carbenſes, in Wetterauia,
Schwalbacenſes, in Haſſia,
Pyrmontanae, in principatu Valdecenſi,
Liebenſteinenſes, in comitatu Hennebergenſi,
Tuppauienſes, in Bohemia, et ad
Elſtyrem fluuium, in Variſcia, et ad
Hranicium oppidum, in Morauia,
Erbacenſes inferiores, in comitatu Holacheo.
In Gallia, ad

Paſſy

Paſſy oppidum, prope Lutetiam Pariſiorum vrbem, et ad
Muſſipontum oppidum, in ducatu Lotharingiae,
Sect. VI. et alumine,
In Anglia,
Sommersham, in comitatu Huntingtonienſi.
Sect. VII. et peculiari ſpecie ſalis calcarii GLAUBERI, habiti pro alumine,
In Anglia,
Neuil Holt, in Leiceſtria,
In Hibernia,
Ballycaſtle, in comitatu Antrim.
Sect. VIII. aquae martiales, habentes odorem valde ſulphureum,
In Anglia,
Dedington, in Oxonia,
Drigwell, in Cumbria,
Inglewhite, in comitatu Lancaſtrenſi,
Gainsborough, in Lincolnia,
Thorn Arch, in agro Eboracenſi.
In Hibernia,
Caſtlemaign, in comitatu Kerrey,
Ballynahinch, in comitatu Dunenſi,
In Germania,
Polzinenſes aquae, in Pomerania,
Kupferzellenſes, in comitatu Holacheo,
In Hiſpania, ad
Vianam oppidum, in Gallaecia.
Cap. III. aquae, quae arſenico impraegnatae creditae ſunt.
Claſſis IV. aquae, quae vehunt terram, vel in eis ſuſpenſam, vel ſolutam.
In Anglia,
Newton Dale, in agro Eboracenſi,
Ball, in Lincolnia,
Knaresborough, in agro Eboracenſi

Liangybi, in Venedotia.

In Scotia,

Glevely,

Thelave in Fiſe, prope Edimburgum vrbem,

In Hibernia,

Loggſhing, in comitatu Dublinenſi,

Monaghan, in Vltonia,

Doder, ad ripas fluuii Doder,

Howth, in Comitatu Dublinenſi,

Smiths Quarry, ibidem,

Hermitage, ibidem,

In Gallia,

Beſſe, in Aluernia,

De Chanonat, ibidem,

De Vernet, ibidem,

De St. Pardoux, in prouincia Borbonenſi,

De Traulier, ibidem,

De St. Pariſe, in agro Niuernenſi

Clermont, in Aluernia.

In Italia,

Volteranae aquae in Thuſcia,

In Germania,

Pyrmontanae, in principatu Valdecenſi.

Ordo II. Aquae calidae ſeu thermae, ſunt, vel

Claſ. I. ſalſae, impraegnatae, vel

Cap. I. Acido vel

II. Alcali foſſili.

In Gallia,

Bourbon l'Archambaud, in prouincia Borbonenſi,

Neris, ibidem,

Montd'or, in Aluernia,

Chaudes aigues, ibidem,

Evaux, ibidem,

Sail le chateau Morand, in regione Nauarrae inferioris,

Vic le Comte, in Aluernia,

Vic

Vic en Carladois, ibidem,
Jaude, ibidem,
De Martres de Veyre, ibidem,
In Germania,
Emſenſes, in Wetterauia.
Cap. III. Sale marino.
In Gallia,
Balaruc, in Occitania,
Bourbonne, in Campania,
Bourbole, in Aluernia;
Digne, in prouincia,
Bagnieres, in Vaſconia,
Barbazan, ibidem,
Bourbon Lancy, in prouincia Burgundica,
Evaux, in Aluernia,
D'Encauſſe, in Vaſconia.
In Italia,
Montis Catini, in Hetruria, et ad
Aquarium oppidum, in ducatu Mutinenſi,
Treſcurianae, in ditione Veneta.
Cap. IV. Sale calcario GLAUBERI.
In Italia,
Saccellariae, in inſula Aenaria,
Paganelli, prope Viterbium vrbem in Patrimonio Petri, et ad
Corſeni pagum ſub Lucca, in Hetruria,
St. Philippi, ibidem,
Claſſis II. Oleo foſſili, vel Sulphure.
Cap. I. Oleo foſſili,
In Italia,
Peruſia Auguſtae, in Hetruria,
Petrolei balneum ad Baias, in Campania,
Culma balneum, ibidem,
Puteolis, in Neapoli,
Piceno in agro.
In Aſia,

Tralleis, prope Niſſam vrbem.

In Gallia,

Aigues Caudes, in principatu Bearniae

Plombieres, in ducatu Lotharingiae.

Cap. II. aquae calidae, habentes odorem valde ſulphureum: et in quibus alcali natiuum praedominatur.

In Germania,

Aquisgranenſes thermae, in ducatu Iuliacenſi,

Porcetanae, ibidem,

Chaude fontaine, in epiſcopatu Leodenſi.

In Italia,

Valderianae, in principatu Pedemontii.

Cap. III. quae continent ſalem marinum.

In Gallia,

Bareges, in Vaſconia,

Patauinae, in ditione Venetae.

In Germania,

Hercyniae, (*Baden - Baden*) in circulo Sueuico,

Cap. IV. Salem calcarium GLAUBERI.

In Luſitania,

Caldas, in Extremadurae prouincia.

Cap. V. aquae calidae ſulphureae, nondum ſatis examinatae.

In Flandria,

St. Aimand, in comitatu Flandriae.

In Gallia,

D' Ax en Foix, aquae auguſtae, in Vaſconia.

In Germania,

Bollenſes thermae, in ducatu Wurtembergico.

Badenſes, in Auſtria,

Mannersdorfenſes, ibidem,

Landeckenſes, in Sileſia,

Loſſinenſes, in Morauia.

In Hungaria,

Frencinenſes, in comitatu eiusdem nominis,

Dotis,

Dotis, prope Comoranii vrbem, ibidem,
Banka, ibidem,
Bolnitz, ibidem,
Stuben, prope Neuſolium vrbem, ibidem,
Eiſenbachenſes, ibidem,
Budenſes, in Hungaria inferiore.

In Heluetia,
Montis Adulae, in ditione Griſonum,
Badeniae, in pago Tigurino,
Brigianae, et Leuckenſes, in Valleſia, et ad
Abodiacum caſtellum, ibidem,
Henderegge, ibidem,
Falaris, in pago Griſonum.

In Italia,
St. Mariae balneum, in Romandiola Flaminia,
Sinveſſa, in regno Neapolitano, et ad
Tyberis fluuii ripas, in Patrimonio Petri,
Volteranae, in Thuſcia,
Albulae aquae, in Campania Romana,
Stygianae, in Etruria,
Bullicanum balneum Viterbii, in Thuſcia,
Caiae aquae, in Viterbienſi, ibidem,
Rapolanum, ibidem,
Montis Alceti, ibidem,
Saturniae balnea, in Thuſcia, et ad
Vinadum caſtrum, in principatu Pedemontano,
Stae Euphemiae oppidum in Calabria, et in
Piceno, in Patrimonio Petri, et ad
Forum Iulium (*Friaul*) in ditione Veneta,
Ciuitatis aquae (*Aix*) in ducatu Mediolanenſi,
Petrioli, in Hetruria, et ad
Baias, in regno Neapolitano,
Auernilacus, ibidem, et ad
Puteolos, (*Puzzoli*) ibidem.

In Corſica,
Caldanae aquae,

In Sicilia.
Himerae thermae,
Segeſtana balnea,
Salenuntinae thermae.
In Sardinia, inter
Regalis montis, et Sti Giovani caſtellum.

Claſſ. III. Materia metallica.

Cap. I. Ferro, et ſale alcali natiuo, ſeu natro
In Gallia,
Vichienſes, in prouincia Borbonenſi.
In Germania,
Carolinae thermae.

Cap. II. Ferro, et ſale marino.
In Anglia,
Bathonienſes thermae in Sommerſetia,
Matlock in comitatu Derbenſi.
In Germania,
Niederbronnenſes, in Alſatia,
Wisbadenſes, ſeu Mattiacae in comitatu Naſſouienſi.
In Italia,
Auguſtanae aquae (*Aoſta*) in ducato Pedemontano.

Cap. III. Ferro, et ſale calcario GLAUBERI.
In Italia,
Piſanae, in Thuſcia.
Viterbienſes, ibidem.
In Aſtrachanenſi prouincia,
St. Petri thermae.
In Wallachia,
Herculanae thermae, in Dacia.

Cap. IV. Ferro, et odore admodum ſulphureo.
In Germania,
Hirſchbergenſes, in Sileſia.
In Italia,
Porretanae, in finibus Bononiae.

Cap. V.

Cap. V. Ferro ditatae, ſed nondum deſcriptae.

In Italia,

Caldanae, in Piſano,

Petrioli, in Hetruria,

Caldanellae aquae, in comitatu Senenſi,

Macerati, ibidem,

Cantarelli, ibidem,

Viterbii, in Thuſcia,

Ruſellae aquae, ibidem,

Sabatinae, in Patrimonio Petri,

Andredochi aquae, ibidem,

Sancta aqua ſub Aſculo, in Piceno,

Auionis aquae, in Senenſi comitatu,

St. Martini, in Mediolanenſi,

Calderianum balneum, in Veronenſi,

Caſtilionis aquae, in Aenariae inſula,

St. Caſſiani balnea, in Senenſi,

Corſicanae.

In Heluetia, ad

Leack oppidum, in Valleſia,

Claſſ. IV. Terra impregnatae.

In Anglia,

Briſtolienſes, in Sommerſetia,

Buxtonienſes, in Derbienſi comitatu,

In Hibernia, ad

Mallow oppidum, in Corcagia,

In Gallia,

Nectaire, vel Nitaire.

Tarbellicae aquae (*d'ax*) in Aquitania.

In Hungaria,

Budenſes.

Aquae calidae ſimplices, nondum ſpecialiter deſcriptae.

In Gallia,

Premeau, prope oppidum *Nuits*, in Burgundia,

Bardon, prope Moulins oppidum, in Borbo-
nenſi prouincia,
Sextiae aquae ſeu aquenſes, in prouincia, et ad
Vernet villam, in comitatu Ruſcinonenſi,
La Mothe, in Delphinatu,
Dumaine, in Occitania, et ad
Montem Montferran, in comitatu Sault,
Cauterets, prope oppidum Barege,
St. Marci, prope oppidum Clermont,
Aquae bonae (*Bonnes*) in regione Bearne,
Aquae calidae (*Chaudes*), ibidem.

In Hiſpania,
Molygus, in Gallaecia, et ad
Orenſem ciuitatem, ibidem,
Baionenſes, ad fluuium Minium, in caſtella
noua,
Calidae regales, in Gallaecia, et ad
Traelus oppidum, ibidem,
Sibilia in Bethicis, in Andaluſia, et ad
Fitteri pagum, in Nauarra,
Quarcenorum aquae, in Caſtella,
Bagnoles, prope gerundam vrbem, in Cata-
lonia,
Vich, aquae Voconis, ibidem,
Bilbilinatorum aquae, in Arragonia, et ad
Bejar vrbem, in Extremadura, et ad
Alhama oppidum, in Granada,
Bellus, in Valencia,
Tiermas, in Arragonia.

In Luſitania,
Aquae flauiae (*Chaves*), in prouincia Trans-
montana,
Aquae Leae, ibidem,
Vicus aquareus (*Viſeo*) in Beira extrema, et ad
Caldos vicum, in Extremadura,
St. Petri de Aluor, ibidem,

In

In Italia, in
Porcitae inſula,
Aenariae inſula, hodie Iſchia.
In Germania,
Toeplitzenſes in Bohemia,
Balneum ſulphureum dictum, ibidem,
Schlangenbadenſes, in comitatu inferiori Catineliboсenſi,
Ferinae, in ducatu Wurtembergico,
Caſteinenſes, in archiepiſcopatu Salisburgenſi,
Cellenſes, ſeu aquae Hubenſes, in marchionatu Badenſi,
Otterweyerenſes, ibidem,
Badenuillenſes, ibidem, et ad
Wittlich oppidum, in archiepiſcopatu Treuirenſi.
In Heluetia,
Aquae Piperinae, prope Curiam vrbem, in ditione Griſonum,
In Hungaria, nullas ſpecialiter nominat, neque in
In Polonia.
In Graecia, in
Thermiae inſula, in Archipelago,
Melos inſula, ibidem,
Scio inſula, ibidem.
In Aſia,
Pruſſias, in Bithinia,
Smirnae, in Ionia,
Tefflis, in Georgia,
Iapan.
In Islandia.
In America, in
Iamaicae inſula.

VIII.

Relazione ſincera della portentoſa guarigione di un cancro eſiſtente nella mamella ſiniſtra della Signora ANNA PAROLINI di Trento. In Firenze, 1770. Nella Stamp. di S. A. R. per Gaet. Cambiagi. 8 mai. plag. 1½ cum figura aeri inciſa.

i. e.

Sincera relatio de ſtupenda curatione cancri mammae ſiniſtrae, quo ANNA PAROLINI, nobilis femina Tridentina, laborauit.

Relationem hanc Cl. PALUZZI talem exhibet, qualem a peritiſſimo Tridentinorum chirurgo BESDOMINI acceperat. Femina iſta tum, cum haec ſcriberentur, 32 annorum, ante hunc morbum ſana, temperamenti ſanguineo melancholici, fibrae laxae, coloris ſubfuſci, aliquoties tantum affectionibus hyſtericis obnoxia, menſe aprili 1759 quartum puerpera, cum in mamma dextra lactare non poſſet, affluente ad mammam ſiniſtram lacte, tumorem in eadem percepit mollem, nucis auellanae magnitudine, per annum ſubſiſtentem, neque vero lactationem impedientem: ſequenti anno rurſus grauida cum infantem ablactaſſet, tumor ſenſim increuit, et ſenſum quendam prodidit.

Finito puerperio, cicutae extracto in pilulis vti incepit, eius vero vſum ob nouam grauiditatem ſuſpendit, eaque rurſus finita, iterum poſt duos menſes protraxit eundem, ſed ſine leuamine. Ita malum per quatuor ſuccedentes grauiditates ſubſtitit, aegra etiam infantibus ex vna eademque mamma lac absque detrimento praebuit. Tandem menſe februario anni 1768 nouus tumor in ſuperiori eiusdem parte, magnitudine ouum columbinum aequans,

ortus

ortus eſt, verſus axillam ſe extendens, et ſubſequente iterum grauiditate ad ſenſus incrementa capiens. Poſt puerperium, menſe februario ſequentis anni finitum, febricula quaedam certis periodis accedebat: tempore veris tumor iſte mirum iam in modum auctus, cancri occulti et rupturam minantis indicia praebere incipiebat, imo per aliquot menſes ex papilla humor ſubtilis, obſcurus, glutinoſus, lintea inquinans, exſtillabat. Interim per aeſtatem, cum pro curatione palliatiua ſero lactis caprilli, et plantis leniter reſoluentibus et antiſcorbuticis vſa eſſet, tumor tamen ſemper increuiſſet, adeo vt tandem, quod et icon addita probat, altitudinem pedis geometrici, a coſtis verſus ſuperiora, et craſſitiem dimidii pedis acquireret, die 15 nouembris eiusdem anni nouum illud medicamentum Palluccianum *) applicare coepit, ſed in principio tantum ad latitudinem quatuor pollicum circa baſin tumoris, cumque eum inde emolliri perſpiceret, poſt aliquot dies toti tumori illud applicuit, qui poſtea ad baſin ruptus, incredibilem copiam ſanguinis, ichorisque acerrimi ac foetidiſſimi emiſit: medicamenti tunc pro virium ratione, applicatione nunc continuata, iam per aliquot dies ſuſpenſa demum ſolis digitis chirurgi totus tumor ſenſim exſtirpatus fuit, cuius pondus ad minimum quindecim librarum cenſebatur. Continuatus remedii vſus laudabilis carnis incrementum adiuuabat, et licet ex improviſo ſtupor ac tumor brachii manusque huius lateris vna cum inſultu hyſterico accederent, haec tamen ſymptomata, adhibitis idoneis remediis, poſt decem dies ceſſabant, et demum, ampliſſima cauitate carne repleta firmaque cicatrice formata, aegra quinquageſimo poſt principium curationis die prorſus ſanitati reſtituebatur.

Prae-

*) vid. comment. noſtr. Vol. XVII. p. 87.

Praemiſſis poſtea variis annotationibus, quae hoc remedium concernunt, duarum feminarum Cl. PALUZZI mentionem facit, quae eodem a cancro mammae liberatae fuerunt, ac demum relationis a Cl. PESATORI, medico et chirurgo Placentino, ſibi communicatae, de cancro in collo ſacerdotis ſexagenarii, hoc remedio mirum in modum ſublevato, et de quibusdam aliis curationibus eius ope praeſtitis.

IX.

D. IOHANN FRIEDRICH ZÜCKERTS, *der Römiſchkayſerl. Academie der Naturforſcher und der Churmaynz. Academie nützlicher Wiſſenſchaften Mittglieds, phyſikaliſch diätetiſche Abhandlung von der Luft und Witterung, und der davon abhangenden Geſundheit der Menſchen. Berlin, verlegts Auguſt Mylius,* 1770. 8. *Bogen* 13½ *absque dedicatione.*

i. e.

Tractatus phyſico diaeteticus de aere et tempeſtatibus, atque inde pendente ſanitate hominum. Auctore IO. FRID. ZUECKERT.

Licet liber hic nouitate rerum dictarum ſeſe non commendet, ideo tamen inter complures, qui ſimile argumentum pertractant, locum non infimum ipſum occupaturum ſperamus, quod concinna breuitate, et ſatis nitido ſermonis genere omnia ea comprehendit, quae in compendio de aere, quatenus vt cauſſa morborum, vel ſanitatis conſiderandus eſt, dici poſſunt. Neque ideo reprehenſionem nos merituros arbitramur, ſi libelli, cuius lectionem ipſam Lectoribus noſtris commendamus, ampliorem recenſionem non exhibuerimus. Praemiſſa

miſſa contemplatione generaliori aeris, in qua de eius qualitatibus eſſentialibus et accidentalibus, ipſarumque cauſſis in genere agitur, ſigillatim effectus aeris denſi et grauioris, tenuis ac leuioris, calidi et ſicci, calidi et humidi, frigidi et ſicci, frigidi et humidi, exponuntur, et vbiuis remedia ad morbos inde oriundos praecauendos tollendoſque ſubiunguntur. Poſtmodum de variis, in aere haerentibus, vaporibus diſſeritur, quos in putreſcentes, ſulphureos, narcoticos, metallicos, corroſiuos v. c. ex calce recenti vel gypſo, pingues, oleoſoſque, et nebuloſos mephiticos diſtinguit Cl. Auctor, et vltimo demum requiſita aeris puri et ſanitati proficui recenſet.

X.

DOMINICI COTUNNII Phil. et Med. Doct. de iſchiade neruoſa commentarius Vienn. apud Rudolphum Gräffer 1770. 8. pagg. 123. ſine dedicatione ac ſumma capitum tab. aen. 1.

Non immerito laudabile Cl. COTUNNII medici Neapolitani ſtudium anatomico practicum hic in eo cernitur, vt nonnullas obſeruationes, diriſſimum illum morbum, iſchiadem neruoſam, concernentes, cum eruditis viris communicet. Atque hoc ita a Cl. Auctore factum eſt, vt primum in ſedem huius morbi inquireret, cauſaſque, ſymptomata efficientes, eius erueret, ac ex vtriusque diuerſitate diuerſas morbi huius ſpecies definiret; dein curam huius morbi adderet, anatomicis principiis fundatam. Vt itaque magna Cl. Auctoris ſtudii aſſiduitas ac omnino huius libri vtilitas noſtris Lectoribus pateſcat, paulo accuratius, quantum quidem per inſtituti noſtri rationem licet, res hic propoſitas conſiderabimus.

Iſchiadis

p. 8. Iſchiadem, nomine eius etymologice conſiderato, in duas potiſſimum partes diſpeſcit Cl. COTUNNIUS. Vna complectitur dolorem fixum ſolummodo in coxa; altera attinet nec minus quidem dolorem in coxa, ſed per totam extremitatem inferiorem propagatum ac continuatum. Hanc nominat neruoſam, de qua hic inprimis agitur, illam arthriticam, cuius deſcriptione Cl. Auctor hic ſuperſedere arbitratur. Neruoſam vero iſchiadem diſtribuit in anticam ac poſticam, quoniam haec poſticas occupat coxae partes, ac iſchiadicum neruum male habet; illa vero coxae anteriorem partem poſſidet, neruumque cruralem laedit.

p. 10. Poſticam iſchiadem aut continuam aut intermittentem, ſtatisque temporibus reuertentem Noſter obſeruauit. Continua ſaepius mutata eſt in intermittentem neruoſam iſchiadem, nunquam autem intermittentis mutationem in continuam Noſter attendit. Diu ſi durat hic morbus, ſequitur partis affectae ſemiparalyſis cum macie atque torpore ſ. atrophia iſchiadica; id quod cum tabe iſchiadica HIPPOCRATIS non eſt confundendum. Perfectae autem paralyſeos exemplum in tam multis aegris non vidit Cl. Auctor. Cauſſa doloris in humore, nerui iſchiadici vaginas occupante, cernitur, qui vel a ſpina, cuius cauum circa medullam ſpinalem humore impleri, eodem modo, vt circa cerebrum ac cerebellum, Noſter putat, vel a propriis arteriis ibi defertur. Huius humoris origo deriuatur ab arteriis exhalantibus, accedente humore ventriculorum cerebri, vtroque non ad coagulum prono, eadem ratione, ac reliqui vapores corporis animalis, cauitates occupantes, qui naturali modo non coagulari poſſunt, vti Noſtro videtur. Arteriae minimae in ramos minimos mirandum in modum diſtribuuntur, quorum triplicem conſtituit Noſter ſpeciem. Alii rami vno

tenore

tenore in ſanguiferas venas transeunt, iique capaciores; alii laminarum cellularium interſtitia, vltima extremitate aperti, petunt, atque hi anguſtiores ſunt; alii tandem anguſtiſſimi ſunt, ac in libera ſuperficie, aut cauearum corporis, aut cutis extremitate aperta terminantur. Itaque ſanguis adhuc integer ab his arteriis minimis per ramos latiores, qui tendunt ad venas, toto veluti corpore, tranſit, tum ad ramos minores, deſinentes in ſpatiis celluloſis, ſeroſa pars, aquoſae immixta, diuertit, et ramuſculos tandem, in partium ſuperficie ſeſe terminantes, pars aquoſa, quam tenuiſſima ac iis anguſtiis par, penetrat. Atque in hac vltima diſtributione ſpectatur origo vaporis, quem emittit vbique corpus humanum in inſenſibili perſpiratione omnium eius partium internarum et externarum, qui ſecundum naturam eius non poteſt coagulari, et quem Cl. Auctor quoque putat in neruorum vaginis adeſſe ab arteriis vltimis, eum exhalantibus; minime vero cum Cl. MALPIGHIO eum ab ipſis neruis deriuat. Hic vaginarum humor partim ob multitudinem, partim ob acrimoniam in iſchiadico neruo, qui ob amplitudinem eius vaginarum, nec non ob leuem muſculorum appreſſionem, aptus eſt ad colligendum humorem, et iſchiadi generandae inſeruit. Idem et in neruo cubitali fieri poteſt.

Copia huius humoris vaginas nerui iſchiadici diſtendit, ac neruoſa filamenta comprimit, inde dolor non adeo acerbus. Quod ſi vero acris factus eſt hic humor, tum etiam dolor fit acrior atque permanet. Sed vna vel altera huius doloris cauſſa praeſente, veſpertinis temporibus illa paſſio iſchiadica ſemper fit acerbior. Si diu durat hic morbus, nerui hydrops oritur, cuius ſtimulis crampi efficiuntur. Crampus autem eſt breuis inuita violentaque muſculi conuulſio, et ſedes vere conuulſas ſanguis non im- p. 59.

meat,

meat. Hydrope, qui ſeſe ſecundum tractum nerui iſchiadici extendebat, nato, mutatur iſchias in intermittentem, nec non crus ſubinde afficitur ſemiparalyſi.

p. 66. Quoniam Cl. Auctor ex diſſectione eiusmodi cadaueris nil concludere auſus eſt, mittimus eam, et ad tria ſtadia huius morbi cum Noſtro veniemus. Ex iis, quae huc vſque diſſeruimus, patet, decubitum vberis irritantisue materiae in vaginis iſchiadici nerui neruoſam iſchiadem poſticam efficere. Ab acri hac materia fit inflammatio, atque in ea cernitur primum huius morbi ſtadium, quod excipit hydrops, qui confirmat iſchiadem, et alterum ſiſtit ſtadium. Hydrops vero, ſi diu durat, neruum ita tentat, vt nequeat ille muſculis inſeruire, et crus ſemiparalyſi afficiatur in tertio ſtadio. Ad inflammationem primo, dein habitum hydropicum, ac poſtremo ad tranſitum morbi in ſemiparalyſin medico eſt attendendum in hoc morbo.

p. 73. Iam, quae Cl. Auctor cum fructu adhibuit remedia in ſingulo ſtadio, enarrantur. Ac primum quidem, quando ab initio ſaeuit ac continuat hic morbus, venaeſectionem Noſter ſuadet, quae leuauit ſemper morbum, interdum quoque exſtinxit. Locus optimus eſt affecta pars quidem, ratio tamen eſt habenda cauſſarum variarum, hunc morbum producentium. Oritur enim non raro iſchias neruoſa, haemorrhoidibus atque catameniis ſeu lochiis ſuppreſſis, in his applicuit cum bono effectu cucurbitulas ſiccas femori vtrique, in illis ano hirudines: Porro, ſi ſanguinis euacuatio non vtilis fuit, alui eductio maxime per clyſteres vtilior ſeſe prodit, quorum ab initio diluentes irritantibus praefert: ac maluae decoctum cum melle aut manna in hoc morbo inprimis laudat, nec non in lumbagine adhibuit.

hibuit. Irritantibus inieĉtionibus cum cautione vſus eſt, quoniam ſaepe nocuerunt. Caeterum, ſi clyſmata non ſufficiunt, ad emetica ac purgantia, raro tamen, confugit. Cum hic morbus ſemper veſpertinis horis augeatur, omnia haec mauult matutinis fieri.

Saepe vero haec auxilia morbum leniunt quidem, non autem delent. Quapropter frictiones in auxilium vocandae ſunt, vt hic ſtagnans humor per vaſa, frictione liberiora reddita, ſubinde elici queat. Fiunt hae cum oleis variis, leniſſime ac frigidiſſime infricatis. Nam calefactum oleum dolorem ſemper reddidit acriorem. Commendat quoque pinguedinem humanam. Ceterum non plane negligenda Noſtro videntur tria auxilia, in hoc aeque, ac ſimilibus morbis, iam a veteribus commendata; ſunt nimirum vectura, decantatio, et electriſatio. Vecturae interdum ſubſtituit Noſter geſtationem. Ad compeſcendum dolorem iſchiadicum opiata ſunt apta, praeſertim ſi a labe venerea prouenerit, ac tum hydrargyrum eſt adhibendum. Qua occaſione experimenta, in auibus opio inſtituta a Noſtro, traduntur. p. 79.

Sed fit interdum, vt, et omnibus his auxiliis recenſitis, iſchias haud cedat, imo, hydrope aucto, in peius ſeſe vertat. Atque in hoc ſecundo huius morbi ſtadio contemnit clyſteres nimis irritantes, quos cum lacte tythymali, ſeu ſaturato bryoniae decocto ita copioſe iniiciunt agyrtae, vt inteſtina viuum ſanguinem emittant. Quapropter et a medicis clyſmatum irritantium vſus plane intermittatur, et cauſticorum vtilitas laudatur. In applicandis autem cauſticis aſſidue ad ſpeciem iſchiadis, et ad locum, vbi applicantur, medico eſt reſpiciendum. Iuuant cauſtica ſolum poſticam iſchiadem neruoſam, de quorum loco non diu poſt videbimus. Iam cum Noſtro ad indicationem curatoriam accedimus, quae ſpectatur in ape- p. 91.

 riendis

riendis vaginis iſchiadici nerui, in hoc nimirum ſecundo ſtadio. Hoc fit a Cl. Auctore in ſedibus cutaneis, ſub quibus neruus iſchiadicus eſt; ſine cultro tamen, ſed multo vtilius veſicatorio, cuius iterationem ſaepe a Noſtro cum feliciſſimo euentu ac celerrimo effectu factam eſſe, exemplis nonnullis probatur. Ter enim veſicatoria Noſter applicuit ad fibulae caput, ac tenuiſſimum viſcidum humorem, ichthyocollae propemodum ſimilem, cum flauiſſimo tenui ſero, et lympha mucoſiſſima elicuit.

p. 104. Porro et vſtionis vtilitatem in hoc morbo diiudicat Cl. Auctor, eiusdemque curationis antiquitatem tradit: felix experimentum vſtionis enarrat; veſicatoria autem praeferre videtur vſtioni.

p. 116. Fatetur quoque Cl. Auctor, per veſicatorium, capiti fibulae applicatum, dolorem a coxa ad fibulam euanuiſſe, illum vero a fibulae capite ad pedem remanſiſſe. Ac tum quatuor transuerſos digitos ſupra malleolum externum veſicans applicuit cum fructu, itemque ad dorſum pedis, ob nimios dolores autem, ab aegris ibi perceptos, imum tibiae frontem elegit. Veſicatoria idem praeſtare in cubitali neruo male affecto, quinque exemplis probatur. In ſemiparalyſi vnicum inuenit auxilium in frictionibus.

p. 120. His de poſtica iſchiade neruoſa, morbo frequentiſſimo atque moleſto, propoſitis, pauca demum addit Cl. Auctor de antica neruoſa iſchiade, morbo rariore ac minus moleſto, quae afficit neruum cruralem. Icon ſiſtit femoris partem cum crure ac pede, ad loca deſignanda, quibus veſicantia ſint applicanda.

XI.

Von den Keichhuſten der Kinder, welcher in den Jahren 1768. *und* 1769. *in Langenſalza herrſchete; von* CHRISTOPH IACOB MELLIN *der Arzneygelahrheit Doctor der churbaieriſchen Academie der Wiſſenſchaften Mitglied der herzoglichen lateiniſchen Geſellſchaft zu Jena Ehrenmitglied und Practicus zu Langenſalza. Franckfurth und Leipzig.* 1770. 8. *Seit.* 78.

i. e.

De tuſſi conuulſiua infantum epidemica Longoſaliſſae annis 1768. et 1769. Auctore CHRISTOPHORO IACOBO MELLIN.

Haec tuſſis cum et ſine febre apparebat, quae continuae tertianae non abſimilis erat. Signum huius tuſſis pathognomonicum erat, ſi infantes interuallum diei vnius habebant, et ſi altero die tuſſis exacerbabatur. Infantes, lacte adhuc nutriendi, tuſſim vehementiorem experiebantur, quam nonnullorum annorum infantes. Ab initio erat tuſſis haec ſicca, nonnullis diebus poſt humida cum ſuffocatione, faciei rubore ac oedemate, conatibusque vomendi primum, dein cum vomitu muci tenacis, qui quoque paroxyſmum finiebat. Interea erat reſpiratio moleſtiſſima ac profunda cum rhoncho ac ſonitu grauiori. Lingua tota erat viſcido tenaciſſimo obducta. Rhonchus quoque aderat extra paroxysmum, titillatio ac irritatio quaedam in faucibus tuſſim annunciabant. Paroxyſmi erant periodici, iisque infantibus, qui tertium annum nondum attigerant, ſaepenumero letales. Nonnulli tumebant ac moriebantur, non pauci conuulſiui e rebus humanis eximebantur. Morbillos haec tuſſis ſequebatur, non autem ab iis pendebat.

p. 8.

p. 14. His in primo capite praemiſſis, in ſecundo Cl. Auctor ad cauſſas et ſymptomata huius morbi progreditur. Ac praecipuam quaerit in aere cauſſam, confirmatque hoc aliorum Auctorum exemplis; interea refutat alios, qui aliam cauſſam ſunt commenti, vt Cl. ROSENSTEIN *). Aeſtas anni 1768. ſicca erat ac calida; initium autumni erat humidum et frigidum; perſequentes eorum menſes nebuloſa, pluuioſa ac frigida inuadebat tempeſtas. Atque hanc tempeſtatis viciſſitudinem, perſpirationis negotium valde turbantem, cauſſam huius tuſſis indicat Cl. MELLIN. Symptomata vt plurimum pendent, vel a nimia ſanguinis congeſtione verſus caput ac pectus, vel a ſpaſmis et conuulſionibus per neruorum conſenſum. Hanc epidemiam ſine contagio eſſe Cl. Auctor, ac omnino non omnes epidemias contagioſas arbitratur. Mucus porro videtur Noſtro non cauſſa morbi, ſed effectus.

p. 27. In tertio capite agitur a Cl. MELLIN de methodo huic tuſſi medendi ex aliis Auctoribus, vbi breuiter remedia commemorantur, quae ſunt: venaeſectio, vomitoria, euacuantia clyſmata, expectorantia, vt gummi ammoniacum, extractum nicotianae ruſticae, oxymel ſcilliticum, externe vnguentum pectorale, antiſpaſmodica, vt moſchus atque caſtoreum, veſicatoria, frictio, balnea frigida, pediluuia, aer purus, motus, inprimis equitatio, tenuis victus, ac cortex in fine morbi Peruuianus. HUXHAMUS et mercurialia in hoc morbo adhibuit.

p. 36. In quarto capite proponitur Noſtri ratio huic tuſſi medendi. Ac primum quidem excretio muci per emetica, laxantia ac clyſmata ab Eo eſt promota: Dein erant ſpaſmi ſopiendi, atque hoc optime prae-

ſtabant

*) vid. comment. noſtr. Vol. XIV. p. 521.

ſtabant emetica. Tum partes debilitatae erant roborandae, ac vires omnino corpori reſtituendae. Atque hic conducebat cortex Peruuianus. Tandem, ſi accedebant vermes, euacuantia cum cortice exhibuit Noſter, ac, ſi eruptio dentis erat promouenda, clyſmata, frictionem lenem gingiuarum, maſticationem radicis violae ſeu liquiritiae, aut alius ſuaſit cum fructu.

Refrigerium vehementiores reddit paroxyſmos, eorumdemque reditui occaſionem praebet. Quapropter lecti ac cunae apto loco ponendae erant, et calidum et frigidum regimen moderandum. Victus tenuis vtplurimum vegetabilis. p. 41.

Matribus, lac praebentibus his aegris, exhibuit pilulas ex rhabarbaro atque extractis amaris. p. 44.

Iam exempla a Noſtro commemorantur, ex quibus effectus boni ſuae methodi pateant. Venaeſectionis ſeu hirudinum applicatio non tam crebro neceſſaria erat, cum haemorrhagia narium plerumque accederet. Antiſpasmodicis raro vſus eſt, quoniam emetica ſpaſmum ſopiebant. p. 53.

In quinto capite Cl. Auctor minus felicem huius morbi exitum deſcribit, qui plerumque a negligentia, in medicina adhibenda, ſeu ab aſſiduitate in contraria propinanda pendebat, interdum a medicis, qui non iuſtam medendi methodum elegerant, rurſus ab intermiſſa continuatione medicamentorum, iuſtorum porrigendorum; tandem raro a ſymptomatum letalium grauitate ac vehementia proficiſcebatur. Inter ſeptuaginta ac tres aegros, quorum curam Noſter habuit, ſeptem ſunt mortui, partim conuulſiuis motibus nimiis; partim ob debilitatem ſummam, qua aegri, Noſtro accedente, iamiam laborabant. p. 68.

XII.

Atti dell' Academia delle ſcienze di Siena, detta di Fiſio-Critici. Tomo III. in Siena appreſſo, il Bonetti nella ſtamperia del publico. 1767. in fol. min. Alph. 1. pl. 17. tab. aen. 9. Appendicis pl. 20. tab. aen. 10.

i. e.

Acta Academiae ſcientiarum Senenſis Phyſico-criticorum. Tom. III.

In recenſione tomi ſecundi illos commentarios, qui preſſius noſtrum inſtitutum ſpectant, recenſuimus, et mathematicorum ſolum titulos enarrauimus *). Etſi vero in toto hoc tomo et praemiſſa tabula omnes ad quatuor capita generalia reducti ſunt, et mathematici, aſtronomici, anatomico medici, et hiſtoriam naturalem ſpectantes, ſigillatim indicantur, tamen, praecipue ex mathematicis nonnullos, aliis claſſibus immixtos, videntes, ordinem ideo commentariorum non turbauimus, ſed quoslibet in ſerie paginarum, vbi inueniuntur, inſeruimus, inprimis, cum ea, quae ad Noſtrum inſtitutum non pertinent, ſine vlteriori recenſione, titulis tantum relatis, commemoremus, quod nonnullis ex Lectoribus noſtris pergratum eſſe intelleximus.

p. 1. 1. *De quadratura quorundam ſpatiorum cylindricorum, quae baſin parabolicam habent;* occaſione commentarii, a Cl. DE LA HIRE in actis academiae regiae ſcientiarum Pariſinae ad annum 1707. inſerti, expoſuit Cl. CANDIDUS PISTOI Prof. Math. Senenſis.

2. *De*

*) vid. comment. noſtr. Vol. XVI. Part. III. p. 525.

2. *De augmento plenitudinis in fluido primario, ab acceſſione noui influentis pendente, vſuque velocitatis ſuperficialis et reſiſtentiarum.* Auctore Cl. LEONARDO XIMENES e Soc. Ieſ. Geographo regio. p. 17.

3. Epiſtola hydraulici argumenti, Cl. IOH. ANTONII BATARRA ad Cl. PISTOI in qua ratione et experientia probatur: *interdum aquam in canalibus curuis, curuatura aequabili, quae circuli quartam non aequaret, promptius ac citius, caeteris paribus, moueri, quam in canalibus rectis, qui ad curuas illas eſſent vt chorda ad arcum.* p. 84.

4. Cl. CANDIDI PISTOI reſponſio ad hanc epiſtolam. p. 95.

5. *Diſſertatio de cometis prima* Auctore Cl. DOMINICO TROILI ex ſoc. Ieſ. p. 112.

6. *Obſeruatio lunaris eclipſeos, die 17. martii 1764. habita in obſeruatorio Florentino,* a Cl. LEONARDO XIMENES *atque ad tempus verum reducta.* p. 186.

7. *Obſeruationes de chordis communibus diſci lunaris et ſolaris, et de ſinubus verſis, ex parte ſolarium illuminatis relictis in eclipſi ſolari d. 1. aprilis 1764. factae cum Teleſcopio Neutoniano quatuor pedum Pariſinorum.* Auctore EODEM. p. 190.

8. *Obſeruationes de digitorum obſcuratorum in immerſione et emerſione eclipſeos ſolaris, factae cum teleſcopio Gregoriano pedis unius Pariſini.* Auctore Cl. MICHAELE CIOCCHI Geometra. p. 196.

p. 201. 9. *Obſeruationes de copia pluuiae, ab anno 1763. ad 1765. in vrbe Siena delapſae*, quibus eae corrigenguntur, quae in Tom. II. p. 226. propoſitae ſunt.

p. 209. 10. *De irritabilitatis legibus, nunc primum ſancitis, diſſertatio in tres partes diſtributa.* Auctore Cl. FELICE FONTANA in Lyceo Piſano Bot. Publ. acad. ſcient. Bonon. ſocio. Pars prima legem primam proponit, *de irritabilitatis actione, ſingulis fibrae contractionibus, nouo ſemper ſtimulo, excitanda.* Comparauit quidem Noſter primum irritabilitatem cum elaſticitate, et dum haec vibrationes continuat, illam quoque, ſine noua vi, in contracto et relaxato muſculo iterum continuari poſſe credidit; ſed tentaminibus, in corde variorum animalium inſtitutis, contrarium vidit, cum nouus ſemper ad continuandam irritabilitatem requireretur ſtimulus. Oſtendit enim, miſeram eſſe conditionem hominum, ſi variae partes, quae alternatim in corpore flectendo et extendendo mouentur, ſtimulo ſemel recepto, non quieſcerent, ſed praeter voluntatem ad alternos motus continuandos vrgerentur. Comparat itaque Cl. Auctor irritabilitatis effectus cum elaſticitate, et, licet in muſculis violenter contractis, antequam relaxentur, ſine externo ſtimulo continui reniſus oſcillatorii obſeruentur, ad internas tamen aeris, elaſticitatem recuperandam molientis, et fluidorum ſubtiliſſimorum in vaſis minimis motus attendendum eſſe monet, etſi ſenſibus non euidenter pateant. Euidentius autem nouam ſtimulorum neceſſitatem in motu cordis quieſcente iterumque excitato, cerni, declarat.

p. 219. In parte ſecunda *de irritabilitatis vi poſt citum duntaxat tempus pro varia fibrae indole et ſtatu iterum excitanda* differit. In variis itaque animalibus tentamina, in cordis motu definiendo, inſtituit, et velocitatem

tatem contractionis maiorem minoremque obſeruauit, indeque concludit, nec ſtimulum ſemper nouam irritabilitatem efficere poſſe, quoniam fibra nondum eam diſpoſitionem acquiſiuit, ob quam ad irritationem ſuſcipiendam apta eſt, hoc vero acquiſito, etiam tum, cum ſtimulus iam ceſſauerit, motum ſequi. In animalibus igitur, ad embryonis ſtatum accedentibus, viuidior et promptior eſt irritabilitas, in aliis interuallum aliquod cognoſcitur, ſub quo irritabilitatis exercitium, quod in diaſtole amiſerit, recuperare poſſit. Subiicit itaque ſequentes quaeſtiones: *Annon irritabilitatis actio in aliis animantibus citius, in aliis tardius extinguatur? Annon ex hac longiori aut breuiori excitatae irritabilitatis perduratione ſyſtolum cordis velocitas pendeat? Annon ex maiori ſyſtolum velocitate oriatur partim pulſus celer, qui a frequenti omnino diſtinguitur?* cum enim pulſus celeritas ex viuidiore etiam irritabilitate originem ducat, habebit propterea rationem compoſitam ex ratione huius viuidioris irritabilitatis, atque ex ratione facilitatis illius, qua fibra contracta irritabilitatem amittit: conſequenter pulſus frequentia, ſi caetera paria ponantur, erit in ratione compoſita ex ratione directa pulſus celeritatis et inuerſa temporis, quod in irritabilitate excitanda poſt cordis relaxationem inſumitur.

Parte tertia *de ſpirituum animalium in mouendis muſculis inefficacia* agit, et demonſtrare ſuſcipit, eosdem excitantem duntaxat, nullatenus autem efficientem motuum muſcularium cauſſam eſſe, et demonſtrationem ad tria capita reducit. Primo nimirum oſtendit, muſculum ſemel contractum relaxari non poſſe, ſi fluido nerueo vis mouens adferatur; ſecundo, quod relaxationem aliquam paſſus illico ac ſemper contraheretur; tertio, quod contraheretur neceſſario tum etiam, cum in ſtatu relaxationis quieſcit. Omnes autem has diſceptationes repetere noſtrum, p. 226.

 non

non eſt, cum ſaepe non ſolum fibrae, et muſculi integri huius quoque vitales et voluntarios motus confundere videntur.

p. 232. II. *Hiſtoriae deſcriptio, neceſſariis illuſtrata obſervationibus. de cauſſis ſedibusque duorum peculiarium morborum, per accuratam ſectionem anatomicam compertis.* Auctore Cl. CAROLO TONINI Phil. et Med. Doct. et Acad. ſenenſ. Secretario. Prima obſeruatio refert de viro quodam quadraginta annorum, qui macie confectus, nec ſupinus, nec pronus, nec ad latera inclinatus, cubare poterat, ſed ſedendo, et capite, brachiis ſuffulto, ſomno interdum, minus tamen tranquillo, fruebatur. Reliquae corporis functiones ſatis placide perficiebantur, et, praeter pulſum languidum et frequentem, nulla morbi latentis ſigna apparebant. Cum autem aeger nocte quadam in ſupinum ſitum ſe conuerteret, ſubito exſpirauit. In diſquiſitione cadaueris, pectore inciſo, magna copia aquarum ex ſiniſtro cauo proſiliit, et, hoc accurate diſquiſito, pulmo huius lateris totus deſtructus erat, et ex bronchiorum et vaſorum ramis, in ſummitate contractis, membrana, ad dorſi vertebras et ad ambitum intimum coſtarum accreta, liuida et attrita conſpiciebatur.

Erat ideo hydrops pectoris ſaccatus, qui vero nec in ſiti, nec vrinis, nec oedemate quodam aliquod ſignum praebebat, cum et reſpiratio ipſa in ſitu idoneo minus difficilis inueniretur. Ante plures annos pugione inter vltimam veram et primam ſpuriam coſtam laeſus erat, ita, vt forte ab ea cauſſa morbi initia repetenda ſint.

p. 237. Altera obſeruatio virum ſexaginta annorum deſcribit, qui mercenarius omnibus aeris iniuriis ſe expoſuerat, et inprimis vini potui indulſerat. Hic in noſodochium accedens omnia ſigna cachexiae confirmatae cum febre quotidiana intermittente matutino

tino tempore potiſſimum accedente, praebebat, praecipuum vero ſymptoma erat denegata fluidorum deglutitio, etſi ſolidiores cibos cum aliqua moleſtia per oeſophagum ad ventriculum vrgere poterat. Per ſex menſes ita excruciatus, nullis remediis iuuandus, tandem, febre acuta accedente, obiit.

In diſſectione cadaueris colluuies ſeroſa circa laryngem inuenta eſt, quae omnem eius fabricam ita deſtruxerat, vt muſculi, cartilagines glandulae et ligamenta diſtincte cerni non poſſent. Epiglottis praecipue, ex plana in cylindricam formam conuoluta, naturali tertia parte maior erat, cauum tandem laryngis et aſperae arteriae vſque ad diuiſionem in bronchia, ſcirrhoſis glandulis repletum, inueniebatur. Cauſa itaque difficilis huius deglutitionis inuenta, vlterior diſquiſitio cadaueris non ſuſcepta eſt. Arbitramur autem, reliquas corporis glandulas quoque ſcirrho affectas fuiſſe, cum figulo in laboribus ſuis adſtiterit, et in ventris ſiccitate aliisque ſymptomatibus, triſtes plumbi vaporis effectus expertus fuerit.

12. *Deſcriptio maxillae foſſilis ſingularis in territorio Senenſi repertae* Auctore Cl. IOSEPHO BALDASSARRI. Prof. Hiſt. naturalis in vniuerſitate Senenſi. Maxilla animalis inſignis magnitudinis eſt, quae cum dentibus Cl. GUETTARD in actis ſocietatis Regiae Pariſinis 1752. deſcriptis *) quodammodo conuenit, et nobis ad elephantinum genus pertinere videtur. p. 243.

13. IANUS PLANCUS *de duplici holothurii genere et de manu marina* epiſtola ad PIUM IANNELLIUM *Pennatulam* primum, ſeu pennam marinam deſcribit, *griſeam* ſcilicet et *rubram* LINN. et tentacula *alcyonii* quod LINNAEUS *exos*, alii manum marinam vocant, et quae tanquam floris partes olim p. 255.

*) Mémoires p. 349. Tab. III. et IV.

olim deſcripſerat, depinxit, atque in appendice animalem naturam huius zoophyti, quam antea negauerat, candide confirmat.

p. 262. 14. *Conie&urae et obſeruationes circa cochleam marinam foſſilem non mutatam, quae nouum genus putabatur, inuentam nunc in agro Senenſi in alia cochlea foſſili non mutata*, Auctore Cl. FRANCISCO CALURI. Singularem teſtaceorum ſpeciem deſcribit, quae forma quodammodo ad patellas accedit, aut nouum genus conſtituit, et ſemper in teſtaceo foſſili, quod ad *muricis genus* (*purpura rectiroſtra*) pertinet (an melius *brandaris* L.?) reperitur. Ob formam *crepitulam paraſiticam* Cl. Auctor vocat. Operculitem non eſſe, pluribus demonſtrare annititur argumentis, quae tamen nobis non ex omni parte ſatisfeciſſe, negare non poſſumus.

p. 278. 15. *Diuerſae methodi integrationis quarundam formularum logarithmicarum.* Auctore Cl. D. CAROLO MAI.

p. 301. 16. *Elogium hiſtoricum* SALUSTII ANTONII BANDINI Archidiaconi, *propoſitum in academia phyſico criticorum* a GUIDONE SAVINI Patricio Senenſi anno 1760.

Huic Tomo inſeritur appendix, continens obſeruationes anatomicas. Cl. D. PETRI TABARRANI Anatomiae Prof. Senenſi, tribus epiſtolis comprehenſas.

p. 3. In prima epiſtola, ad Cl. THOMAS PERELLI Prof. Aſtronom. Piſanum directa, traditur:

1. Diſqui-

1. Diſquiſitio articuli femoris cum oſſe coxarum in vetula claudicante. Nec luxatio nec fractura huius vitii cauſſa erant, ligamentum enim capſulare circum circa recte applicatum inueniebatur, cauo vero articuli aperto, ligamentum, rotundum vulgo dictum, non inueniebatur, cartilagines in capite femoris et ſuperiori ambitu acetabuli deſtructae, et ſpongioſa ſubſtantia oſſis, quae ſub cartilagine eſt, ſimili modo detrita erat. Ob hanc cauſſam itaque extremitas dextra, ad tres digitos breuior ſiniſtra, claudicationis cauſſa detegebatur. Et femoris extremitas, et os innominatum cum acetabulo deſtructo delineantur Tab. V. fig. 1. et 2. Praeterea etiam de fabrica huius articuli, ad ductum optimorum anatomicorum, breuiter diſſeritur.

2. In diſquiſitione teſticulorum peculiaris aliqua membrana, ſuper albugineam extenſa erat. Haec a vaginali ſuo modo diſtincta ex nexu epididymidis cum teſticulo ſurgit et porro circa teſticulum extenditur. Commemoratis anatomicorum ſuper hac membrana obſeruationibus Tab. I. fig. 1. et 2. eius et partium vicinarum, ad teſticulum pertinentium, delineatio exhibetur. Similes delineationes ex cadauere hominis, hydrocele laborantis, proponuntur Tab. VIII. fig. 2. et 3. et Tab. IX. fig. 3. p. 17.

3. Deſcriptio duorum ſinuum, ſeu receptaculorum durae matris, a latere ſellae equinae poſitorum, qua oſtenditur, in cauernoſa earum fabrica carotidem et par ſextum neruorum cerebri cum origine intercoſtalis collocari; par quartum vero et quintum peculiaribus quaſi vaginis durae matris includi. p. 29.

4. Cranii humani deſcriptio et delineatio Tab. VII., in quo ad ſuturam lambdoideam potiſſimum multa oſſicula triangularia, ſiue Wormiana dicta, deprehenduntur, cui etiam vertebra prima fortiter coalita eſt. In annotationibus relatio additur de p. 35.

ſpina

ſpina dorſi maxime incuruata, ſex vertebris lumborum et vndecim dorſi inſtructa, quae Tab. I. fig. 3. delineatur; porro ſceleton gibberoſae Tab. II. et ſpina ſeparatim Tab. III. fig. 1. ſternum ſeparatum fig. 4. exhibentur.

p. 41. In ſecunda epiſtola, ad Cl. FELICEM FONTANA Prof. Piſanum directa, nonnulla, quae ad cor fetus pertinent, proponuntur. Traditur primo deſcriptio valuulae Euſtachianae, quae, cum varia ratione in fetu et adultis appareat, diſſenſum Auctorum in eius deſcriptione atque delineatione effecit, quam, comparatis inter ſe deſcriptionibus anatomicorum, quodammodo componere annititur Noſter. Data hac occaſione etiam, de valuula venae coronariae, foramine ouali, canali arterioſo, aliisque cordis fetus et adulti differentiis, maximam partem ex additis Auctorum teſtimoniis illuſtrat. Ipſe vero varias delineationes harum partium tradit. Tab. III. fig. 2. foramen ouale cum ſua valuula reticulata, ex puella, mox poſt natiuitatem mortua, oſtendit. Tab. IV. fig. 1. Ventriculum cordis dextrum et auriculam coniunctam cum ſinu venae cauae diſſecta ita proponit, vt valuulae in ſitu ſuo conſpici poſſint, fig, 2. Sinum venae pulmonalis et auriculam ſiniſtram aperta monſtrat, ita, vt valuula foraminis oualis cum lacerto fibrarum muſcularium, ex hac parte optime conſpiciatur. Fig. 3. et 4. Tab. V. foramen ouale in homine mediae aetatis quodammodo apertum, et a parte auriculae dextrae et ſiniſtrae delineatum ſiſtit, in quibus potiſſimum annulum, ad foramen illud poſitum, declarare ſuſcipit. Tab. V. fig. 3. et 4. Similes diſſectiones auriculae dextrae cum ſinu venae cauae coniunctae ex infante recens nato proponit. Quibus iconibus doctrina de harum partium mutationibus in variis hominibus egregie illuſtratur.

In

In tertia epiſtola, ad Cl. IO. BIANCHI Arimi-nenſem ſcripta, ſequentia leguntur. p. 77.

1. De hermaphroditis praecipue agit, et diſſenſum Auctorum et characteres dubios ex oblatis eorum obſeruationibus repetit, etſi autem in ea re nihil certi definit, aliquas tamen icones, eam egregie illuſtrantes, dedit. Tab. VIII. fig. 1. et Tab. IX. fig. 1. Genitales partes externae in homine mediae aetatis, et a parte anteriore, diductis que femoribus, delineantur, in quibus monſtroſi quid inuenit. In pene nulla mutatio erat, praeter veſtigium aperturae vrethrae in glande, quod coecum erat, nec in veram vrethram penetrabat; loco ſcroti duae eminentiae oblongae, labiis pudendi muliebris ſimiles, apparebant, nulla vero teſticulorum indicia; inter has eminentias deprehendebatur fiſſura longa, anguſta, verſus interiores partes non aperta, in fine vero foramen exiguum erat, per quod vrinam et ſperma emiſit. Omnibus vero recte penſitatis ad virilem ſexum a Noſtro refertur. Tab. III. fig. 3. repetita eſt delineatio genitalium ex hermaphrodito in medicorum Sileſiacorum ſatura ſpecim. III. obſerv. II. tab. 2. tradita.

2. De appendicibus ſiue diuerticulis inteſtinorum agit, et Tab. VI. fig. 2. eiusmodi diuerticulum, in inteſtino ileo repertum, delineat, additque diſſecti inteſtini exſiccati partem fig. 3. in qua et apertura ex inteſtino in diuerticulum et valuulae ſemilunares, ſeu rugae internae, inteſtini conſpiciuntur. Etſi vero non negat, haec diuerticula interdum ex tunicarum relaxatione et diſtenſione oriri poſſe; plura tamen et deſcriptum quoque in prima inteſtinorum delineatione formata eſſe confirmat, et nonnulla de herniis ſubiicit, in quibus incarceratis ad haec diuerticula ſimul reſpiciendum eſt. p. 99.

3. Occa-

p. 108. 3. Occaſione maxillae inferioris, ſine dentibus conſpicuae, quam Tab. VI. figura 1. delineauit, varias obſeruationes Auctorum, de eodem argumento, addit.

p. 110. 4. Traditur obſeruatio de pullis gallinaceis, plumis iam inueſtitis, eodem modo, quo ex ouo incubato prodeunt, in ventre gallinae repertis.

p. 114. 5. Deſcriptio fetus vaccini, cuius caput monſtroſum erat. Deficiebat cum maxima parte maxillae ſuperioris, organon odoratus, oculus vnicus, in fronte collocatus, ſimul conſpiciebatur. Tab. X. fig. 1. delineatio capitis monſtroſi proponitur, figura 2 autem interna partium fabrica declaratur, fig. 3. 4. et 5. palpebrae ſeparatae, et reliquae partes vicinae ſigillatim delineantur.

p. 129. Additur in fine epiſtola Cl. FELICIS FONTANA Lect. Publ. Piſani. ad Cl. TABARRANI continens obſeruationes, ſuper teſticuli humani fabricam. Per accuratiſſimas iniectiones vaſorum demonſtrauit, vaſa arterioſa et venoſa ſpermatica in chorda vaſorum ſpermaticorum non communicare, ſed tunc demum, cum circa teſticulum in ramis ſuis ducuntur. Epididymidem non eſſe niſi canalem vnicum, mire inuolutum, in eiusque capite plures, quam GRAFFIVS deſcribit, reperiri conos putat. Commemorat quidem tentamina HALLERI et MONROI, ea tamen non accurate ſatis perluſtraſſe videtur.

XIII.

XIII.

Illuſtrations of natural Hiſtory, wherein are exhibited upwards of two hunderd and forty Figures of exotic Inſects, according to their different genera, very few of which haue hitherto been figured by any author, being engraued and coloured from nature, with the greateſt accuracy and under the Authors own Inſpection, on fifty Copper-plates. With a particular deſcription of each Inſect; interſperſed with remarks and reflexions on the nature and properties of many of them. By D. DRURY. To which is added a Translation into French. London printed for the Author and ſold B. White. 1770. 4. 1. Alph. 16½ pl. tab. aen. viuis coloribus pictae 50 et 1 ſine col.

i. e.

Illuſtrationes hiſtoriae naturalis, in quibus vltra 240 figurae inſectorum exoticorum, quorum pauca huc vſque picta ſunt, ſecundum genera eorum diuerſa exhibentur, ſub Autoris propria inſpectione in 50 tabulis aeneis aeri inciſae et viuis coloribus pictae. Cum peculiari deſcriptione ſingulorum inſectorum, interſperſis variis annotationibus et animaduerſionibus circa multorum naturam et proprietates. Auctore Cl. DRURY.

Cl. DRURY, qui, ni fallimur, mercator vel aurifaber Londinenſis eſt, magnam inſectorum copiam ex omnibus terrarum partibus collegit, easque ſpecies, quae vel nouae plane ei viſae, vel ab

aliis Auctoribus minus accurate pictae ſunt, inſigni cum diligentia deſcripſit, illasque omnes, a peritis harum rerum artificibus aeri inciſas, viuisque coloribus pictas nunc edidit. Atque hoc ita praeſtitit, vt omnino fatendum ſit, elegantia et fidelitate has icones ad ROESELIANARUM figurarum praeſtantiam accedere, cum quibus, ſi CLERKIANUM opus excipias, nullum entomologicum opus, in tanto huius ſtudii fauore comparari adhuc potuit. Termini entomologici vel praecipua ſcientiae huius vocabula ſub initio operis explicantur, eaque explicatio tabula aenea illuſtratur. In ipſis vero figuris ſaepe inferius quoque inſecti latus pictum eſt, et magnitudo accurate indicatur; fruſtra tamen metamorphoſin ſpecierum depictarum quaeres. Additur tamen vbique natalis locus, aliaque, quae in ſingulis annotatione digna ſunt, commemorantur. Deſcriptionibus his verſionem Gallicam adiectam eſſe, ex titulo ſuperius commemorato patet.

Ipſorum inſectorum, in tabulis ſingulis pictorum, nomina, ne recenſio eorum Lectoribus forte moleſta ſit, non addimus. Monemus modo, ad ſeptuaginta ſpecies tantum reperiri, quas iam olim LINNAEUS ſyſtemati inſeruit. Reliqua omnia noua ſunt, paucis, quae apud SEBAM PETIVERIUMQUE occurrunt, exceptis. Plurima ex lepidopteris ſunt et coleopteris, non deſunt tamen etiam, quae ad alios ordines pertineant, inprimisque tales pinguntur ſpecies, quae vel forma ſingulari vel colorum varietate intuentium oculos
p. 99. alliciant. *Ichneumonis* quaedam ſpecies Americana, quam Angli *the maſon fey* vocant, mira arte e luto cellulas conſtruit, in quibus oua deponit, ſingulisque cellulis araneam includit, quo breui pro-
p. 127. ditura proles nutrimento non careat. Alio loco libellularum metamorphoſin deſcribit, quam ROE-

SELIUS,

SELIUS quoque iam habet. *Cerambycem moſchatam* cantharidum loco a Cl. GUY Chirurgo adhibitum fuiſſe (p. IX.) *et* oleum ex *meloë pro ſcarabaeo* externe in rheumatiſmo in Suecia adhiberi, monet.

XIV.

Anzeige der hauptſächlichſten Rettungsmittel derer die auf plötzliche Unglücksfälle leblos geworden ſind, oder in naher Lebensgefahr ſchweben, aufgeſezt von D. PHILIPP GABRIEL HENSLER *Königlichen Däniſchen Phyſicus zu Altona, Pinneberg und Rantzau. Altona* 1770. 8. *verlegts David Iverſen. Seiten* 72. *ohne Vorrede kurzen Jnnhalt und Vorerrinnerung.*

i. e.

Index praecipuorum remediorum in ſalutem eorum, qui ſubitam ac violentam paſſi ſunt mortem, ſeu morti proximi videntur. Auctore PHILIPPO GABRIELI HENSLER.

Cum ſummam huius libri, vulgo ac medicis profecto vtiliſſimi, alio iam loco *), vbi et eiusdem recenſionem polliciti ſumus, cum noſtris Lectoribus communicauerimus, inſuperque multa remedia, quae a Cl. Auctore laudantur, in his commentariis **) iam indicauerimus, methodus vero his aegris ſuccurrendi omnino ita comparata ſit, ne breuiter ea tradi poſſet; quaedam exempli loco commemoremus, ac Lectores ad lectionem huius libri, qui ob breuitatem aeque ac vtilitatem placebit, amandemus.

Ad clyſmata cum fumo herbae nicotianae, inter p. 8
cuius ſpecies illam praefert, quam *Cnaſter* dicunt, applicanda,

*) vid. comment. noſtr. Vol. XVII. p. 352.
**) vid. ib. in nota addita.

applicanda, inſtrumenta varii generis a mechanico NEUBERT, qui Hamburgi moratur, compoſita hic laudantur. Quodſi vero haec enemata cum fumo herbae nicotianae non applicari poſſunt, inflationem aeris per follem in anum interea ſuadet. Bronchotomiam Cl. Auctor non cum acu triquetra inſtituit, quoniam tum vulnus dilaceratum difficilius ſanatur, ac emphyſemati plerumque locus datur.

p. 24. Laqueo vel variis vaporibus ſuffocatis ſuccurrit Noſter, vti apoplexia tactis, ita tamen, vt aeris impuritas tollatur, debilitas inprimis analepticis atque cardiacis iuuetur, ac gangraenoſa ac ſphaceloſa angina in ſuſpenſis arceatur, ad quod efficiendum, ſi neceſſitas alia remedia denegat, atramentum, cum dupla parte aquae dilutum, ſuadet in epithemate. Rurſus pauimentum domicilii lixiuio e cineribus vel cineribus ipſis inſpergit. Sulphureis vaporibus occurrit Noſter linteo madefacto cum ſolutione ſalis marini ſeu culinaris, cinerum clauellatorum ſeu ſalis tartari, quod ante os eſt tenendum. Nec minus venena mineralia temperare putat Noſter per ſalia lixiuioſa ſeu ſaponem.

p. 59. Cl. Auctor morbum rigidum ſeu cerealem vſui panis, ex recentibus cerealibus parati, adſcribit, vomitoriaque ab initio morbi, camphoram cum aceto, radice helenii et baccis iuniperi in eo ſuadet.

p. 61. Contra morſum canis rabidi, praeter conſueta auxilia, in et externum mercurii vſum Noſter commendat, ſeu diuretica, nec non vulneris ſuppurationem promouere oportet medicum.

XV.

XV.
Noua phyſico medica.

Almae Carolinae Illuſtris, *Caſſellis Haſſorum* florentis Profeſſores, in Facultate medica ſunt hi:

I. I. HUBER philoſophiae et medicinae doctor, anatomiae et chirurgiae profeſſor publicus ordinarius, decanus prouincialis perpetuus, ſereniſſimi Landgrauii Haſſiae conſiliarius aulicus et archiater, aulae Baadendurlacenſis medicus, facultatis medicae patriae, quae Baſileae eſt, collega et academiae caeſareae naturae curioſorum, ſocietatum ſcientiarum regiarum Londinenſis et Berolinenſis atque Helueticae ſodalis.

IOANNES EPHRAIM MUTILET medicinae doctor, conſiliarius aulicus et archiater, ciuitatis Caſſellanae phyſicus ac collegii medici membrum.

THEODORUS AUGUSTUS SCHLEGER med. doct. Sereniſſimi Haſſiarum Landgrauii conſiliarius aulicus et medicus, therapiae medicae et chirurgiae practicae profeſſor publicus ordinarius, collegii medici ſocius et phyſicus prouincialis.

IOANNES HENRICUS BRANDAU Sereniſſimi Landgrauii copiarum militarium chirurgus ſupremus, et profeſſor ophthalmices ordinarius publicus, collegii medico chirurgici ſocius.

GEORGIUS GUILIELMUS STEIN medicinae doctor, Sereniſſimi Haſſiae Landgrauii medicus aulicus, medicinae, chirurgiae et artis obſtetriciae profeſſor publicus ordinarius, collegii medici et medico chirurgici ſodalis.

CHRISTOPHORUS HENRICUS BOETTGER medicinae doctor, et botanices profeſſor publicus ordinarius, noſocomii Gallici medicus nec non collegii medici membrum.

Facultas medica *Pariſienſis*, acceptis numis a Cl. CUVILLIERS DE CHAMPOYAUX medicinae doctore, ad proponendam quamdam quaeſtionem, praemio condecorandam, decreto ſingulari die 4. decembris 1771, vt auctoris voluntati ſatisfaceret, conſtituit ſecum, duobus ſequentibus annis quaeſtionem, quae vtilitatem ſummam reſpiciat, mouere, illique praemium ducentarum librarum Gallicarum tribuere. Quae ad annum 1772 pertinet, ſic ſe habet: *Num poſſint morbi contagioſi praeuideri, arceri, ac ſi iam progreſſi ſint, impediri?* (*S'il eſt poſſible de prévoir les maladies épidémiques, et quels ſeroient les moyens de prévenir ou d'en arrêter les progrès?*)

Inuitantur ad hanc quaeſtionem ſoluendam omnes cuiuscunque regionis, exceptis huius facultatis doctoribus baccalaureisque. Elaborationes vel in lingua Francica vel Latina ſunt conſcribendae, et decano facultatis eodem anno tradendae. Ceterum legum, quae obſeruandae ſint, eadem eſt ratio, ac apud alias academias.

Academia regia chirurgorum *Pariſina* 1773. hanc quaeſtionem eruditorum examini ſubiecit: *Quinam eſſet influxus rerum nonnaturalium in operationes chirurgicas?* (*Quelle eſt dans le traitément des maladies chirurgicales l'influence des choſes nommées non naturelles?*)

Praemii pretium cum legibus, quae in mittendis commentariis attendendae ſint, cum in ſuperioribus *) ſaepius ſunt narrata, hic non curamus, idque ſolummodo monemus, ante diem vltimum decembris 1772 elaborationes academiam exſpectare.

Cum academia ſcientiarum, artium et literarum elegantiorum *Diuionenſis*, anniuerſaria ſua ſolemnitate die 18 auguſti 1771. celebrata, intelligeret, ad quae-

*) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 355.

quaeſtionem, eiusdem anni praemio dicatam, et actionem acidorum in olea etc. *) concernentem, vnum modo bene reſpondiſſe, praemium non potuit diſtribuere. Haec vero vna elaboratio quamquam academiae non diſplicuit, tamen non potuit praemio ornari, quoniam Auctor, ſaponibus in quinque ſpecies diſtributis, iisque docte quidem perquiſitis, non id definiuit, quod academia in votis habuit. Quapropter minime *Eadem* in ea potuit acquieſcere, ſed, cum eandem materiam penitus exhauſtam cupiat, differre hanc quaeſtionem conſtituit ad annum 1774 vſque, vt iis, quibus hanc rem perſequi placebit, tempus concederetur, experimenta rite inſtituendi, et obſeruationes accurate tradendi. Praemium, quod exſpectare licet, eſt trecentarum librarum Gallicarum.

Reliqua, quae in commentariis pariter conſcribendis, quam mittendis ſcitu ſunt neceſſaria, commemorauimus loco, paullo ſupra indicato.

Iam vero quaeſtionem, ab *Eadem*, ad praemium 1774 reportandum, propoſitam, enarrabimus:

In quibusnam morbis medico mox agendum eſt, in quibus vero exſpectandum et in quibus hoc vel illud praeferendum, quaenam ſunt ſigna, ex quibus medicus intelligat, vel agendum eſſe ſibi, vel quieſcendum, vſque dum tempus opportunius medicamenta applicandi appareat? (*Quelles ſont les maladies dans lesquelles la médécine agiſſante eſt préférable à l' exſpectante et celle ci a l'agiſſante, et à quels ſignes le médécin connoit, qu'il doit agir ou reſter dans l'inaction, en attendant le moment favorable pour placer les remedes?*)

Eam quaeſtionem, quae ad annum 1775 pertinet, cum non ſpectet ad nos, mittimus.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 708. Vol. XVII. p. 349.

Regiae academiae ſcientiarum *Burdigalenſi* ab amico literarum 12000 librae gallicae ſunt donatae, quarum vſurae quotannis impenderentur ad quaeſtionem, ab Eadem academia vulgatam, et ex eiusdem iudicio probatam, praemio ornandam. Quaeſtio eſt haec: *quaenam eſt optima via, qua ſerui aethiopes, ex Africa Americam transferendi, a crebrioribus letalibusque morbis, ſibi in hoc itinere funeſtis, caueantur?*

Quo vero haec res attentis obſeruationibus recteque inſtructa experientia iuſte abſolueretur, eandem Academia ad primum ianuarium 1777 diſtulit. Praemium diſtribuetur 1778. et elaborationes ita tradendae ſunt, vti ſupra *) monuimus.

Trium quaeſtionum, ab Academia ſcientiarum, quae *Bruxellis* floret, atque 1769 eſt fundata **), praemiis 1772 deſtinatarum, prima eſt: *quinam fuerunt nationis Belgicae ante ſeptimum ſeculum veſtitus, quaenam lingua, agricultura, commercii, artium ac ſcientiarum ratio?* (*Quels etoient l' habilement, la langue, l' état de l' agriculture, du commerce, des arts et des ſciences des peuples des Pays-bas avant le ſeptieme ſiecle?*)

Altera diſquirendi occaſionem quaerit, *quodnam eſt remedium efficaciſſimum ac paratiſſimum erucas, arboribus plantisque inimicas, deſtruendi? Poteſtne hoc praeſtari per ſuffimigia minus ſumtuoſa, vel aliis ſimplicioribus remediis, quae nec arboribus, nec plantis obſint?* (*Quel eſt le moyen le plus efficace et le plus promt pour détruire les chenilles, qui s' attachent aux arbres et aux plantes? Peut on les détruire par des fumigations, qui ne ſoient point diſpendieuſes, ou par d' autres moyens ſimples, bien entendu, qu' ils ne nuiſent ni aux arbres ni aux plantes?*)

Tandem

*) vid. comment. noſtr. Vol. XV. 173. et 707.

**) ib. Vol. XVII. p. 345.

Tandem in tertia quaeſtione optat Academia, vt diſquiratur, *quaenam ſint plantae in Belgio noxiae, quae venenata ſua indole hominibus aeque ac beſtiis officiant? quaenam ſint ſymptomata, in iis ipſis oriunda, quaenam remedia ſimpliciora, quibus obviam iſtis eundum ſit? (Quelles ſont les plantes nuiſibles des Pays-bas, ou qui contiennent un poiſſon tant pour les hommes, que pour les bêtes; quels en ſont les accidens et les ſymptômes, qu'ils produiſent ſur l'une et l'autre eſpèce, et quels ſont les moyens les plus ſimples de les prévénir?)*

Harum trium quaeſtionum tria quoque ſunt deſtinata praemia, quorum ſingulum conſtat moneta aurea viginti quinque numorum aureorum. Elaborationes lingua Latina, Flammandica vel Gallica conſcribendae atque ante finem iulii 1772 cum Cl. GERARDO, qui academiae ab epiſtolis eſt, ſunt communicandae. Ceterum et *Eadem* obſeruat aliarum academiarum leges.

Regia academia ſcientiarum artiumque bonarum *Mantuana*, quae in quatuor claſſes diſtincta eſt, vti ſupra *), dum eius originem ac conſtitutionem declarauerimus, a nobis eſt narratum, quatuor quoque quaeſtiones ac praemia ad annum 1772 propoſuit. Quas, cum omnes a noſtro inſtituto non alienae videantur, hic commemorare non incongruum duximus.

Ac prima quidem quaeſtio, quae ad politicam et oeconomico philoſophicam pertinet claſſem, ita comparata eſt: *quomodo infantes ex infima plebe ſunt educandi, vt frugi et patriae vtiles euadant? (quelle doit être l'éducation des enfants du bas peuple, et de quelle maniére elle peut être dirigée vers le plus grand bien public?)*

K 5 Altera

*) vid. comment. noſtr. Vol. XIV. p. 367.

Altera quaeſtio ad mathematicam claſſem ſpectat, atque ita eſt formata: *numne experimenta* Cl. MARIOTTE *in tractatu ſuo de motu aquarum* *) *ſatis probent, aquam in quibusdam canalibus in ſuperficie ſuperiore maiori cum impetu fluere, quam inferiore; an ſint eiusmodi canales, et quamnam altitudinem atque profunditatem ad reſiſtentias ſuperandas exigant?* (*Si les experiens* DE MARIOTTE *dans ſon traité du mouvément des eaux* **) *ſont ſuffiſantes pour prouver, que dans quelques canaux l'eau a plus de rapidité à ſa ſurface, qu' immediatemant au-deſſous; et quelle profondité ils exigent par rapport aux forces reſiſtentes.*)

Tertia medicam attinet claſſem atque ſic ſe habet: *cur maxima hominum pars potiſſimum moriatur infantes, et quaenam ſint remedia ſimpliciſſima atque efficaciſſima, ad ſeruandam infantum vitam?* (*de dévélopper, quelles ſont les cauſes principales, qui ſont que la majeure partie des hommes meurt dans l'enfance, et quels ſont les rémèdes les plus ſimples et les plus efficaces pour conſerver la vie des enfans?*)

Quarta denique, ex phyſica claſſe deprompta, quaeſtio deſiderat *cauſſam, cur graeci in educatione infantum muſicam commendarint? quamnam illa ibi conficeret partem, quaenam eſſet fixae inſtitutionis et determinatae vis, et quinam inde ex quibusdam eorum educationis partibus, ſi easdem ad noſtram, qua iam utimur, applicaremus educationem, redundarent fructus?* (*quelle fut la cauſe, qui fit entrer la muſique dans l' éducation des grecs? quelle partie elle en faiſoit? quelle étoit la force d' une inſtitution fixé et déterminée et quelle avantage on pourroit tirer des différentes parties de l' éducation ancienne, ſi on les faiſoit entrer dans le plan de la moderne.*)

Miſſis

*) cap. 2. ſerm. 3. reg. 5.

**) 2me partie 3me diſcours 5me regle.

Miſſis reliquis huius academiae legibus, quoniam ex ſuperioribus *) patent, habeto, praemium, quod conſtat moneta aurea, quinquaginta florenorum pretio, ex ſecunda claſſe duplex exſpectari poſſe ab eo, cui ab academia adiudicabitur, ac elaborationes mittendas eſſe, durante octobri 1772.

Academia ſcientiarum literarum elegantiorum et artium *Rothomagienſis* praemium quaeſtionis, ex chemicis ac phyſicis doctrinis depromtae, quae ita erat comparata: *poſtquam notus eſt argillae in vniuerſum character, chemicae atque phyſicae differentiae earum argillae ſpecierum, quae appellantur boli et terra fullonum, ſunt definiendae* **) tribuit Cl. CAR. FRANC. CHELLE pharmaceutae ſeniori, noſocomii regii Pariſienſis. Commentarius inſcriptus erat: *in noua fert animus.*

Cl. GODOFREDUS LUDOLPHUS GRASMANN praemium reportauit quinquaginta imperialium, quaeſtioni 1770 dicatum, a libera ſocietate oeconomica, quae *Petropoli* floret. Proponebatur nimirum tum a ſocietate hoc problema: *Declarentur facillimi modi, nec ruſticorum opes ſuperantes, quibus, pro climate ſoli prouinciae Coporienſis, fimo ſiue luto* (Kittis) *ſine eius inuſtione poſſit fertilis reddi atque ſic conſeruari ager?* Elaboratio inſcripta erat: *ſunt ceteri homines non vt incolae.*

Academia, quae in incrementum agriculturae condita eſt *Florentiae* ac nomen gerit vernaculum *Georgofili*, vti nuper retulimus ad Lectores ***) praemium

*) v. l. c. it. ib. Vol. XV. p. 175.
**) vid. comment. noſtr. Vol. XVI. p. 708.
***) vid. comment. noſtr. Vol. XIV. p. 366.

mium 1773 optimae elaborationi huius quaeſtionis dicauit: *communicetur incolis circa Toſcanam forma optima et conuenientiſſima, ſecundum quam ſchola agriculturae vtiliſſima poſſit conſtitui; adiungatur ſimul optima methodus educationis liberorum ruricolarum.* (*Le projèt le meilleur pour les Toſcans, d' une écôle d' agriculture la plus avantageuſe et tout à la fois le ſyſtème le plus utile d' éducation pour les enfans des campagnes du pays.*)

Commentarii communicandi ſunt decembri 1772 Ill. Comiti PIETRO PERUCCI vel Cl. SAVIERIO MANETTI, quae Academiae ab epiſtolis ſunt. Quantum eſſet praemii pretium, ac quaenam leges iis, qui cum Academia agant, eſſent ſeruandae, ſupra enarrauimus *).

Societas agriculturae, quae in *Morauiae marchionatu* floret, 1773 hanc quaeſtionem cum praemio monetae aureae quadringentarum circiter librarum gallicarum eruditorum virorum examini ſubiecit: *Quaenam ſunt optimae methodi ſyluarum conſtituendarum, colendarum, augendorumque eorum prouentuum, caritatis lignorum impediendae, in dies iam creſcentis?* (*quels ſont les moyens le plus propres à entretenir les forêts à les cultiver et en augmenter le produit et à faire ceſſer la diſette de bois, qui augmente de jour en jour?*)

Exhibeantur commentarii diutiſſime Latina, Germanica et Francica lingua ad finem huius 1772 anni.

Societas Regio Electoralis ſcientiarum *Zellenſis* diſtribuet exeunte ianuario 1773 monetam auream centum et triginta duarum circiter librarum Gallicarum optimae elaborationi *de hiſtoria morborum, a pane, ex recentibus cerealibus parato, profectorum.* Eodem tempore deſtinat *Eadem* praemia honoraria (*des gratifications*),

*) v. l. c.

ons), primo, qui tutiſſimum modum *ſecale cornutum deſtruendi* communicaturus eſt, ſecundo, qui *fructum, quem ex coccinella ſyluestri ibi reperiunda, et ab incolis* kermes *vocata, redundare aſſerat*, determinabit, ac tertio, *qui methodum optimam, nicotianam vel in pulverem redigendi, vel ad ſuctionem aptam reddendi* communicabit.

(*Pour l'hiſtoire des maladies occaſionées par le pain fait des grains nouveaux.* 1. *à celui qui aura trouvé le moyen le plus ſur de détruire l'ergôt.* 2. *à celui, qui aura le mieux détaillé le parti, qu'on peut tirer de la cochenille ſauvage, qu'on trouve dans ce canton, et qu'on y nomme Kermes.* 3. *à celui qui aura donné la meilleure manière de préparer et d'accommoder le tabac, tant en poudre, qu'a fumer.*)

Erfordiae profeſſionem ordinariam medicinae Experientiſſimus atque Excellentiſſimus GUILIELMUS BERNHARDUS TROMSDORF, incipiente hoc 1772 anno, adiit.

Viennae ſucceſſit b. Ill. GERARDO VAN SWIETEN *) Cl. ANTONIUS STOERCK.

Quedlinburgi die 14 februarii 1772 Cl. IOANNES HENRICUS PFUTSCH medicinae doctor, principis regii archiater, obiit.

Ienae exeunte februario 1772 Experientiſſimus CHRISTIANUS RICKMANN profeſſor medicinae ordinarius cum nimis praematura morte vitam commutauit.

Pariſiis die 28 martii 1772 Cl. CAROLUS PINOT DUCLOS Galliae hiſtoriographus ex quadraginta perpetuis Francicae academiae inſcriptionum

et

*) v. comment. noſtr. hoc vol. p. 159.

et literarum elegantiorum ſecretariis vnus, ſexageſimo octauo aetatis anno e viuis eſt ereptus.

Tubingae die 10 aprilis 1772 Cl. FERDINANDUS CHRISTOPHORUS OETTINGER mediciнae doctor atque profeſſor ordinarius, Academiae electoralis ſcientiarum vtilium Moguntinae ſocius exſtinctus eſt.

Lubecae Experientiſſimus ZACHARIAS VOGEL variarum ſocietatum ſodalis die 18 aprilis 1772. e rebus humanis exemtus eſt.

Regiomontii die 25 maii Cl. IOANNES GODOFREDUS TESKE Propraeſes conſiſtorii officialis phyſices profeſſor ordinarius, ob experimenta circa electricitatem inprimis clarus, ſexageſimo nono aetatis anno eſt confectus.

Erfordiae die 14 martii 1772 Cl. IOANNES PHILIPPUS NONNE medicinae doctor ac profeſſor primarius, facultatis medicae ſenior atque decanus academiae Electoralis, ſcientiarum, quae ibidem floret, aſſeſſor et alumnorum electoralium inſpector, quadrageſimo tertio aetatis anno exſpirauit.

Londini die 24 decembris 1771 Cl. EMANUEL SWEDENBORG, magnus regis atque regni Suecici aſtronomus rerum metallicarum collegii adſeſſor, et Academiae ſcientiarum Suecici ſodalis, mortuus eſt. Annos viuendo attigit octuaginta quatuor.

Ibidem die 18 decembris eiusdem anni PHILIPPUS MILLER, qui horto Chelſeano botanico praeerat, et botanicae ſocietatis Florentinae erat ſocius, octuageſimo aetatis anno deſiit viuere. Huius viri celebritas atque ſtudium aſſiduitatis in rebus botanicis diſquirendis tanta tamque nota viris eru-

ditis

ditis ſunt, vt iis hic vlterius enarrandis merito ſuperſedere queamus.

Ibidem exeunte ianuario 1772. Cl. D. KNIGHT inter primos magnetis artificialis inuentores referendus, diem obiit ſupremum.

Ibidem die 27 aprilis eiusdem anni Cl. THOMAS NUGENT deſiit viuere.

Die 14 maii 1772 academia *Gottingenſis* quadrageſimo aetatis anno Cl. PHILIPPUM GEORGIUM SCHROEDER philoſophiae ac medicinae doctorem, huiusque profeſſorem publicum ordinarium et archiatrum regium amiſit, cuius eruditio aeque ac morum integritas, nec non magna aegris inſeruiendi cupiditas ita ab omnibus aeſtimatur, vt Academia tanto ſeuerius lugeat, quanto nimis mature illi eſt ereptus.

Cl. IOANNEM TAYLORUM in monaſterio circa Pragam aetate prouectum hoc 1772 anno exſpiraſſe nuper relatum legimus.

Leucopetrae Experientiſſimus GOTTLIEB CAROLUS SPRINGSFELD die 13 martii 1772 hoc eodem, ac praeterito anno morbo epidemico obiit. Annos viuendo attigerat quinquaginta octo.

Viennae die 28 iunii 1773 ſeptuageſimo ſecundo aetatis anno Ill. Liber Baro GERARD VAN SWIETEN praefectus ordinis equitum St. STEPHANI ſacrae romanae imperialis et regiae apoſtolicae maieſtatis conſiliarius, archiater primarius, praepoſitus bibliothecae caeſareae aulicae, praeſes facultatis medicae Vindobonenſis perpetuus, praeſes librorum cenſurae, director rerum omnium in regionibus Auſtriacis haereditariis ad medicinam ſpectantium, Academiarum ſcientiarum imperialium Petro-

politanae

politanae et chirurgici Pariſinae, inſtituti Bononienſis, ſocietatum medicae Edimburgenſis, Harlemenſis, botanicae Florentinae, teutonicae Ienenſis, Roboretenſis etc. ſocius, gangraena ſenili ita tentabatur, vt tandem ſuccumberet.

Cariſſima nobis fuit vita et amicitia IOANNIS GOTTHELF HERRMANNI medicinae doctoris quem, quamdiu vixit, et ob literarum amorem, et ob ſingularem virtutem amiciſſimum habuimus, cuiusque deſiderio tum, cum literarum cauſſa in itinere fuit, non parum ſollicitudinis ſenſimus. Vtinam ergo, vt tunc votis noſtris redditus eſt, ita nuper ratas feciſſemus preces, cum hoc anno 1772 morbo epidemico correptus eſt, qui *Chemnitii*, vbi vixit, ſuperiore anno plures abſumſit. Sed tanta fuit mali vis, vt morbus, ſtatim putridus factus, eum die 13. martii conficeret, qui paulo ante ſimilis mali medicinam pluribus attulerat. Nimirum hoc ille egerat ex eo tempore, quo Lipſiam venit, vt ſeuero literarum ſtudio aliorum vſibus ſe praepararet, in eaque re nec labori, nec tempori, nec ſumtibus parceret, diuitiasque, a Deo ſibi conceſſas, vel ad liberalitatem, vel ad ipſas literas, nihil autem ad delicias conferret. Argumento eſſe poteſt eius inauguralis diſputatio *de oſteoſteatomate* *) tam multis ſplendidisque figuris aeneis ornata, vt niſi ipſi volupe fuiſſet, aliis prodeſſe, omnem illum ſumtum haud dubie ſubterfugiſſet. Quam vtile rurſus iter ei fuerit, declarat alia eius diſſertatio *de modo cauendae corruptionis corporum naturalium in muſeis*, quae, niſi qui plura ex hoc genere vidiſſet, habere neminem auctorem potuit. Cum triſti ergo deſiderio viri nobis amiciſſimi et doctiſſimi ſaepe ſolliciti recordabimur, fuiſſe HERMANNUM et in nos magnam

*) Lipſ. 1767. 4. c. tab. aen. 6.

magnam iacturam feciſſe. Nunc, quod vnum potuimus, eius memoriam hic pie recolendam exiſtimauimus.

Pariſiis die 22 februarii 1772 ex decreto ampliſſimi ſenatus Atrebati cautum eſt, ne mortui ante viginti quatuor, ac, qui ſubito ſunt exanimati, ante quadraginta octo horas terrae mandarentur; caput vero eorum ab omnibus velamentis, linteaminibusque liberum ſemper maneret.

Lugduni Batauorum celeberrimus HIERONYMVS DAVIDES GAVBIUS, cum ab Auguſtiſſima Ruſſorum Imperatrice medici, in medicina facienda verſati, eius auctoritate ac commendatione deſiderarentur, elegit experientiſſimos viros P. WOENSEL, IOANNEM DIEZ et FRIDERICVM AVGVSTUM SCHEIDIVM, qui itaque, deſignati cum annuo ſtipendio, Petropolin ſe conferent proxime, ibique aegrorum curam habebunt.

Cum morbi cuiusdam indoles, qui in Dania epidemice graſſabatur, haud ſit cognita, ideoque nec iuſta huic malo remedia pateant, collegium regium medicum, quod Hafniae eſt conſtitutum, medicos inuitauit, ad morbi huius rationem, cauſſas, ſymptomata ac ſigna obſeruanda, perſequenda ac definienda, vt methodus, huic medendi idonea, excogitari, formari atque ſtabiliri poſſet. Exſpectari poteſt, ab eo, cui in hanc rem inquirere placebit, ſi collegii adſeſſoribus ſatisfaciat, praemium centum imperialium. Elaborationes autem ante finem octobris 1772 collegio regio medico Hafnienſi ſunt tradendae.

XVI.

Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1764 prodierunt.

Catalogue hebdomadaire, ou liſte des livres, eſtampes, cartes ordonances, edits, declarations, arrêts, qui ſont mis en vente chaque ſemaine, tant en France, qu'en pays étrangers, l'indication des volumes, du nombre et de la grandeur dont ils ſont formés les noms des auteurs, la nature du papier et du charaſtere etc. que l'on a employés et les addreſſes des libraires ou autres, qui les vendent. Année 1764. à Paris, 8.

Uitgezogte verhandelingen uit de nieuwe werken van de ſociteiten der weetenſchappen in Europa, en van andere geleerde mannen, met naauwkeurige afbeeldingen. Negende deel. Amſtel. 8.

Acta Heluetica, phyſico-mathematico-anatomico-botanico-medica, figuris aeneis illuſtrata Vol. V. Baſileae, 4.

Bremiſches Magazin zur Ausbreitung der Wiſſenſchaften. 6ter Band, 3tes St. Bremen, 8.

Abhandlungen und Beobachtungen, durch die ökonomiſche Geſellſchaft zu Bern geſammlet, des 5ten Jahrganges 2tes Stück. Bern, 8 mai.

Phyſicaliſck ökonomiſche Auszüge aus den neueſten und beſten Schriften, 6ten Bandes 1. 2. 3 und 4tes Stück. Stuttgard, 8.

Kunſtmagazin, oder Abhandlungen zur Beförderung der Natnrkunde, der Künſte, Manufacturen und Fabriken, 2 Th. Berlin, 8. m. K.

Neue Berichte von gelehrten Sachen in dem Jahre 1763.

aus-

ausgefertigt von einigen Mitgliedern der Academie zu Roſtock. Roſtock, 8.

Le gazettier américain, conténant un détail exact de toutes les parties du nouveau monde leur ſituation, leur climat, la nature du ſol, leur productions et leur état ancien et moderne: leurs genres, leur manufactures et leur commerce, avec une déſcription exacte de villes, des terres, des ports, des bayes, des riviéres, des lacs, des montangues, des paſſages, des fortifications: le tout dans l'objèt de mettre ſous les yeux des lecteurs, l'étât préſent des choſes dans cette partie du monde, les vues et les intérêts des différentes puiſſances, qui ont des poſſeſſions en Amérique. à Livourne, 8.

Uitgeleeze natuurkundige of filoſofiſche Verhandelingen, waarin berigt gegeeven word, aangaende veele voornaeme deelen van de natuurkunde en natuurlyke hiſtorie; als mede van de nieuwe ontdekkingen en waarneemingen door voornaeme natuurkundigen, in verſcheide gedeelten des aardryks gedaan. Derde deel, tweede ſtuck. Tot Amſterd. 8.

Neue ökonomiſche Nachrichten. Erſter Theil, Leipzig, 8.

Le bon Jardinier, Almanach pour l'année 1765, conténant une idée générale des quatres ſortes des jardins, les regles pour le cultiver, la manière de les planter et cette d'élever les plus belles fleurs. à Paris, 24.

De l'agriculture — Mandauimus horrea ſulcis, infelix lolium et ſteriles dominantur auenae. à Paris, 12.

Agriculture complette, ou l'art d'améliorer les terres, trad. de l'Anglois de MORTIMER, ſur la ſixième édition, augmentée des pluſieurs traités qui manquent à cet ouvrage. à Paris.

Manuel du laboureur, ou détail des tous les ſoins, qu'il doit ſe donner pour le gouvernement de la terre, et de ſes fonds, pendant le douce mois de l'année; traduit de l'Anglois. à Paris, 12 mai.

Vollſtändige Abhandlungen vom Wieſenbaue, ſowohl dem natürlichen als künſtlichen, durch ein neues Syſtem mit dem Acker- und Weinbaue vereiniget. Neue vermehrte und verbeſſerte Auflage. Mit einem Anhange. Stuttgard, 8.

Beſonderer Anhang zur vorhergehenden Auflage. ib. 8.

Unterricht von Pflanzung und Wartung der Maulbeerbäume und Seidenwürmer. Leipzig, 8.

Nachricht von denenjenigen Stücken aus dem Pflanzenreiche, welche in den Apothecken der meiſten Länder Europens aufbehalten werden müſſen, zum Gebrauch der Apotheker verfertiget, Dreſsden, 8.

Manuel de botanique, conténant les propriétés des plantes utiles pour la nourriture, d'uſage en médécine, employées dans les arts, d'ornement pour les jardins, et que l'on trouve à la campagne aux environs de Paris. à Paris, 12.

Le fleuriſte Hollandois, ou gouvernement des jardins à fleurs. à Amſterdam et à la Haye.

Les propriétes rémarquables de la vertu de la lumière par les airs en général, par pluſieurs milieux refringens, ſphériques et concentriques, avec la ſolution des problemes qui y ont rapport, comme les fractions aſtronomiques et terreſtres, et ce qui en dépend. à la Haye, 8. c. f.

Nouvelle théorie des mouvémens de la lune dans laquelle l'auteur établit ſélon les loix mechaniques un nouveau mouvement de la terre, et d'ou il tire d'une manière demonſtrative la cauſe phyſique du flux et reflux de la mer. à Paris, 12.

Mémoi-

Mémoires ſur les eclipſes annulaires du ſoleil et principalement ſur cette du 1 avril 1764. lûs à l'aſſemblée publique de l'académie des ſciences de Lyon, le 23. fevr. 1764. par un Académicien.

Mémoire ſur le canal de Bourgogne, qui a remporté le prix de l'académie de Dijon en 1763. à Dijon, 8.

Traité de l'eau. à Paris, 12.

Grundveſte der Chemie, Metallurgie, oder Schlüſſel der Weisheit zu der hohen Pforte der Natur 2tes Stück. Franckfurth, 8.

Art du rafineur de ſucre. à Paris, fol. c. f.

Phyſicaliſche und moraliſche Abhandlung vom Tabackrauchen; worinnen von deſſen Schädlichkeit und Nutzbarkeit gehandelt wird. 8.

La médécine et la chirurgie des pauvres, qui contient des remèdes choiſis, faciles à préparer et ſans dépenſe, pour la plus part des maladies internes et externes, qui attaquent le corps humain. à Paris, 12.

p. 134. 3) *Relatio medico phyſica de morte hominis cuiusdam, frigore tacti,* Auctore Cl. PILHES. Hic homo menſe Februario 1765. ſuper montes glaciales, in finibus Hiſpaniae ſitos, migrans, tanto frigore tantaque niuium mole obrutus eſt, vt in ſomnum incideret ſub niue, per quatuor dies continuatum, vnde tandem ſiti inſigni excitatus eſt. Tum vero fruſtra tentabat e carcere niueo egredi, ſed aduenientium demum adminiculo inde eductus eſt. Cuticula hic illicve erat auulſa, et corpus plura oſtendebat vulnera, frigore exorta. Incidit deinde in manus chirurgi minus periti, qui loco niuis, qua membra frigore tacta immittenda, ac poſtea leni frictione tractanda eſſent, his imponebat lintea calida, liquore aromatico imbuta, iisque gangraenam inducebat, quam cum Cl. Auctor, iuſto ſerius accerſitus, nullo modo compeſcere poſſet, aeger tandem miſere periit.

5) *Me-*

5) *Meditatio de variis modis tractandi morbos ſinus maxillaris, atque de vtilitate iniectionis in eundem ſinum per nares, interdum acquirenda.* Auctore Cl. IOURDAIN. P. II. Saepe confunduntur morbi ſinus maxillaris cum ſuppuratione alueolorum. Intumeſcentia oſſis maxillaris, ipſiusque emollitio, tumor palati, dolor ſinus, odor peſſimus naſi ac oris, cogit ſaepe chirurgos ad perforandos vel alueolos, vel apophyſin oſſis malae, vel ſeptum externum ſinus ope ferri candidi, vel ad exſcindendum hoc ſeptum forfice. Minime tamen laudat Cl. Auctor hanc mutilationem, nec praepoſteram euulſionem dentium carioſorum, cum tribuendus ſit dolor irritationi partium, et auctae oſcillationi arteriarum. Addit quatuor obſeruationes, quibus haec declarantur. p. 157.

Obſeruatio VI. Operarius laborabat decubitu genae ſiniſtrae, cum tumore palati et oſſis maxillaris, ob radices carioſas dentis molaris. Quo, dente euulſo, ac compreſſo tumore maxillae ſuperioris, multum puris exiit. Hac vero compreſſione ſaepius repetita, ac variis additis iniectionibus per canalem naſalem, aeger breui tempore ſanatus eſt. p. 161.

Obſerv. VII. Vir triginta duorum annorum, ſimili decubitu cum cephalalgia inſigni ac febre magna affectus, ob cariem dentium molarium, ab horum euulſione, qua magna puris copia exiit, et ab iniectionibus per canalem naſalem, ad quas retinendas ad aliquod tempus in ſinu maxillari, obturauit Cl. Auctor alueolos, ſenſim conualuit. p. 163.

Obſerv. VIII. Virgo monialis tumore genae ſiniſtrae affecta, oſtendebat tumorem magnum ad radices dentis molaris et ſapientiae, quo inciſo, effluxit ichor e ſinu. Immiſit deinde Cl. Auctor digitum in ſinum, ac ibi detexit excreſcentiam fungoſam, in parte media et laterali externa ſitam, ad quam, e p. 166.

medio tollendam, nec iniectiones, nec aqua mercurialis ſufficiebant. Tandem iniectiones per canalem naſalem fecit in ſinum maxillarem, ac, ne rurſus effluerent per orificium vulneris, hoc obturauit ſpongia, quibus tandem ſuppuratio excreſcentiae excitata, ipſaque aegra ſenſim plane ſanata eſt.

p. 170. *Obſerv. IX.* Miles a lue venerea curatus, vexabatur deinde a magno dolore ſinus maxillaris dextri, qui, euulſis dentibus, perforatis alueolis, ac iniectionibus ibi factis, minime cedebat. Cl. Auctor tandem iniecit ſaepius per canalem naſalem ſerum lactis cum manna ſoluta et vitello ouorum, et aeger breui tempore ſanitatem recuperauit.

p. 177. 7) *Litterae* Cl. MARESCHAL DE ROUGERES, *de regeneratione vnguis poſt mutilationem digiti.* Virgo viginti et octo annorum a panaritio digiti annularis perdidit carie vltimam phalangam, ac ſenſim ſponte enatus eſt e latere digiti vnguis nouus.

Menſe Septembri.

p. 235. 4) *Obſeruatio de tumore lienis,* a Cl. BROCHET DE LA BOUTTIERE. Virgo viginti ſex annorum afficiebatur dolore grauatiuo in hypochondrio ſiniſtro cum febre lenta. Lien tantopere erat tumefactus, vt vſque ad ſpinam oſſis ilei longitudine, ac vſque ad lineam albam latitudine ſe extenderet. Cum omnia remedia nihil praeſtarent, incidit tandem aegra in aſcitem, ac periit. In eius ſectione lien inueniebatur diſruptus in facie interna, nec erat ſcirrhoſus, ſed tubercula ſex, magnitudine nucis auellanae, continebat.

p. 244. 7) *Obſeruatio de abſceſſu inteſtinorum* a Cl. MARTINET. Puella tredecim annorum iocando lapſu laeſa eſt ad abdomen. Hoc diu neglexit ac celauit

aegra.

aegra. Febre autem acuta et vomitu perpetuo laborans cum aluina obſtructione pertinaciſſima, tandem fatebatur aegra hanc rem, atque de dolore fixo abdominis conquerebatur. Emollientia exterius impoſita maturabant abſceſſum, inde natum, ut tandem per inteſtinum rectum eiiceretur magna puris copia, cum aegrae leuamine. Sed denuo in priſtinam calamitatem incidit, donec tandem emiſit multum materiae nigrae foetidae; ac redeuntibus deinde iisdem ſymptomatibus, poſtremo pus album bonum euacuauit. Tum vomitus ceſſabat cum alui obſtructione, et aegra cauta curandi methodo ſenſim ad priſtinam ſanitatem redibat.

9) *Obſeruationes de vulneribus fracto vitro factis*, a Cl. MARTIN. Refutatur Cl. GARENGEOT, qui docuit, vulnera, vitro facta, nec eſſe vnienda, nec ſpirituoſis tractanda, ſed potius digeſtiuis. Etenim Cl. Auctor duabus, adiectis obſeruationibus, oſtendit, ſe ipſum eiusmodi vulnera faſcia vniente ac puluillis, aqua vitae imbutis, feliciter tractaſſe. p. 253.

10) *Litterae* Cl. ROZIERE DE LA CHASSAGNE, *de abſceſſu ſubſtantiae cerebri, poſt ictum capitis exorto.* Ruſticus ictu lapidis laeſus eſt ad frontem. Die vndecimo maximopere increuit dolor capitis ac febris, cum vomitu linoſo coniuncta, ſed victa ſunt haec mala per venaeſectionem et laxans, et aeger deinde iam conualeſcere videbatur. Attamen triceſimo die redierunt priſtina incommoda tanta vehementia, vt morbo ſuccumberet aeger. Aperto cranio, apparuit depreſſio, ac foramen in oſſe frontali, eique adiacens cerebrum in pus erat mutatum. Quodſi trepanatio oſſis frontis opportuno tempore adhibita fuiſſet, hic triſtis exitus procul dubio praecaueri potuiſſet. p. 257.

p. 265. 12) *Obſeruationes* Cl. DE LA CONDAMINE *de vtilitate magnetis in dentium dolore.* In duabus aegris applicuit Cl. Auctor optimo cum ſucceſſu vtrumque polum magnetis dentibus carioſis, ac dolorem hoc modo ex vno in alterum dentem propulit, donec hunc, repetita crebriore applicatione magnetis, plane ſuperauit. In alia, affectu rheumatico capitis vexata, magnes non mitigabat dentium dolores. Alia, ophthalmia laborans, ab applicato polo auſtrali magnetis dolores maiores, mitiores vero a boreali polo percepit.

Menſe octobri.

p. 326. 2) *Litterae* Cl. DUFAU ad Cl. PUIOL, *quae ſpectant eius obſeruationem de tetano eſſentiali*).* Varias profert Cl. Auctor animaduerſiones in hanc obſeruationem, quae hic ſilentio ſunt praetereundae. Addit tandem peculiarem obſeruationem conuulſio-
p. 337. nis, quae ita ſe habet. Pharmacopola ſeptuaginta ſex annorum, variis morbis chronicis iam debilitatus, ſubito tandem priuatus ſenſibus, ac rigore totius corporis afficitur, quem excipiunt motus conuulſiui vehementiſſimi, cum pulſu lento et paruo, ac reſpiratione ſtertoroſa. Hi motus non vltra quartam partem horae perſiſtebant, ac ſecuta eſt atonia vniuerſalis. Interea liberior reddita eſt reſpiratio, ac pulſus fiebat plenus, durus et febrilis. Senſus nullo modo excitari poterant, ac aeger quaſi in ſopore iacebat, oculis ſemiclauſis. Hanc inſenſibilitatem poſt horam dimidiam denuo excipiebant motus conuulſiui, eademque viciſſitudo ſexies rediit quinque horis, donec veſicatoria, clyſmata ſtimulantia, et ſternutatoria

*) Cuius iam mentio facta eſt in noſtris Commentariis, nimirum Vol. XVII. Parte II. p. 322.

toria ſenſus externos poſt vndecim horas reſtituebant, ac aeger deinde rurſus plane conualuit.

3) *Litterae* Cl. ROZIERE DE LA CHASSAGNE ad Cl. ROUX, *de palpitatione cordis per ſaburram primarum viarum excitata.* Paroxyſmos huius palpitationis praecedebat oppreſſio ventriculi inſignis, quam excipiebat calor vrens inter ſcapulas, cui ſe adiunxit magna palpitatio cordis ac difficultas reſpirationis et cephalalgia, quae ſymptomata perſiſtebant quatuor vel octo minuta, ac poſt horam dimidiam redibant. Nocte bene dormiebat aegra et quieta manebat. Ructus nidoroſi eam vehementer vexabant. Sumta vero purgantia antiphlogiſtica hunc morbum breui tempore ſuperarunt. p. 342.

4) *Obſeruationes de effectibus aquae frigidae et glaciei in morbis chronicis et acutis*, a Cl. RENARD. Femina viginti quinque annorum laborabat iam per octo menſes dolore acutiſſimo capitis, quo ſimul motu capitis et colli priuabatur. Aderant etiam inſomnia et macies permagna. Eius capiti impoſuit Cl. Auctor herbam hyoſciami recentem et contuſam, ac lintea, aqua frigida imbuta, pediluuia calida ſuaſit, et ſuris applicuit ſinapiſmos. His itaque remediis aegra decem diebus plane conualuit. Alia duodetriginta annorum in tertia hebdomade puerperii ſubito incidit, poſt ſuppreſſionem lochiorum, in hemiplegiam lateris ſiniſtri, cum creberrimis motibus conuulſiuis ac deinde epilepticis, quos excepit modo phrenitis, modo lethargus. Hi motus nulli remedio cedebant, atque a balneo tepido augebantur. Cum facta eſſet metaſtaſis materiae lacteae in cerebro, incidit Cl. Auctor arteriam temporalem, vnde ſymptomata ad breue tempus mitigabantur. Eius capiti deinde ſaepe impoſuit veſicam aqua frigida p. 345. p. 350.

frigida repletam, ac morbus inde mitior factus eſt, tandem aegrae immiſit glaciem in os, tempore paroxyſmi epileptici, ac ſenſim hoc modo, adiunctisque aliis aptis medicamentis, hos affectus plane vicit, et aegra conualuit.

Menſe Nouembri.

p. 434. 4) *Obſeruatio de angina epidemica vnius familiae*, a Cl. BARAILON. Hic morbus erat angina inflammatoria vulgaris, quae propter contagium, quo ſenſim affecit decem vnius eiusdemque familiae, maxime peculiaris eſt. Vnus ex his valde obeſus, cui vena non ſecta eſt, ab eryſipelate vniuerſali periit. Aliam maculae gangraenoſae totius corporis ac delirium e medio tollebant; tertius poſt eruptionem puſtularum albidarum euaſit, in reliquis hic morbus lente reſolutus eſt. Nec vicini, nec domeſtici, aegros adiuuantes, contagio inquinabantur.

p. 436. 5) *Obſeruationes de variis criſibus, pulſu praenunciatis*, a Cl. ROGER. Quinquagenarius laborabat peripneumonia bilioſa cum tuſſi et febre inſigni, cui acceſſit quarto die delirium, venaeſectioni pedis cedens. Tum pulſus magnus et aequalis in paruum et intermittentem mutatus eſt, abdomine extenſo et duro. Hinc praedixit Cl. Auctor deiectiones alui criticas, quae tamen parum ſolatii afferebant. Sumtis deinde purgantibus lenioribus, aeger vermes eiecit, ac *pulſus inciduus* oriebatur, e quo praedixit ſudorem, qui accidit nocte. Tandem ſe iunxit pulſus inciduus cum *inteſtinali*, vnde praeſagiebat et ſudorem et diarrhoeam, ſed prior tantum apparuit. Cum vero ſudor aegrum parum leuaret, ſed priſtina incommoda perſiſterent, e pulſu inciduo praenunciabat purpuram imminentem, quae tertio die erupit.

In

In alio quadraginta quinque annorum, qui labora- P. 440.
bat febre tertiana duplicata continua, cum affectu ſoporoſo, e pulſu forti et intermittente praedixit copioſas deiectiones criticas, quae morbum mox depulerunt.

7) *Obſeruatio de affectione vaporoſa*, a Cl. GUIN- p. 450.
DANT. Virgo viginti octo annorum, ex moerore afficiebatur ſpaſmo totius corporis, inprimis ventriculi, vt vix aliquid deglutire poſſet, omniaque ſtatim vomitu reiiceret. Muſculi colli tantopere tenſi erant, vt caput flectere non poſſet, ac reſpiratio maxime difficilis et inteſtinorum dolor moleſtiſſimus erat. Multis remediis iam fruſtra tentatis, propoſuit tandem Cl. Auctor balnea frigida, quae per duas ad quinque vſque horas bis de die adhiberi iuſſit, vna cum vſu clyſmatum aquae tepidae et fomentationum emollientium. Haec balnea, quamquam initio nec vomitui, nec doloribus praecauebant, adeoque alui excretionem et vrinam imminuebant, quarto tamen die tantopere relaxabant neruos, vt vrina et feces inuoluntarie exirent, et ſaliua copioſe excerneretur; ſed quinto die iam omnia ſymptomata erant ſuperata, ſenſimque aegra plane conualuit.

8) *Litterae* Cl. SALAMON ad Cl. DELA- P. 456.
BROUSSE, *de affectione hypochondriaca, vſu humectantium curata.* Cl. Auctor nonnullos habuit paroxyſmos febris tertianae, quae ſemper in febrem continuam ſe mutabat, ac poſt largos ſudores ceſſabat, ſed interdum redibat. Poſt duos menſes incidit in animi deliquium inſigne, ac inſomniis et idearum perturbatione, macieque corporis vexabatur, vſu autem balneorum tepidorum breui tempore plane reſtitutus eſt.

9) *Ten-*

p. 463. 9) *Tentamina inciſione veſiculae felleae canis et felis, eiusque exſtirpatione facta*, a Cl. HERLIN. Incidit abdomen felis, ligauit collum veſiculae felleae, hanc incidit, et bilem in abdomen effudit, ac vulnus gaſtroraphia ligauit, atque, ne bilis effuſa arroderet inteſtina, iniecit vulneri aquam tepidam. Animal, praeter vomitus, nullum hinc habuit incommodum, et quindecim diebus plane conualuit, ac vel in poſterum ſemper ſanum permanſit. Idem experimentum fecit Cl. ANGLAS in duobus canibus, in quibus ſimul exſtirpauit veſiculam felleam, cuius ligauerat collum, ac vterque plane conualuit. Suadet itaque Cl. Auctor, vt idem experimentum ſuſcipiatur in iis hominibus, quorum vita ob vulnus veſiculae felleae ſemper in periculo eſt.

p. 470. 10) *Obſeruatio de hydrophobia ſpontanea, nimio calore ſolis excitata*, a Cl. MARRIGUES. Vir quinquaginta ſex annorum corripitur motibus conuulſiuis vehementiſſimis, ac vomitu et delirio, poſtquam ſe multum agitarat in ſummo calore ſolis. Cum Cl. Auctori animus eſſet adhibendi balnea frigida, ad ſanguinem rarefactum rurſus condenſandum, ſtatim animaduertit, aegrum ſimul laborare hydrophobia, quae, cum ipſe a nullo animali rabido antea laeſus eſſet, merae rarefactioni ſanguinis a calore ſolis tribuenda erat. Praemiſſa igitur venaeſectione et brachii et pedis, aegrum, maxime reſiſtentem, in balneum frigidum immiſit per duas horas, idemque bis repetitum poſt aliquot horas morbum vtrumque plane ſuperauit, relicto tremore corporis, qui tamen continuato vſu frigidorum breui tempore ceſſauit. Eadem balnea frigida vel in hydrophobia ex morſu animalis rabidi efficaciſſima fore putat.

p. 495. 13) *Obſeruatio de abſceſſu mammae, poſt eius vehementem inflammationem exorto*, Auctore Cl. SCHE-

RER

RER. Virgo laborabat vehementi dolore mammae dextrae, ob glandulas carcinomaticas. Cl. Auctor praeter alia ſuaſit balnea tepida, ſed aegra, eo inſcio, vſa eſt balneo frigido, vnde orta eſt et febris, et inflammatio mammae eiusque ſuppuratio. Hoc abſceſſu tandem ſponte rupto, exiit puris ſanguinolenti ingens copia, quod contextum celluloſum, minime vero glandulas occupauerat, ac vulnere per aliquod tempus aperto ſeruato, tandem plenariam ſanitatem recuperauit aegra.

Menſe Decembri.

4) *Obſeruatio de operatione enteroepiploceles*, a Cl. PAGES *ſuſcepta*. p. 573. Praefectus militum ſexaginta duorum annorum laborabat hernia incarcerata, cum vomitu ac ſingultu. Incidit tandem Cl. Auctor ſcrotum et ſaccum hernioſum, et vidit decem pollices inteſtini incarcerati gangraena eſſe tactos. Cum vero membrana exterior huius inteſtini adhuc ſatis firma eſſet, non diſſecuit partem gangraenoſam, ſed, dilatato annulo, repoſuit inteſtinum, partem epiploi exſtirpauit, ac vulnus apte ligauit, et aeger ſenſim priſtinam ſanitatem attigit.

5) *Obſeruatio de digito contuſo*, a Cl. MARTIN. p. 576. Operarius quinquaginta ſeptem annorum tantopere ſibi laeſit ſecundam et tertiam phalangam digiti annularis, vt oſſa in plures partes diffracta eſſent. Cl. Auctor repoſuit has partes diffractas, nec extraxit fruſtula oſſea, nec partem cutis diſcidit, ſed apte ligauit hunc digitum, et aqua vitae ammoniacali tractauit, isque poſt tres hebdomadas planecoaluit.

6) *Obſeruatio de hernia cum gangraena* ab EODEM. p. 578. Quadragenaria hernia incarcerata laborabat,

quam

quam per quatuordecim dies celabat, tandem hac detecta, apparuit tumor in inguine, ruber, durus, et in centro fluctuans, qui, applicatis digeſtiuis, ſponte rupit, et exiit materia foecalis. Tractauit Cl. Auctor hoc vulnus mero decocto melleo et digeſtiuis, atque apta diaeta breui tempore aegra plane conualuit.

p. 585. 7) *Obſeruatio de vulnere abdominis* a Cl. MARTIN. Quidam laeſus eſt in regione vmbilicali, vt exiret magna portio epiploi, qua apte reducta, impoſuit Cl. Auctor vulneri puluillos, balſamo ARCAEI et aqua vulneraria imbutos, aptasque faſcias comprimentes adhibuit, et accurata diaeta, crebraque venaeſectione aegrum decem et octo diebus ſanauit.

p. 588. 8) *Obſeruatio chirurgica de vulnere pulmonis, cum dilaceratione arteriae intercoſtalis coniuncto, poſt ictum ſicae* (bajonette) *in thoracem penetrantis, excitato ac breui tempore curato*, a Cl. NULLESON iuniore. Militi inflictum eſt vulnus thoracis ab inſtrumento, *bajonette* dicto, quod laedebat arteriam intercoſtalem coſtae quartae, ipſumque pulmonem. Chirurgus imperitus ſtatim immiſit vulneri turundam magnam lintei carpti, ad ſiſtendam haemorrhagiam. Sed accedebat orthopnoea cum febre, haemoptoe, ac peſſimis ſymptomatibus. Hinc eduxit Cl. Auctor turundam, dilatauit vulnus, ligauit arteriam intercoſtalem, et aptauit ſitum aegri ad exitum materiae, in cauitate pectoris effuſae, aptisque iniectionibus idoneaque medela aegrum tandem quatuordecim diebus plenariae ſanitati reſtituit.

p. 595. 9) *Obſeruatio chirurgica de vulnere ventriculi, ſutura pellionum curato* ab EODEM. Miles in rixa laedebatur enſe ad hypochondrium ſiniſtrum in media

parte

parte regionis epigaſtricae prope cartilaginem xiphoidem. Vulnus penetrabat in ventriculum anterius, ad duos pollices longitudine. Singultus, vomitus perpetuus, et peſſima accedebant ſymptomata. Hinc dilatauit Cl. Auctor vulnus, ac laeſam partem ventriculi, ſutura pellionum, vniit, et gaſtroraphia, aptaque diaeta, fomentatione abdominis, cautaque vulneris tractatione aegrum feliciter ſanauit.

10) *Obſeruatio de partibus genitalibus viri, ictu cultri laeſis*, a Cl. PENANT. Operarius duodetriginta annorum ad radicem penis laeſus eſt cultro. Muſculi erigentes et corpora cauernoſa erant diſciſſa, vrethra tamen illaeſa, ac ſcrotum fiſſum et haemorrhagia maxima. Sanguinem ſedauit Cl. Auctor linteo carpto, aqua aluminis imbuto, et apta diaeta, vſuque infuſi corticis Peruuiani aegrum intra duos menſes cum ſemiſſe ſanauit. p. 598.

In Tomo XXVIII. haec inprimis indicanda ſunt. Tom. XXVIII.

Menſe ianuario, 1768.

3) *Obſeruatio de tetano eſſentiali et vniuerſali infantis octo dierum, ope balneorum ſublato*, a Cl. CELLIER. Hic infans toto corpore obriguit, ſed, adhibitis balneis, cum decocto emolliente mixtis, quibus bis de die ad duas fere horas vtebatur, in tribus hebdomadibus plane victus eſt morbus, ac infans conualuit. p. 24.

4) *Litterae* Cl. BUREL ad Cl. DUFEAU *de tetano*. Sartor triginta ſex annorum, febre putrida cum ſopore perpetuo laborabat. Cl. Auctor die decimo quarto morbi accerſitus, adhibuit veſicatoria et euacuantia, quibus febris et lethargus plane victi p. 28.

ſunt; attamen ſenſim acceſſit difficultas deglutiendi, tantopere increſcens, vt maxilla vtraque maxime contraheretur, totumque corpus, inprimis caput et collum, rigeſcerent. Pediluuia dolores maxime augebant, et aeger intra quatuor et viginti horas mortuus eſt. Poſt mortem effluebat ingens copia materiae purulentae e naribus, auribus et ore. Catochus itaque poſtremo tempore in tetanum ſe mutarat.

p. 44. 6) *Remedium, in depellenda taenia efficaciſſimum, atque obſeruatio de digitali, in oeſophago puellae haerente, atque hinc educto*, a Cl. RATHIER. Ad expellendam taeniam commendat bolum e pulv. ſabinae granis XX. ſem. rutae gr. XV. mercur. gr. X. olei tanaceti guttis 12. c. ſyr. flor. perſic. paratum, cuius alteram partem matutino, alteram veſpertino tempore praeſcribit, ac deinde cyathum vini, in quo nuclei perſicorum per duodecim horas macerati ſunt.

p. 45. Puella caſu fortuito deglutiuit digitale, quod haerens in oeſophago, eius inflammationem et peſſima ſymptomata excitabat. Hoc eduxit tandem Cl. Auctor peculiari inſtrumento, quod, icone adiecta, delineatur, atque ſic aegram ſaluauit, et aptis gargariſmatibus et cataplaſmatibus breui tempore ſanauit. Siſtit hoc inſtrumentum digitale, vnco inſtructum, et ad latera pertuſum, vt filis ad manum alligari poſſit. Huic inſtrumento immiſit indicem, atque eius vnco tandem oeſophagum petiit.

p. 48. 7) *Litterae* Cl. PORTAL ad Cl. SONGER DU LAC, *quae ſiſtunt nonnullas obſeruationes, de abuſu machinarum in tractandis luxatis partibus.* Cadaueri, ablatis integumentis, applicauit inſtrumenta, ad luxationem

tionem humeri reponendam pertinentia, ac vidit, in contraextenſione inprimis laedi nimia compreſſione muſculum pectoralem magnum et dorſalem magnum, ac in extenſione humeri inprimis muſculum bicipitem. Hunc mechaniſmum adiecta icone magis illuſtrat Cl. Auctor.

8) *Obſeruatio de lithotomia* a Cl. MEIEAN *peracta.* Opilio a calculo veſicae multum paſſus eſt, et quamquam eius extractio per lithotomiam bis ſuſcipiebatur, tamen nullo modo educi poterat, ac aeger mortuus eſt. E cadauere exemta eſt pars calculi diffracti, et alius inueniebatur calculus, pondere ſeptemdecim drachmarum, qui in peculiari diverticulo haerebat. Veſica inciſa oſtendit tunicas craſſiſſimas, inprimis ad collum, ipſaque in tres cavitates erat diuiſa, ob dilatatam, intumeſcentem et prominentem tunicam internam. p. 65.

Menſe februario.

4) *Excerptum e litteris* Cl. HUCK, *ſiſtens aliquot experimenta de nouis methodis inoculationis variolarum.* Vt ſpectaret, vtrum inoculatio, praemiſſa apta praeparatione, praeſtantior eſſet, an ea, vbi omnis omittitur praeparatio, varios inoculauit infantes, vel antea rite praeparatos, vel non. Attamen vidit, non praeparatos ſuſtinuiſſe morbum longe mitiorem prae iis, quos antea praeparauerat, quamquam in vtrisque mitiſſimus erat. p. 160.

5) *Obſeruationes de nonnullis icteris partialibus* a Cl. STRACK. Iuuenis in icterum incidit, qui non niſi partem faciei colore flauo tingebat, nimirum a temporibus, palpebris, naſo, apophyſi zygomatica, vſque ad marginem labii oris ſuperioris p. 163.

ſe extendens, nec vllis remediis per annum cedens. Hic tandem acceſſu haemorrhoidum victus eſt. Alius iuuenis, vt et puella, maculis icteritiis faciei vexabantur, quas tamen vſus radicis rhabarbari depulit. Alius ſenex, febre quartana laborans, ante quemlibet paroxyſmum vidit quatuor digitos manus dextrae, vt et metacarpum colore flauo imbui, eundemque colorem a febris calore diſſipari. Hic vero icterus vna cum febre a cortice Peruuiano ſublatus eſt. In alio flaueſcebant vltimae phalangae digitorum manus dextrae vna cum vnguibus, poſt podagram retrogreſſam in regionem epigaſtricam. Hic icterus copioſis ſudoribus ſublatus eſt.

p. 173. 7) *Obſeruationes de fracturis colli femoris et humeri*, a Cl. MARTIN. Sexagenariae a lapſu fractum eſt collum femoris. Hoc reducto, applicauit Cl. Auctor meram faſciam, *ſpicatam* ſic dictam, cuius circumductiones creberrime ſe decuſſabant in latere externo articuli, et aegra in ſex menſibus curata eſt. Simili modo deligandi ſanauit fracturam colli humeri quadragenarii in ſpatio trium menſium.

Menſe martio.

p. 212. 2) *Obſeruatio de mania feminae, quae octauo die poſt partum acceſſit*, a Cl. PLANCHON. Femina a partu laborioſo breui tempore quidem reficiebatur, ſed, quamquam mammae valde intumeſcebant, tamen, loco lactis, ſanguis hinc educebatur, et octauo die acceſſit mania. Oriebatur tandem abſceſſus femoris, qui ſenſim in gangraenam tranſiit, et aegram e vita ſuſtulit. Hinc confirmatur veritas aphoriſmi 40. lib. V. HIPPOCR. *mulieribus, quibus ſanguis in*
p. 222. *mammas conuertitur, maniam ſignificat.* Alia puerpera a ſuppreſſione lochiorum inflammationem vteri

accepit,

accepit, qua reſoluta, lac tam copioſe in mammis ſecretum eſt, vt maximopere intumeſcerent, aegra vero interea incidit in delirium melancholicomaniacum cum inſomniis per decem dies, donec lac perpetuo et copioſe excernebatur.

3) *Deſcriptio noxae manuſtuprationis*, a Cl. NIC. DU SAULSAY. Iuuenis robuſtus ſeptemdecim annorum, vltra annum quotidie manuſtupratione ſe inquinauerat, ac deinde per decem menſes Veneri immodice ſe dederat, vnde maxime emaciatus eſt. Paulo poſt ſenſit pondus ventriculi, nauſeas, flatus, aluum vel nimis laxam, vel nimis adſtrictam, dolores lumborum, languorem, ſomnum inquietum. Acceſſit deinde ſyncope, dolor pulmonum, tuſſis ſicca, maraſmus. Tandem ſanguis effluebat e naribus reſolutus ac valde ſeroſus, acceſſit febris cum largo ſudore ac coecitas. Apta medendi methodo vires quidem ſenſim ſatis recuperauit, coecitas vero nullo remedio tolli poterat. p. 224.

4) *Obſeruationes de effectu ſingulari hyoſciami, exterius applicati, in inflammationibus, rheumatiſmo et arthritide*, a Cl. RENARD. Hyoſciamum vulgarem ſeu nigrum inprimis exterius applicare ſolet Cl. Auctor, cum fortius agat, et alteram ſpeciem longe mitiorem, ſcilicet hyoſciamum album maiorem, interius adhibet. Vtraque planta, exterius adhibita, exſerit vim emollientem, reſoluentem, demulcentem, atque exhalat vaporem ſtupefacientem. Ope ſpeciei prioris diſſipauit inflammationem permagnam mammarum puerperae; cephalalgiam enormem; arthritidem vtriusque manus. Folia huius plantae triplici modo adhibenda ſunt, vel integra, calefacta et emollita, vel trita et calefacta ſub forma cataplaſmatis, vel coquantur, eorumque vapor p. 241.

por foueat membra affecta. Hic vapor, caute praecaveatur, ne caput laedat, hinc praeparetur haec herba in loco aperto ſumma cum cautela. Qua enim neglecta, excitat rixas inter eos, qui tractant hanc plantam, vti demonſtratur exemplo adiecto.

p. 268. 7) *Obſeruatio de vlcere mammae*, a Cl. GRIVET *curato*. Virgo viginti vnius anni, poſt ictum pectoris, incidit in vlcus cancroſum mammae. Hoc tractavit Cl. Auctor fomentatione decocti ſolani, geranii et althaeae: dedit deinde medicamenta gummi ſaponacea, et interdum purgantia, ac poſt tres menſes hoc vlcus radicitus eſt curatum. Cum vero recrudeſceret vulnus, plenariam tandem cicatricem, ope vnguenti neapolitani, obtinuit.

Menſe aprili.

p. 314. 2) *De vtilitate balneorum in variolis*, a Cl. MARTEAU. Balnea tepida, adeoque calida vtiliſſima ſunt ad accelerandam eruptionem variolarum, ſi pulſus paruus, celer ac durus primo die praedicat difficilem eruptionem. Eadem balnea CLIFTONUS vel in tertia periodo variolarum commendat, ad moderandam nimiam febrem ſecundariam. Profert Cl. Auctor quinque obſeruationes, quae vtilitatem balneorum in variolis ſatis demonſtrant.

p. 320. *Obſeruatio I.* Femina generoſa initio grauiditatis, ob colicam bilioſam, vſa eſt balneis per quatuordecim dies, quae vero abortu intercepta ſunt. Paulo poſt incidit in variolas, eaeque tantum in corpore ac in glutaeis erumpebant, pauciſſimae in facie.

p. 320. *Obſeru. II.* Puer vndecim annorum tactus eſt febre varioloſa, quae poſt venaeſectionem et vomitorium diſparuit. Quinto die rediit febris cum vomitu

mitu perpetuo ac delirio. Erupta eſt lentiſſime maxima copia variolarum malignarum cum ſymptomatibus peſſimis. Immiſit itaque Cl. Auctor aegrum in balneum calore 33 gr. therm. REAUM. e lacte et aqua paratum, beneque ſe habuit, eoque repetito variolae optime ſucceſſerunt. Attamen remanſit febris maligna, atque tres abſceſſus ad genu, coxam et ſcapulam, quibus caute tractatis, tandem rediit plenaria ſanitas.

Obſerv. III. Puella febrem vehementem cum p. 325. affectibus ſoporoſis ac delirio paſſa eſt, et erumpebant variolae copioſae, ſed paruae ac depreſſae. Balnea vero tepida, ſaepius repetita, omne periculum depulerunt, et variolae poſtea ex voto periodos ſuas peregerunt.

Obſerv. IV. Centurio poſt magnas defatigatio- p. 326. nes incidit in variolas malignas, ac ſumto, ex commiſſo errore, ſpiritu lauendulae, ſibi excitauit ventriculi et inteſtinorum inflammationem. Acceſſit deinde haemorrhagia oris, narium et aurium, a nimia ſolutione ſanguinis pendens. Cl. Auctor immiſit aegrum in balneum fere frigidum, eique venam ſecauit vſque ad lipothymiam. Sed paulo poſt febris mitior facta eſt, delirium ceſſauit, et puſtulae, nunc magis eleuatae, conſuetas periodos abſoluerunt, et aeger conualuit.

Obſeru. V. ex hiſtoria academiae ſcientiarum p. 327. anni 1711. deſumta, deſcribit aegram, in qua variolae ob ſiccitatem ac duritiem cutis prorumpere non poterant; attamen balneum calidum eruptionem mox accelerauit.

3) *Sectio cadaueris* ab EODEM. Senex ſeptua- p. 328. ginta duorum annorum, poſt lapſum ſenſit dolorem in hypochondrio dextro, quem ſequebatur icterus, ac, ſumtis draſticis, hydrops, quo periit. In eius ſe-

ctione apparuit inflammatio canalis inteſtinorum et omenti; hepar durum et pallidum continebat veſiculam felleam, calculis et materia viſcida inſigniter extenſam. Ad pylorum conſpiciebatur ſcirrhus duritie cartilaginea; pancreas ſcirrhoſum erat. Vtrumque pectoris cauum aquam continebat.

p. 336. 5) *Obſeruatio de tuſſi conuulſiua*, a Cl. DE LA VALLEE. Haec tuſſis coniuncta eſt cum ſtimulo bronchiorum, qui conuulſionem muſculorum, reſpirationi inſeruientium, excitat, ac inprimis apud infantes locum habet. Tollitur, ſi primae viae purgantur emetico vel catarctico. Puellae octenni, hoc morbo affectae, applicauit linteum, aqua frigida imbutum, ſub ſterno, vnde victus eſt ſtimulus, ac rediit ſomnus, et, ſumto emetico, ipſa ſanitas.

p. 343. 6) *Obſeruatio de bronchocele, puluere teſtarum calcinatarum diſſipata*, a Cl. DAPEYRON DE CHEYSIOL. Femina, quadraginta duorum annorum, iam per tres annos laborabat bronchocele pugni magnitudine. Cum reliqua medicamenta nihil effeciſſent ad hanc ſoluendam, dedit tandem Cl. Auctor per menſem puluerem teſtarum leniter calcinatarum. Sumſit aegra bis de die drachmam vnam cum cochlearibus quatuor vini rubri, eiusque vſu in triginta quinque diebus hic tumor plane diſparuit.

Menſe maio.

p. 448. 3) *Operatio caeſarea feliciter peracta poſt rupturam vteri ad finem grauiditatis.* Auctore Cl. THIBAULT DESBOIS. Cum iam orificium vteri parturientis ſe dilatabat, ſubito ſenſit dolorem vehementem in latere ſiniſtro, a ruptura vteri exorientem. Suſcepit itaque Cl. Auctor ſtatim ſectionem caeſa-

ream

ream, atque eduxit ex abdomine fetum iam demortuum; exhauſto ſanguine extrauaſato, vulnus tribus ſuturis vniit, apteque deligauit. Altero die prolapſa erat portio inteſtini inter ſuturas, quapropter quartam ſuturam addidit. Vomitum perpetuum ſedauit clyſmatibus, quibus tandem alui excretio reſtituta eſt. Bona acceſſit deinde ſuppuratio vulneris, tandemque eius plenaria coalitio triceſimo die ſecuta eſt. Dein ad praecauendam herniam ventralem bracherio vſa eſt.

5) *Animaduerſiones ſuper methodum medendi tumores hernioſos, cum ſymptomatibus variis ſtipatos*, a Cl. MARTIN. Studet inprimis Cl. Auctor, vt relaxentur annuli abdominis, et ſitu apto, cataplaſmatibus farinoſis, clyſmatibus, temperantibus et purgantibus ſimul adhibitis, id efficit. Repetit inprimis venaeſectionem qualibet hora ſecunda, atque tam crebro, quam vires aegri permittunt, ac plerumque poſt aliquot venaeſectiones hernia reponi poteſt *taxi*. Addit tres obſeruationes, quae felicem ſucceſſum huius methodi medendi confirmant, qua in magna aegrorum copia eadem felicitate vſus eſt. p. 464.

Menſe iunio.

2) *Continuatio obſeruationum, huic diario iam inſertarum* *), *de effectibus oxymellis colchici in hydrope*, a Cl. PLANCHON. Vt hoc remedium praeſtantiam exſerat in hydrope, requiritur, vt aquae extrauaſatae adhuc reduci poſſint ad ſanguinem, nec vaſa reſorbentia nimis relaxata ſint. Infantem triennem, anaſarca, aſcite ac hydrocele affectum, primo purgauit tinctura hydragoga, isque deinde conti- p. 504.

 nuato

*) vid. Vol. XXIII. p. 324. Comment. lor. Vol. XVI. p. 65.

nuato vſu oxymellis colchici, et decocti ſeminum geniſtae toſtorum plane ſanatus eſt. Alius viginti duorum menſium, poſt epilepſiam chronicam in anaſarcam incidens, iisdem remediis, additis tandem martialibus, plane reſtitutus eſt. Septuagenaria, aſthmate et anaſarca affecta, ſumſit oxymel colchicum per tres menſes bono ſolatio; attamen cum repudiaret eius vlteriorem vſum, auctus eſt morbus, ac aegram interfecit. Infans triennis poſt febrem intermittentem incidit in anaſarcam et maciem ſummam; poſt vſum vero oxymellis colchici cum ſpiritu nitri dulcis, ac deinde cum eſſentia dulci STAHLII coniuncti, aquae, diureſi aluique deiectione inſigni, ſubductae ſunt, et infans paulo poſt conualuit. Idem remedium virginem monialem hydropicam ſenſim ſanauit. Virgo triginta ſex annorum, e retentione menſtruorum aſcitica facta, hoc oxymelle colchico cum ſpiritu nitri mixto, tandem curata eſt. Alia aſcitica ab octo vnciis oxymellis colchici nihil commodi habuit; E contrario tricenarius a quatuor vnciis eiusdem oedematibus pedum liberatus eſt, ac iuuenis vndeuiginti annorum, anaſarca affectus, eodem remedio ſanitatem recuperauit. Phthiſicus, in anaſarcam incidens, ab oxymelle colchico, cum decocto hyſſopi ac ſyrupo althaeae et ſennae mixto, breui tempore ab anaſarca ſanatus eſt.

p. 522. 3) *Relatio de partu monſtroſo* a Cl. DU MONCEAU. Femina peperit iuſto tempore et partu agripparum gemellas, bene quidem conformatas, ſed ſibi inuicem adnatas, a ſuperiore parte thoracis vſque ad vmbilicum, ac labio leporino inſtructas. In earum diſſectione apparuit, vtrique deeſſe ſternum. Aderant in vtraque puella pulmo, canalis inteſtinorum, lien, renes, veſica, vterus ac veſicula

fellea

ſellea duplex. Diaphragmata et hepata arcte inter ſe adhaerebant, vt et cor duplex, quod primo adſpectu ſimplex videbatur, et vno tantum pericardio cingebatur. Placenta ſimplex erat, ſed permagna, et funiculus vmbilicalis quatuor arterias duasque venas continebat, in abdomine gemellarum ſe diuidentes. Mater fomentis a dolore abdominis et genitalium inſigni mox liberata eſt, ac deinde rurſus bis peperit.

5) *Litterae* Cl. BEAUSSIER ad Cl. ROUX *de noua methodo amputandi humerum ex articulo.* Depinxit Cl. Auctor iconem, quam olim dederat Cl. DAHL *). Siſtit haec icon torcular nouum, ad arteriam axillarem comprimendam aptum. Compoſitum eſt e lamina ferrea elaſtica octodecim pollicum, cuius parti ſuperiori incuruatae applicatum eſt ſplenium, gynglimo inſtructum, quod cochlea verſus arteriam premitur. Loris aptis corpori applicatur. Deſcribit deinde Cl. Auctor methodum amputationis humeri ex articulo, quam, vt ſatis cognitam, hic omittimus, et addit tandem varias cautelas. p. 530.

6) *Litterae de inſtrumento apto ad iniicienda alimenta ac medicamenta in oeſophagum, inuento* a Cl. DE BAUVE. Quidam apoplexia et paralyſi oeſophagi tactus eſt, vt deglutitio plane impedita eſſet; iniectis autem peculiari inſtrumento alimentis et medicamentis liquidis in oeſophagum, diu ſeruatus eſt. Deſideratur vero hic deſcriptio huius inſtrumenti vlterior. p. 542.

*) vid. RUD. AUGUSTIN. VOGEL Diſput. inaug. de humeri amputatione ex articulo. Reſp. et Auctore *Petr. Henric. Dahl.* Gottingae 1760. 4. c. tab. aen.

II.

Hiſtoire des maladies de S. Domingue, par Mr. POUPPE DESPORTES, Médécin du Roi, et Correſpondant de l' Académie Royale des Sciences de Paris. Tome premier. A Paris, chez Lejay, Libraire, 1770. 12 pl. 14. Tome ſecond. Ibidem eodem anno, pll. 14. absque indice.

Traité ou Abbregé des plantes uſuelles de S. Domingue par Mr. POUPPE DESPORTES. cet. Tome troiſiéme. Ibidem, eodem anno, pll. 19.

i. e.

Hiſtoria morborum inſulae S. Dominici, Auctore Cl. POUPPE DESPORTES. Tomi tres, quorum vltimus indicem plantarum, huius inſulae indigenarum, complectitur.

Plura capit hic liber, quam titulus promittit: loco ſolius enim tractationis de morbis inſulae iſtius, varia ſcripta, ab Auctore hoc confecta, ſimul exhibentur, quae tamen tantum abeſt, vt omnia vnius eiusdemque pretii inuenerimus, vt potius validum nobis dubium enaſceretur, an auctor iſta omnia, prout nunc apparent, in lucem publicam editurus fuiſſet, ſi ipſe adhuc viueret; Verum hoc ſaepius fatum experiri videmus ſcripta poſthuma celeberrimorum quorumuis et doctrinae cuiuscumque laude florentiſſimorum virorum, quod vtrum praeiudicio auctoritatis in tantae famae nomina, an ſordidae lucri cupidini ſit adſcribendum, nobis iam non lubet diſquirere, protinus ad noſtri operis recenſionem progreſſuris, quum prius de ipſius Auctoris vita, quam praefatio partis primae exponit, quaedam commemorauerimus.

IOHAN-

IOANNES BAPTISTA RENATUS POUPPE DESPORTES natus eſt Vitraei in Britannia minore die 28 ſeptembris 1704, patre vſus RENATO, itidem medicinae doctore, quandoquidem ſtirps eius quatuor iam ante eum medicos patriae dederat: ſtudiis per ſex annos Lutetiae Pariſiorum incubuit, ibique botanices amore captus horas ſubſeciuas eadem impendit; poſtea Remis gradum doctoris adeptus, et anno demum huius ſeculi trigeſimo ſecundo medicus regius in inſula S. Dominici dictus eſt. Anno 1738 in numerum eorum, cum quibus ſub correſpondentium nomine commercium epiſtolicum alit Academia ſcientiarum Pariſina, ſuſceptus eſt, quam dignitatem eadem Academia anno 1745 denuo confirmauit. Poſtquam ergo munere ſuo egregie functus eſſet, et noſocomium non tantum amplificaſſet, ſed et varia ſaluberrima inſtituta in eodem introduxiſſet, et, quod ex ſcriptis etiam ipſius dilucide apparet, ſymbolo, quo vtebatur, non nobis, ſed reipublicae natos nos eſſe, ſemper conformem ſe geſſiſſet, 15 februarii 1748 in villa Morin huius inſulae diem obiit ſupremum.

Principium totius operis facit deſcriptio generalis huius inſulae, incolarum, et cauſſarum morborum, quibus iidem obnoxii ſunt. Inſula per totam longitudinem iugo montium, varia mineralia continentium, diuiditur, ex quibus riui ſcaturiunt, qui, increſcente pluuia aucti, heterogeneas ſubſtantias riuulis minoribus, partem magnam inſulae conſtituentibus, et eiusdem cum mari altitudinis, quos vulgo *Eſteres* vocant, communicant; in quibus ideo aqua dulcis cum marina commiſcetur, et frequentiſſimum habitaculum eſt inſectorum varii generis, quae non poſſunt non exhalationibus putridis ortum praebere, ex quibus cum humiditate nimia, aeriſque calore T. I. p. 16.

exceſſiuo

exceſſiuo praecipua cauſſa morborum putridorum in
p. 18. hac inſula pateſcit. Neque autem viua tantum cor-
pora inde male habent, ſed cadauera etiam citius,
quam alibi putreſcunt; et aeris indolem mire de-
ſtruere ipſa metalla, BONTIUS iam et BOER-
HAAVIUS teſtati ſunt, et Noſtri etiam
p. 20. experientia confirmauit. Multo tamen peiores hae
aeris conditiones forent, niſi venti duplicis generis,
iique ibi oppoſiti, perpetuo inter ſe alternarent, ita,
vt alter, *Briſe* dictus, ab hora matutina nona vel
decima ad eamdem horam veſpertinam flet, quem
tunc alter, a terra accedens, excipit: vtrumque ta-
men horum ventorum tempore hiberno aquilo, is-
que pluuioſus, et aeſtiuo auſter procelloſus inter-
rumpunt. Horum poſteriorum etiam viciſſitudines,
proprie diuerſas, has anni tempeſtates conſtituunt,
quamquam etiam diuerſae longitudinis dierum ratio
p. 21. quaedam habenda videtur. Aquilonem indigenis, au-
ſtrum recentibus aduenis pernicioſum eſſe conten-
dunt. Praecipua vrbs Gallorum, promontorium Gal-
licum ſeu *Cap François* dicta, non eſt ſita in regione
ſanitati conueniente, ſed effectibus aquarum iſtarum
Eſteres multum expoſita: ſalubriores ſunt eae vrbes,
quae vel ad montes, vel prope eosdem ſitae ſunt, et
ditioni Hiſpanorum parent, quamquam et temperan-
tiam, affectuumque animi moderationem multum ad
ipſorum longaeuitatem facere omnino concedi debeat.
Quod Gallicos incolas huius inſulae ſpectat, qui obie-
ctum primarium huius libri ſiſtunt, diſtinguere eos
p. 22. oportet in indigenas et extraneos: priores plerumque
ſunt temperamenti mollis, pituitoſo melancholici vel
pituitoſo bilioſi; poſteriores, in Europa ſub zona tem-
perata nati, conſtitutionis robuſtioris; illi morbis hie-
malibus, hi aeſtiualibus magis expoſiti. Praeter cauſ-
ſas autem generales, ex aeris conſtitutione repeten-
das, ad victum etiam ſaepe deteriores indolis, ad ve-
neris

neris abuſum, et praecipue ad triſtes vehementioresque animi affectus reſpiciendum eſt, quod exemplo belli, quod ſuo tempore Hiſpani Gallique cum Anglis geſſerunt, Auctor noſter confirmat; vbi, p. 28.
concurrentibus tamen cauſſis phyſicis ex peruerſa tempeſtatum qualitate, intra tres quatuorue annos plures emortuos vidit in hac inſula, quam in decem annis praegreſſis.

Succedit huic deſcriptioni hiſtoria conſtitutio- p. 31.
num epidemicarum ab hyeme anni 1732, in quo Auctor inſulam hanc intrauit, vſque ad initium anni 1747, intertextis annotationibus quibusdam, de morbis huius illiusue anni, hiſtoriis etiam ſingularium aegrorum inſperſis, adiunctisque hinc inde medicamentorum formulis, quae tamen, cum vix non ſemper ex plantis indigenis depromta ſint, nobis non adeo facilia intellectu et diiudicatu eſſe poſſunt. Quum autem de his in tomo tertio, ac de morbis ipſis in continuatione tomi huius prioris et in ſecundo agatur, pauca tantum hinc inde decerpamus.

Decubitus catarrhales ad pectus, vti rariores p. 33.
ſunt in hac inſula, quam in Gallia, ſic incolas etiam nigros plus infeſtant, quam albos, quum illi iniuriis aeris magis exponantur, laboribus magis debilitentur, et plene ſudantes balneo vtantur, ſomnumque, in aere libero terrae incumbentes, capiant; hi morbi praeterea omnes billioſae indolis erant. Vomitorium raro locum habet, ob calorem inſignem, pulſusque duritiem. omnes fere morbos concomitantem. Noxium praeiudicium erat, licet antiquitate obfirmatum, in morbis catarrhalibus venam ſecandam non eſſe, qui ideo facile in decubitus ſuppuratorios degenerabant. Vermes in nigris frequentes ſunt, et horum in praeſenti morbo omnino ratio ſimul haberi debet. Colica bilioſa et Pictonum pa- p. 36.
rum inter ſe differunt, et iisdem fere remediis indigent;

gent;

gent: ante vomitorium aeger ſanguinis miſſione,
balneis et clyſteribus emollientibus praeparandus eſt,
et ſubſiſtente adhuc morbo, decocto caſſiae, opio,
et balſamo arboris, *ſucrier* dicti, quem quidem Peru-
viano aequiparat Auctor, vtendum. In cholera opio,
non niſi in caſu extremo adhibito, prius laxante, vſus
eſt Noſter. In dyſenteria abſceſſus, in conuexa he-
patis parte formatus, operatione citius et felicius,
p. 40. quam in Gallia curatur. Morbus Siamenſis febris
bilioſa, *Yellow-Fevers* Anglorum, diriſſimum ma-
lum, quod per plures annos in hac inſula ſaeuiit,
id tamen peculiare habuit, quod ex infinito aegro-
rum numero non niſi vnica femina eodem affecta
fuerit. Febres tertianae duplicatae ſaepiſſime in
p. 53. continuas, easque periculoſiſſimas mutabantur, quas
tamen nonnumquam ſalutaris criſis per carbunculos,
in capite et tota corporis ſuperficie enatos, tollebat.
Nautae prae reliquis morbo Siamenſi ſubiecti erant,
qui intra viginti quatuor horas aegros praecipitabat.
Feminae in hac inſula ob copioſiorem perſpiratio-
p. 57. nem menſtrua iuſto citius amittunt, idque cum mor-
bis periculoſiſſimis; citius etiam ideo ſeneſcunt.
p. 59. Hyſtericis multam opem fert aqua mineralis artifi-
cialis ex manipulo clauorum veterum, rubigine tacto-
rum, qui cum drachma vna ſalis ammoniaci per vi-
ginti quatuor horas in duabus vel tribus libris aquae
infunduntur, cui poſtea, pro diuerſitate morbi, variae
p. 62. nonnumquam plantae vterinae incoquuntur. Oph-
thalmiae in hoc climate celeriter viſus vſum tollunt,
frequentes tamen, praecipue aquilone regnante,
quod HIPPOCRATES iam cognouit. Hyeme
1735 feminae potiſſimum grauidae, febribus tertia-
nis et duplicatis, et in continuas transeuntibus, affe-
ctae, male habitae ſunt, et complures abortum paſ-
ſae, aut partum laborioſiſſimum expertae: verſus no-
num vel vndecimum morbi diem inflammatio

hepatis

hepatis vel inteſtinorum ſuperuenit, vix non ſemper letalis. Contagioſorum morborum cauſſa quaedam etiam in recens exſtructis, poſt incendium anni 1733 domibus poni debet, quum fieri non potuerit, quin terra effoſſa et muri, recenter calce obducti, aerem vaporibus noxiis inquinauerint; quamquam ipſe Auctor negare non poteſt, vapores, per frequentes procellas adductos, his multo perniciſiores fuiſſe. Tranſpiratio crebrius ſuppreſſa decubitus catarrhales frequentiores in regionibus calidis reddit, praecipue ad aures, oculos ac dentes, veſicatoria, pone aures et ſuper os occipitale applicata, praeſtantiſſimi vſus ſunt. In morbis infantum purgantia, eaque fortiora etiam, nullum effectum in his locis praeſtant; vomitoria magis proficua ſunt. Hyeme anni 1736, poſt inſignem ſiccitatem tempeſtatis, febres peſtilentiales diuerſum typum ab illis praecedentium annorum aſſumſerunt, adeo, vt fere cum morbo Siamenſi comparandae eſſent: in pluribus purpura ſuccedebat, in aliis vel paullo ante vel poſt mortem haemorrhagia narium, in aliis aliae mutationes; plerumque tamen funeſtae, eueniebant. Aeſtate anni 1737 colicae vehementiores fuerunt, quam alias: obſeruauit Cl. Auctor diuerſam earum ſpeciem, quam veneream dicit, iis familiarem, qui gonorrhoea laborabant, cuius virus regurgitans inteſtina afficiebat; vehementior ea fuit et longioris durationis, quam colica Pictonum, et longiorem vſum purgantium, atque, his praemiſſis, narcoticorum poſtulauit. Morbi huius conſtitutionis id peculiare habuerunt, quoniam facillimo negotio aluus laxari poterat, quod cautos nos eſſe debere monet in vſu laxantium, praecipue in diebus canicularibus, quum tempeſtas pluuioſa eos anteceſſit. Eidem tamen cauſſae felicius ſuccedens curatio morbi Siamenſis adſcribenda erat. In genere tempeſtas pluvioſa

p. 69.
p. 71.
p. 74.
p. 79.
p. 85.
p. 87.

vioſa morbos contagioſos arcebat, qui frequentiores erant, quum ſiccitas inſignis pauciorem pluuiam antecedebat et inſequebatur, idque eam ob cauſſam, quia inundatio partem principiorum noxiorum quaſi inuoluebat, quae, aere leuius tantum humectato, facilius extricabantur et putredinem contrahebant.
p. 89. Variolae a nigris, in ſeruitium coemtis, in inſulas deferri creduntur, quamquam Auctor noſter eas potius a conſtitutione tempeſtatum oriri putat: eae tamen vix vmquam, niſi per incuriam, periculoſae fiunt. Quia autem cutis pedum in iſtiuſmodi ſeruis durior eſt, in eruptione puſtularum eo reſpici oportet, ne ſuppuratio forte vermibus ibi nidulandi opportunitatem praebeat. Infantes tum demum in periculum incurrebant, cum febris verminoſa accedebat: iuuabat kermes minerale ad granum vnum cum oleo amygdalarum dulcium ſaepius exhibitum, et puluis contra vermes in bolo aut ptiſana datus. Vbi ſuppuratio, veſicatoriorum ope excitata, ſuſtentanda erat, conducebat vnguentum baſilicum adiuncto cantharidum puluere, fortius redditum. Hyeme anni 1739 morbus Siamenſis crebro parotidibus et
p. 94. abſceſſibus ad crura concomitatus fuit; frequentiſſime parotides diarrhoea indicatae fuerunt, imo nonnumquam, hac ceſſante, redierunt; quare, purgantibus atque applicatis topicis emollientibus et reſolventibus, easdem tractare oportebat. Inciſio autem effectu carebat, ſi febris adhuc reſiſtebat; neque in
p. 98. hoc caſu vera metaſtaſis critica dicenda erat. Hyeme 1740 febres tertianae duplicatae peculiarem typum ſeruabant, dum plerumque ſub ſpecie continuarum primo ſe ſiſtebant, et nonniſi 8, 10 vel 12 die in tertianas duplicatas tranſibant. Chinae indigenae cortex, amaritiei minoris, quam Peruuianus, in hoc prae reliquis morbo, praeſertim longius protracto, vtilis inuentus eſt, plura de hac medicina in recen-

ſione

ſione tomi tertii enarrabimus. Pauperes, pedibus nudis incedere coacti, vlceribus crurum peſſimae indolis, adeo vt intra 12 vel 15 dies os, perioſteo deſtitutum, carie tangeretur, affecti ſunt: amputato crure, miſere ac celerius, quam morbo, ſibi ipſi relicto, ob ſuperuenientem diarrhoeam periere. Sub- p. 106. ſequente aeſtate plurimi eorum, qui vlceribus malignis vel diarrhoea laborauerant, abſceſſibus hepatis vel pectoris enecabantur, quam mutationem inſolitam nimis ſubito auctae perſpirationi, quae in corporibus debilitatis ſuſtineri ſatis non poterat, Noſter adſcribit.

Ab eſu ſpeciei cuiusdam clupeae ſeu aloſae, quam p. 108. in inſultis *cayeuz* dicunt, multi homines perierunt; ſectum cadauer eiusmodi veneno occiſi hominis hepar duriſſimum et ſanguinem quam maxime coagulatum obtulit. Similem effectum fructibus mancanillae ſeu hippomanes adſcripſerunt, quem tamen Auctor aliis potius venenatarum arborum fructibus tribuit, quum hippomane hodie rariſſima ſit. Ter- p. 113. rae motus nonniſi tempeſtate admodum placida eueniunt, et huius mutationem praenunciant. Dyſen- p. 116. teriae, menſe februario 1741 nautis familiariſſimae, ex parte defectui carnis recentis adſcribendae erant, cum animalia anno ſuperiori morbo epidemico fere prorſus abſumta eſſent. Hyeme anni 1742 febres p. 123. tertianae duplicatae malignioris, quam alias, indo p. 126. lis fuerunt: inſigne remedium, in ſe ipſo etiam proficuum inuentum, expertus eſt Cl. Auctor in balneis tepidis, potiſſimum tum, cum debilis ad ſudorem diſpoſitio aderat. Monet tamen, caute obſeruandas eſſe mutationes, ab eius vſu in corpore aegroto productas, aegrumque calore foueri debere, cum ex balneo egreſſus ſit, et abdomini cataplaſmata calida admoueri oportere. Situs vrbis, quae Caſtellum p. 134. Delphini (*Fort-Dauphin*) dicitur, ample ſatis de-

ſcribitur, quippe qui ſanitati conuenientior eſt, quam reliquarum vrbium; haec autem ſalubritas potiſſimum tribuenda eſt exſiccationi locorum humidorum et paludoſorum, cuius effectus, ſaluberrimi iam tum, cum haec ſcriberet Auctor, in ſenſus incurrebant, licet tunc nonniſi tertia pars ope-
p. 141. ris huius abſoluta eſſet. Aeſtate anni 1745 animalia morbo contagioſo affecta fuerunt, in quo vermes in variis corporis locis enati ſunt; curatio in infuſo nicotianae cum vrina vel aqua calcis cum ſpiritu fac-
p. 143. chari (*taffia*) parato, poſita erat. Hyeme ſubſequente, obſtructiones lienis familiares, ſed funeſti exitus erant, praecipue in ſcorbuticis et venereis, quandoquidem vel febres lentas, vel diarrhoeas, ae-
p. 167. gros praecipitantes, producebant. Hyeme anni 1747 morbus Siamenſis, qui per aliquos annos mitis et ſporadicus fere fuerat, denuo graſſari incepit, inprimis haemorrhagiis inſignibus ſtipatus, hoc tamen diſcrimine, vt ſanguis, per anum excretus, mortem, per nares autem plerumque ſanitatem auguraretur: hoc poſterius accidebat iis, qui vehementi capitis dolore affligebantur, vnde bono cum ſucceſſu iugularis venaeſectio vſurpata fuit. In genere autem venae ſectio nonniſi cum ſumma cautione adminiſtranda eſt, habita temperamenti, virium aegroti, et ſymptomatum morbi ratione: id quod
p. 176. etiam de purgantibus valet. Ingens aegrotorum numerus cum medicamenta apprime neceſſaria conſumſiſſet, his alia, hucdum minus vſitata, inprimis ex indigenis, Cl. Auctor ſubſtituit, v. c. ipecacuanham Dominicenſem Braſilienſi cet. de quibus tamen inferius, vbi de eius pharmacopoea et plantarum officinalium indice acturi erimus, quaedam adhuc in medium proferemus.

p. 187. Succedunt obſeruationes ſuper diuerſis conſtitutionibus horum annorum, vbi iſtae inter ſe compa-

rantur

rantur, et nonnulla inde conſectaria phyſica, licet nondum ſatis confirmata et experientia comprobata, eliciuntur. Dolet Cl. Auctor, ſe in faciendis his obſeruationibus thermometro et barometro deſtitutum fuiſſe, adeoque eas iuſta accuratione deſtitui, quod quidem, ſi phyſicam meteorologiam ſpectes, omnino adfirmamus; et num ſumma haec exactitudo in conſcribendis medicis obſeruationibus vere neceſſaria ſit, et eſſentialem vſum praeſtet, res eſt, de qua multa diſputari poſſent, ſi inſtituti huius ratio pateretur.

Progredimur potius ad partem primarium totius operis, nempe deſcriptionem particularem morborum, et primo quidem febrium, quae in inſula S. Dominici graſſantur, vbi primo loco morbus Siamenſis pertractatur. Cuius quidem licet aliis iam locis mentionem fecerimus, cum deſcriptionum eiusdem, a Cll. LINING, HILLARY et BISSET factarum, recenſionem exhiberemus *): ideo tamen eum praeterire nolumus, quod obſeruationes noſtri auctoris nonnihil a reliquorum deſcriptionibus recedere invenimus. Indigenae rariſſime hoc morbo laborant. In duo ſtadia diuidendus eſt, in tempus febris et metaſtaſeos, ſiue ea critica ſit, ſiue aegrum trucidet. In primo ſtadio morbus interdum horrore, saepius tamen inſigni laſſitudine ſe declarat, febris ſubſequens dolore exquiſito capitis et lumborum ponderis in regione epigaſtrica ſenſu, et conatibus vomendi vel vomitu ipſo ſtipatur, ita quidem, vt vomitus plerumque tum, cum horror morbi principia declarauit, adſit. Febris ad tertium quartumue, rarius quintum diem continuo perdurat; qui horrore morbi initia experti ſunt, prae reliquis pulſum exaltatum

p. 191.
p. 193.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. VII. p. 96. Vol. X. p. 624. Vol. XV. p. 111.

exaltatum et fortem habent; cutis ſicca, ſaepius
arida: vultus et oculi rubent; vrina nunc rubra et
turbida, nunc naturalis, ſed parca copia, quod fu-
p. 194. neſti ominis eſt. Stadium ſecundum, febre finita, in-
cipit, quod vel ſubito fit, vel monſtrante ſe ictero
ſolo, vel iuncto cum purpura, haemorrhagiis, diar-
rhoea, vomitu. Pulſus tunc fere naturalis eſt, ſed
plerumque debilis et mollis, vrina craſſiſſima, ſae-
pius fuſca; animus admodum tranquillus, doloris
ſenſu carens. Aegrorum plurimi intra ſeptiduum
moriuntur. Aduenae omnes fere huic morbo ob-
noxii ſunt, maius tamen periculum iis inſtat, qui
fortiori habitu corporis gaudent; bilioſi et magis
adhuc melancholici primum eo afficiuntur, et etiam
pereunt. Feminae, ob molliorem habitum men-
ſtruamque euacuationem, rariſſime eo torquentur, et
facilius emergunt. Succoſa corpora, vel animi,
cuicumque rei acrius intenti, maiora prae reliquis
pericula incurrunt: temperamentum pituitoſum
omnium optime morbo ſuperando par eſt. Diſtin-
guendus eſt morbus in benignum, medium et ma-
lignum: prior vel ſine ictero, vel eo minoris mo-
menti tertio ad quintum diem fluxu ventris, ter-
minatur: ſecundus ictero quidem grauiori ſti-
patur, ſed nullis aliis ſymptomatibus fune-
ſtis, isque ſenſim cedit vel fluxu ventris, natura
aut arte excitato, vel largiori vrinae nigrae excre-
p. 197. tione, vel eruptione plurium furunculorum; in ter-
tio vnica ſpes in metaſtaſi, ad partes externas facta,
poni debet. Quod prognoſin ſpectat, horror peſſi-
mum ſignum eſt, aeque vt in iis, qui eum non ex-
periuntur, pulſus perpetuo depreſſus ac mollis,
quippe qui fere omnes in ſtadio febris occumbunt:
ſignum autem certiſſimum ab iis, quae criſin ante-
cedunt vel concomitantur, petendum eſt. Fluxus
ventris inſignis materiae diuerſi coloris, haemorrha-
gia quaecumque inſignis, potiſſimum colore ſangui-
nis

nis naturali, vrina abundans craſſa, imo nigra, ſurditas inſignis, in parotidem terminata, quae vel iterum reſoluitur, vel bonam ſuppurationem ſubit, in genere bonum euentum praenunciant: peſſima contra metuenda ſunt, cum in ſtatu cruditatis et febris icterus, parotides et purpura accedunt, venter adſtrictus eſt, aut materias nigri vel bruni coloris deiicit, aut eaedem iuſto citius euomuntur. Inquietudo ingens, dolor abdominis, quamquam leuior et ſaepe ſine tenſione, nonnumquam ſuperiora verſus cum ſingultu, nonnumquam verſus inferiora ſeſe extendens, vrinaeque ſuppreſſio mortem proximam oſtendunt. p. 200. Praeter haec generalia alia etiam particularia ſigna funeſti ſunt ominis, vt vulnera, venaeſectione inflicta, rurſus ſoluta, ſubſequente ſaepius gangraena, non coercenda; dolor viuus in extremitatibus potiſſimum iis, in quibus crebrius vena ſecta fuit, ſuperueniente itidem gangraena, quae raro ad ſuppurationem, at tunc ſalutarem, deduci ſe patitur, ſaepius autem, inprimis poſt nimias ſanguinis miſſiones, letalis fit, licet aegris a doloribus ventris plerumque immunibus. Tempeſtate ſicca vehementior eſt cephalalgia ventrisque obſtipatio, frequentiusque delirium, quam in humida: in illa frequentiſſimae criſes fiunt per carbunculos et gangraenam ſiccam; in hac per haemorrhagias. Icterus, parotides, ceteraque accidentia, ante ſeptimum diem vix non ſemper ſymptomatica, poſtea autem critica habenda ſunt, niſi tum febris recruduerit. Aperta cadauera pro vario morbi ſtadio varia exhibent: ex iis enim, qui, durante febre, occubuerunt, alii ſolo contagio, absque vlla viſcerum mutatione conſpicua, p. 202. periere; in aliis, violentia morbi enectis, hepar, lien, inteſtina tenuia, gangraenoſa, bilis coloris ex nigro fuſci expoſuerunt, qui atram bilem vomitu reiecerant, ventriculum et partem ſuperiorem duodeni partim gangraena, partim inflammatione correpta,

 qui

qui per aluum, totum canalem inteſtinorum eodem modo affectum obtulerunt; et ſic etiam, qui ſurſum deorſumque eam eiecerant. Potiſſimum tamen
p. 203. gangraena curuaturas et profunditates inteſtinorum, inflammatio reliquum tractum occupat. Mirum quoque eſt, aegros eiusmodi ventrem mollem, flauidum, doloris expertem, modo non premeretur, habuiſſe. Qui euacuationes has perpeſſi non fuerant, in his ſigna haec deerant. Qui deliria et lethargum, rarum quidem ſymptoma, experti fuerant, menynges inflammatas, ſubſtantiam corticalem cerebri rubeſcentis coloris, nonnumquam ad
p. 204. medullarem etiam penetrantis, offerebant. Qui ex plenitudine humorum obierant, mutationes paullo alias oſtendebant, neque adeo cito, quam ceteri omnes, in corruptionem tendebant. Neque morbum hunc HIPPOCRATI prorſus incognitum fuiſſe, variis teſtimoniis Auctor noſter probare ſatagit.

p. 206. In curatione tria ſtadia diſtinguit, nempe febris, remiſſionis, huic ſuccedentis, ac tantem terminationis. Indicationes autem omnes eo redire oportet, vt natura in expellenda per criſes materia morboſa adiuuetur, ſiue haec per diarrhoeam, ſiue per metaſtaſin in partem externam, ſiue tamen rarius, per copioſam vrinae nigrae excretionem fiat. Prior omnium frequentiſſima eſt. Generalibus autem indicationibus methodus medendi inniti debet: hinc venaeſectiones nonniſi ex ſtatu indiuiduo aegri iudicandae ſunt, in principio clyſmata purgantia, poſtmodum emollientia et fomenta ac cataplaſmata calida, toti abdomini applicanda; potus ſumendus copioſus, at demulcens, talis quidem, qualem aeger retinere poteſt, vo-
p. 209. mitu quippe, aut ad eum conatibus affectus. Aciduſcula potus genera multum ſe commendant. Febre vel minimum remittente, ſanguis non amplius mitten-

mittendus, ſed purgantibus, pro varia indicatione variis, vtendum; ſic etiam vomitoriis, in largo vehiculo exhibendis, locus ſuus concedendus eſt. Acida fortiora, licet antiſeptica videantur, aliena tamen ſunt ob ventris conſtipationem, numquam adhibenda, niſi vbi vomitus aut haemorrhagias enormes ſiſti oportet. In ſecundo ſtadio, quod inter febrem et tempus terminationis medium eſt, nunc per vnum, nunc duos dies ſubſiſtens, pergendum eſſe potu et clyſmatibus adaequatis, ptiſanaeque addita ſunt reſoluentia: vomitus nimius, ſiniſtrum ſignum in hac periodo, acida, epithemata externa et clyſmata crebriora poſcit. Ex purgantibus leuiora tantum ſalina, et prae reliquis manna, conueniunt. In terminatione morbi, ſi quis in triſti aegroti ſtatu ſpei locus ſupereſt, cardiaca leniora, interdum purgantibus ſocianda, propinari debent. Euacuationibus nimiis, aegrum debilitantibus, tertia vel quarta grani pars opii, ſubinde repetita proficua eſt: vomitus poſt febrem adhuc perſiſtens balneo tollitur; ſin vero niger is fuerit, neque hoc, neque alia remedia, quicquam praeſtant. Doloribus ad extremitates ortis, protinus cataplaſmata emollientia et maturantia applicari oportet, et ſimulac materiam collectam ſentiamus, inciſionem fieri et cataplaſmatum vſum continuari, non neglectis reliquis auxiliis, ex chirurgia petendis Euacuatio per vrinam leuioribus ptiſanis aperientibus, manna vel ſero lactis cum cremore tartari et naſturtio parato iuuanda eſt. Melancholici, et omnium optime ſanguinei, venaeſectionem facilius ferunt bilioſis et phlegmaticis, in quibus purgantia plus valent. Sanguis emiſſus ruberrimus eſt, floridus et ſpumeſcens, parum ſeri adiunctum habens. Poſt febrem eductus, per aliquot horas liquidus manet, ſeroque prorſus caret. Venaeſectiones igitur primis duobus morbi diebus adminiſtrari oportet, raro tertio die iis locus ſupereſt. Si materia

p. 210.
p. 212.
p. 215.

nimis copioſa eſt, adeo, vt ex decubitu in parte externa facta regurgitet, febremque denuo accendat, natura ſufficienter iuuatur purgantibus lenioribus et
p. 230. diureticis. Crebro etiam morbus iſte complicatur cum febribus tertianis duplicatis; idque arctius, ſi hoc iam ab initio morbi ſe monſtrauerit, et tunc praecipue, ſi febris bilioſa fuerit, vix non ſemper purpura accedit. Prognoſis et curatio ex iis patent, quae de morbo Siamenſi in ſe propoſita fuerunt.

Vti febres tertianae exquiſitae aeque, ac quarta-
p. 241. nae rariores ſunt in hac inſula: ſic e contrario tertianae duplicatae ſeu ſemitertianae frequentiſſimae, vnius fere eiusdemque indolis cum hemitritaeis veterum ac meſentericis BAGLIVII. Initium tertianae ſimplici ſimile eſt, et ſucceſſu demum temporis noui paroxyſmi accedunt, ita tamen, vt breuis tantum remiſſio, neque vere intermiſſio, obſeruetur. Acceſſus nauſea vel vomitu comitantur, qui, ſi inſignis fuerit, bonum ſignum cenſeri debet: pulſus frequens, aequalis, interdum paruus et ſerratus, interdum mollis; hypochondria eleuata, interdum dolentia; aluus conſtipata; caput ſemper affectum, nunc ſopore, nunc delirio; leuiore tamen, praecipua ſymptomata ſunt: ad quae tamen alia accedunt, pro diuerſitate febris vel bilioſae vel
p. 243. lymphaticae diuerſa: In priore hypochondria parum inflata, multum dolentia lingua humore flauo obducta et arida, pulſus paruus et ſeratus, delirium plerumque praeſens, paroxyſmi ſatis regulares; haec ſpecies temperie calidiſſima homines, acribus humoribus ſcatentes, et bilioſos prae reliquis afficit. Poſterior contra, licet mitior videatur, pertinacior tamen eſt, et difficilior curatu: abdomen magis inflatum eſt, quamquam mollius, hypochondria minus dolentia, pulſus mollis, vrina minus rubicunda, ſed crudior, delirium nullum ſed inſignis

virium

virium proſtratio, paroxyſmi magis irregulares, quorum vel ipſa longior duratio febrem lymphaticam declarat. Haec febris plerumque diarrhoea terminatur, quae, ſi chyloſa fuerit, in lymphaticis, p. 244. letalis eſt; bilioſa contra in bilioſis ſalutaris. Bilioſarum origo primaria in obſtructis viſceribus imi ventris, lymphaticarum in obſtructis glandulis meſenterii, ponenda videtur, et in poſteriori caſu potiſſimum pancreas, adiacentesque partes affici, cadauerum ſectiones docuerunt. Curandi methodus, pro diuerſitate morbi, attenuantia, emollientia externa atque interna, laxantia, venaeſectionem aliaque auxilia poſtulat, quae ex additis morborum hiſtoriis pateſcunt, vbi et abuſum horum remediorum Auctor noſter oſtendit, neque ſe ipſum venaeſectionibus nonnumquam plus iuſto inhaeſiſſe diffitetur.

Sequuntur nunc tractatus nonnulli minores, ob- p. 248. ſeruationum titulo inſigniti, et primo quidem de his ipſis febribus, vbi potiſſimum in cauſas variationis et mutabilitatis paroxyſmorum et ſymptomatum inquiritur, et nonnulla ad prognoſin eruendam inde colliguntur.

Secundo explicatur, quid ſub nomine conſtitu- p. 291. tionis epidemicae veniat. Neceſſitas et vtilitas aeris in oeconomia animali oſtenditur, modus, quo ille hanc exſerat, indicatur, et epidemica conſtitutio dicitur diſpoſitio ſeu qualitas aeris, plerumque a ventorum diuerſitate eidem communicata, peculiares impreſſiones corporibus impertiens, quae characterem morbi conſtituunt, eo vſque durantes, dum eadem qualitas aeris ſubſiſtit.

Tertio de temperamentis in genere diſſeritur. p. 294. Notione generali huius vocis exhibita, ipſorum diuerſae ſpecies conſiderantur. Quod veteres ſub nomine ſanguinei, bilioſi, pituitoſi intellexerint,

facile

facile explicatur: non aeque, quid temperamentum melancholicum ipſis dictum fuerit. Cuius cum ſedem primariam in liene poſuerint, haec omnia copioſius explicare ſtudet Auctor noſter, et, addita
p. 306. ex WINSLOVIO anatomica viſceris huius deſcriptione, colligit, bilem ceu fluidum ſaponaceum et lixiuioſum partem ſui craſſiſſimam ac terreſtrem acquirere ex ſanguine, ab inteſtinis refluo; oleoſam ex eo, qui a partibus, pinguedine copioſa donatis, regreditur: alkalinam ergo deberi lieni, in quo mechaniſmus circulationis filtri vices Noſtro gerere videtur, ad ſecernendum, figendumque alkalinum ſalem apti, nerueumque liquidum partim huic ipſi negotio fauere, partim etiam ſanguinis ſupplere motum,
p. 308. eiusque corruptionem impedire. Si ergo ex diſpoſitione naturali lien principium hoc ſalinum maiori copia ſecernit, inde temperamentum melancholicum, pro diuerſis admiſtis reliquis principiis variis gradibus diuerſum, oriri. Sicut autem in hoc principium alkalinum praedominatur: ita in incolis po-
p. 312. tiſſimum plagae ſeptemtrionalis oppoſitus ſtatus animaduertitur, acido nitroſo aereo ab Auctore noſtro adſcriptus, quod egregiam quidem corporibus illorum ſanitatem conciliat, ſed iisdem, in regiones auſtrales delatis, perniencioſiſſimum euadit. Ex his omnibus officium medici declaratur, temperamentorum indiuiduorum perſcrutationi ſedulo inhaerendi, iisdemque et morborum theoriam et curationis fundamenta ſuperſtruendi.

T. II. Tomus ſecundus aeque ac prior, varii argumenti tractatus complexus, primo loco de morbis chronicis inſulae huius exponit. Poſtquam in introductione locum ex BERKLAIS memorauit Auctor, in quo de morbis Americanorum in genere, deque infuſi picis liquidae aduerſus eosdem vſu agit, illumque

que vlterius explicauit, primo loco de cachexia diſſerit, quam in inſulis *mal d'eſtomac* dicunt, a praecipuo ſymptomate, pondere nempe, in medio potiſſimum regionis epigaſtricae percipiendo, quocum iunguntur appetitus deletus, cachecticus totius corporis habitus, laſſitudo et virium proſtratio inſignis, viſcerum imi ventris obſtructio; morbus iſte in ſcorbutum, atque inde vel in hydropem, vel in diarrhoeam tranſit. Alimentorum praua indoles ac deſidia primariae cauſſae ſunt, phlegmaticis inprimis corporibus infenſae: nigri crebrius reliquis eo morbo laborant. Facile etiam eo corripiuntur, qui ex alio morbo conualeſcentes, iuſto primarum viarum tono deſtituuntur. Curatio euacuantibus, reſoluentibus ac tonicis abſoluitur: niſi aluus nimium adſtricta fuerit, veſperi etiam theriaca, ex aqua et vino, danda. Remediorum autem actionem exercitio corporis atque victu potuque bonae notae iuuari oportet. Ab hac cachexia diſcrepant ſcorbutica et venerea: alia rurſus eſt ea, quae feminas, fluore albo benigno laborantes, infeſtat, vel eumdem antecedit.

p. 15.

p. 20.

Progredimur ad ſcorbutum, plerumque cum lienis obſtructione coniunctum, cuius quippe viſceris plurimi morbi chronici huius regionis adſcribi debent. Principium ſcorbuti naturae alkalinae volatilis eſſe videtur, atque eidem analogum, quod in morbo Siamenſi dominatur: quare in ſcorbuto terreſtri exhalationes acidae ſalis marini eumdem mirum in modum leuant. Primum quidem locum in curatione morbi huius Auctor noſter naſturtinis concedit, ſimul vero illis adſtipulatur, qui in ſubiectis viuidioribus eadem acidis temperanda ſuadent; et cum putredo humorum iam profundius radices egerit, in acidis vegetabilibus ſolis acquieſcit. Infarctus et tumores lienis ſaepe ex gonorrhoeis, per-

p. 29.

p. 34.

p. 39.

p. 57.

verſe tractatis, praeſertim ſi eae pertinaciores fue-
p. 61. rint, originem duxiſſe vidit. Lues venerea pro
morbo Americae atque Africae endemio habenda
eſt: in hac regione communi nomine *Pians* inſigni-
tur, quamquam illud proprie tantum puſtulis cuta-
neis maioribus, in vlcera ſordida abeuntibus, quae
morbum iſtum comitantur, tribuitur; in America
e contrario ſignum ſaepius ambiguum morbi vene-
rei praebent, et potius a vitio particulari humorum
lymphaticorum, praecipue in nigris prauo victu
vtentibus, concurrente qualitate nociua aeris ac
conſtitutione temperamentorum vniuerſali pendere
p. 64. videtur. In Europaeis alia morbi facies eſt, eaque
magis tecta, et ſaepe aegre a ſcorbuto diſtinguenda.
Gonorrhoea, vix non ſemper eius prodromus, per-
tinacior eſt, quam in Europa, et difficillime ſiſti
poteſt, adeoque facile in languorem, cachexiam vel
ſcirrhum tranſit, qui plerumque vel diarrhoea vel
hydrope terminatur. Dolet Auctor eiusmodi ae-
gros nonniſi tunc demum medicorum conſilia expe-
tere, cum iam pluribus imperitis curandos ſe com-
p. 71. miſerint. Si ſigna luis venereae aderant, frictioni-
bus parcis vtebatur, quo ſaliuationem euitaret, vel
ſaltem moderaretur: quae ſi nimia erat, a frictioni-
bus recedebat, earumque affectus purgantibus de-
p. 75. riuabat. Teſticulus a gonorrhoea male habita ſcir-
rhoſus redditus, inſignem tumorem referens, vi-
tiato ſimul funiculo ſpermatico, feliciter exſtirpatus
eſt: ſed poſt tres menſes aeger ponderis ac doloris
ſenſum in regione lumbari, et poſt tres rurſus heb-
domadas duos tumores ſibi proximos in regione epi-
gaſtrica et vmbilicali ſenſit, inſignis duritiei ac mo-
lis, poſt menſem admodum auctos, ac denique poſt
p. 78. inſignem paroxyſmum febrilem occubuit. Secto ca-
dauere, praeter alia omentum putridum, funiculus
ſpermaticus in latere affecto prorſus deficiens,

purulenta

purulenta materia in peluis cauitate haerens, tumores iſti duo, centrum cauitatis abdominis replentes, inferior arctiſſime meſenterio adhaerens melonis magnitudine, coloris anthracis, ſubſtantiae fungoſae, carcinomaticae, tuberculis maioribus refertus, materiam partim albidam, partim rubellam continentibus; ſuperior magnitudinis minoris, albidus, vertebris transuerſim inſidens, pancreas abſceſſu corruptum ſiſtens, apparuerunt. Vlcera iſta, *Pians*, p. 87. vt ipſa lues tractantur, pro quo ſcopo frequens vſus eſt remedii ex mercurii crudi parte vna in duabus aquae fortis ſoluta, cuius primo die duae vel tres guttae ex ptiſana ſudorifera propinantur, doſi quotidie vna vel duabus guttis aucta, donec ſaliuationis indicia ſe prodant, quae pro morbi conditione, vel ſuſtentanda eſt, vel purgantibus infringenda. Cl. CONEGU, chirurgus in inſula hac degens, Auctori p. 89. noſtro peculiare remedium ad eumdem morbum communicauit: ſumantur aequales partes mercurii crudi et ſublimati corroſiui, in mortario marmoreo diuturna trituratione ope piſtilli vitrei combinandae; poſtmodum puluis iſte bis vel ter aqua calida edulcoretur, quod poſtea totidem quoque vicibus frigida repetendum, puluis poſtea in ſole ſiccandus, tunc rurſus in mortario ſpiritu vini inpraegnandus, ignis ope chartae accenſae admouendus, et maſſa, mediante ſpatula, tam diu agitanda eſt, donec ſicceſcat, idque bis vel ter repetendum. Puluis hoc modo paratus vel ipſis infantibus dari poteſt; in adultis doſis eſt granorum quatuor ad octo in forma boli, praemiſſis venaeſectione, alui ductione et ptiſanae ſudoriferae vſu. Doſis prima quatuor granorum quarto die augeri poteſt; ſaliuatio oborta lene purgans exigit, quoniam materia peccans perſpiratione diſſipari debet, ad quam conducunt, labor in aeſtu ſolis ſuſceptus, euitatio aeris frigidi et humidi,

alimenta

alimenta leuiora; remedium ad viginti quinque, vel ſi (quod tamen rarius fit) vomitus accedit, ad triginta dies vſurpatur. Similem praeparationem cum ſale ammoniaco Auctor noſter proponit, qua forte magis ſudores prouocatum iri exiſtimat.

p. 96. Progredimur ad morbos primarum viarum: diarrhoeae, teneſmus, dyſenteriae, lienteria, fluxus hepaticus a deprauata digeſtione proficiſcuntur, ideoque breuiore tractatione abſoluuntur. Teneſmus ac dyſenteria arctiſſime inter ſe coniuncti ſunt morbi, neque, niſi fortioribus ſubiectis, inprimis nautis, familiares. Fluxus hepaticus lienteriam ſequitur, et iam a relaxatione venarum haemorrhoidalium internarum, iam a ſola relaxatione hepatis
p. 101. pendet. Neque ergo quemquam tangit, niſi in quo a reſolutione humorum iam ſolida admodum relaxata fuerint, vt ſcorbuticos, venereos, cachecticos; frequentiſſime in tempeſtatem pluuioſam incidit; nonnumquam cum teneſmo coniunctus eſt, non tamen adeo vehementi, quam in dyſenteria. Teneſmus vapore calido decocti emollientis tractandus eſt: ſi ex iniuria increſcat, et febris ſuperueniat, venaeſectione, eaque interdum iterata, cataplaſmatibus, clyſteribus et ptiſanis emollientibus et lenientibus opus eſt; purgationes ex manna et oleo amygdalarum dulcium, diſpoſitione inflammatoria diſcuſſa vel minuta, conueniunt, et pro re nata repetendae ſunt; opium nonniſi, prorſus abſente, vel minima febris ſuſpicione, et nonniſi cautiſſime, exhiberi debet; ipecacuanham ex eadem cauſſa prorſus repudiat Cl. Auctor, et rhabarbaro rariſſime tantum vtendum eſſe monet. Quum morbus ſaepiſſime a calore nimio proficiſcatur, potus acidiuſculus et refrigerans optimum remedium eſt. Alio modo lienteria et fluxus hepaticus tractari debent: ipecacuanha indigena

Braſilienſi praefertur, quod mitius agit; huic tamen
pariter ac opiatis nonniſi tum locus eſt, cum pleni-
tudo plane diſcuſſa fuit. Catechu et ſuccinum vir-
tute adſtringente maxime ſe commendant. Lac in
omnibus ſpeciebus fluxus ventris praeſtantiſſimum p. 107.
remedium cenſendum eſt, modo eius in primis viis
corruptio praecaueatur. Cum remediis variis pro
re nata remiſtum exhiberi debet. Neque nimis diu
eius vſus continuandus eſt, qui facile nouis morbis
originem praebet. Fluxus coeliacus potiſſimum ex p. 112.
febribus quibusdam lymphaticis conualeſcentes ag-
greditur, ſi in edendo modum non ſeruauerint. Bal-
nea, reſoluentia et aperientia leniora ſola conue-
niunt: abſint ſalina et acida cuiuscumque generis.
Hydropis duas ſpecies conſtituit Auctor, alteram p. 114.
ortam a ruptis vaſis lymphaticis, alteram a dilata-
tione pororum, ex obſtructione generali pendente,
quae quidem in inſula hac ſemper reſolutionem ſcor-
buticam, veneream vel cachecticam ſequitur.

Curatio plerumque nulla, niſi in cachecticis to- p. 122.
tum temperamentum mutari poſſit, ad quod effi-
ciendum mutatio locorum ſumme neceſſaria eſt.
Niger quidam, ad extrema deductus, adeo, vt nemo
paracenteſin inſtituere auderet, eruptione ſponta-
nea, in vmbilico facta, ſanatus eſt: alius potum noctu
quaerens, nec quicquam, niſi lixiuium linteis depur-
gandis inueniens, hoc poto, ſurſum deorſumque pur-
gatus, conualuit. Morbi ſcabioſi frequentiſſimi ſunt p. 123.
in hac inſula, et mirum in modum ab aere penden-
tes, adeo, vt plures, in Galliam proficiſcentes, ab iis-
dem absque vllo remedio liberentur, redeuntes au-
tem rurſus afficiantur; remedia primaria aduerſus
eoſdem ſunt antiſcorbutica. Saliuatio, etiam vbi
miaſma venereum ſubeſt, morbum non tollit, ſed
is, ad quosdam tantum menſes ſublatus viſus, recru-
deſcit. Externa nonniſi poſt curationem internam

 duorum

duorum vel trium menſium tuto applicari poſſunt.
p. 127. Catarrhi etiam frequentiſſimi ſunt: inter decubitus
ad pectus autem probe diſtingui debent lymphatici
ſeu ſeroſi, bilioſi, et ſanguinei. Pulmonia aut ac-
cidentalis eſt, quae a fluxione pectoris vel pleuri-
tide, ſuppuratione terminata, vel haemoptyſi, vl-
p. 135. cus relinquente, oritur; aut originalis, a mala con-
formatione pectoris, vel, quod crebrius fit, a ſangui-
nis dyſcraſia pendens. Rurſus ea vel morbum hunc
proprie dictum, vel phthiſin pulmonalem ſiſtit, qua-
rum prior pulmones, altera aſperam arteriam prae-
cipue afficit: prior a ſcirrho, vel ſuppuratione poſt
morbos acutos, in hoc viſcere ſuperſtites, oritur, al-
tera vel ab exſiccatione, vel relaxatione fibrarum,
glandularum et vaſorum lymphaticorum, tracheae
et pulmonis.

p. 141. Tumores et abſceſſus hepatis itidem admodum
frequentes ſunt: priores vel reſolutione, vel ſuppu-
ratione; poſteriores vel gangraena vel ſcirrho ter-
p. 149. minantur. Abſceſſus non niſi maturi aperiendi
ſunt, quamquam ſaepius multum temporis ad pun-
p. 151. ctum hoc exſpectandum requiritur. Sanguis, in ob-
ſtructione hepatis miſſus, raro cruſtam contrahit, ſed
flaueſcentis vel virideſcentis, vel variegati coloris eſt.
p. 155. Obſeruationes etiam Cl. Auctorem docuerunt, non
ſemper neceſſarias eſſe iniectiones poſt inciſionem
abſceſſuum cum hepatis, tum aliarum partium, ſed
naturae ſoli totum negotium tuto committi poſſe.
p. 157. Tetanus hic adeo communis eſt, vt iam a PISO-
NE et BONTIO inter morbos, huius plagae ende-
mios, relatus fuerit: febre ſuperueniente, ſoluitur,
partes autem ſuperiores infeſtans, vel laeſioni cui-
cumque ſuperueniens letalis eſt. Non vero ſolum
a laeſione externa oritur, ſed etiam a vitio aeris,
praecipue, cum corpori aeſtuanti ſubitum refrige-
p. 159. rium admittitur. Infantes nigrorum, recens nati,
ſpaſmo

ſpaſmo maxillae inferioris, quem *mal de machoire* dicunt, frequentiſſime in primis vitae diebus tolluntur, quod potiſſimum malae indoli domiciliorum et conclauium adſcribendum eſt. Remedia a variis varia proponuntur: alii aegrum ex improuiſo in aquam frigidam, praecipue marinam, immittunt, et poſtea in lectum calefactum collocant, igneque admoto, ſudorem copioſiorem excitant; alii vel ferro ſolo, vel eodem candente, profundiores ſcarifationes adminiſtrant, poſtmodum clyſteres purgantes, emeticum fortius, et inde cardiaca, et ſudorifera, interpoſitis purgantibus, exhibent; alii venaeſectionibus, copioſis balneis, tepidis emollientibus et oleoſis, frictione applicandis, clyſteribus purgantibus, atque inde ſudoriferis, vel cum, vel ſine purgantibus interpoſitis, vtuntur. Hiſpani in plethora venam in quatuor extremitatibus ſecant, poſtmodum vomitorium, ac denique theriacam ex vino propinant; altero die inciſiones a nucha ad ſuras vſque faciunt, plagas has crebrius ſucco plantae cuiusdam fricant, diuque apertas ſeruant. Nigrorum curandi methodus copioſe exponitur. Conſtipatio alui pertinaciſſima eſt in hoc morbo, et clyſteres, acriter ſtimulantes, exigit. Opium in ſummo morbi gradu conuenit. Hiſtoria, notatu digna, recenſetur pueri ex nigris duodecim vel tredecim annorum, cuius vtrumque femur hoc morbo fractum et, carie licet ſubſequente, tamen ſanatum fuit.

p. 161.
p. 169.
p. 171.

Sequuntur nunc obſeruationes quaedam particulares morborum. Carnoſitates ſeu carunculas in vrethra nil niſi cicatrices poſt vlcera praecipue verſus proſtatam relictas eſſe, iam DUVERNEUS Auctorem noſtrum docuerat, qui veritatem huius rei experientia comprobatam vidit, ideoque morbum hunc incurabilem, nec, niſi palliatiua curandi methodo,

p. 178.

p. 185. tractandum eſſe demonſtrat. Abſceſſu hepatis inciſo, cum ex incuria nimis cito coaleſceret vulnus, aeger febre lenta ad incitas redactus, diarrhoea tamen ſuperueniente, per duos vel tres menſes durante,
p. 192. et vſu lactis reſtitutus eſt. Materia acris per cutim excernenda, ſi retrocedit, diriſſimos morbos inducit, quorſum ſpectat eroſio inteſtinorum a furunculis re-
p. 197. trogreſſis. Connubia ſaepius integras familias eradicant, cum alteruter coniugum alterutrum inficiat, proleſque morboſa inde naſcatur. Immodicus cereuiſiae vſus gonorrhoeam benignam induxit, diffi-
p. 200. cillime ſanandam. Diarrhoea chronica plurium an-
p. 201. norum inteſtina craſſa miro modo contraxit, adeo, vt ab impedito humorum circulo aeger quidam eius
p. 203. generis apoplecticus occubuerit. Cl. BOULET chirurgus cadauer feminae diſſecuit, in quo, praeter alias mutationes morboſas, veſiculam felleam abeſſe vidit, ita, vt canalis hepaticus, ſolito amplior, infundibuli ſpeciem prae ſe ferret, et antequam in duodenum infereretur, ductum pancreaticum reciperet: in principio huius canalis vaſcula quaedam ſtili mediocris craſſitie inſerti ſpeciem peluis formabant, in quo guttae quaedam bilis flauae inodorae erant. Eumdem defectum in filii huius feminae cadauere Auctor ipſe obſeruauit, non tamen adeo exacte dignoſcendum, quod aeger ille abſceſſu hepatis mortuus fuerat; indeque, variis ſignis inter ſe coniunctis, concludit, forte hunc praeternaturalem ſtatum
p. 209. toti huic familiae communem fuiſſe. Epilepſiae cauſſam in glandula pineali magnitudine oui, fungoſa, et ad tertiam partem materia ſebacea, folliculo incluſa, repleta, inuenit.

p. 211. Inter raras etiam obſeruationes pertinet calculus, oui magnitudine, inteſtini duodeni medio adhae-
p. 212. rens. Calculum veſicae vrinariae adhaerere cognoſcimus, cum nulla lotii reddendi difficultas adeſt,

quare

quare, quum tunc irrita ſit operatio, palliatiuis remediis eiusmodi aegros tractandos eſſe, Auctor monet. Coffeae vſum in lethargo febris catarrhalis edicit, cum omnia alia excitantia incaſſum adhibita fuiſſent. Amputationem membrorum, ſaepe minus neceſſariam, atque, ob ſubſequentem ſpaſmum vix euitabilem, adeo noxiam iudicat. Metus etiam rei, tantum in idea aegri exiſtentis, funeſtos effectus edidit. Variolae in regionibus calidis citius, quam in Europa, ſiccefcunt. In abortu, a violentia externa concitato, cum ſecundinae arctius adhaerent, cauendum eſt, ne rudiori tractatione matri vis inferatur, ſed, vbi res difficilius procedit, balneis et cataplaſmatis emollientibus, abdomini applicatis, rariſſime inſtrumentis, vtendum. Inter morbos infantum febris ſemitertiana lymphatica praecipuus eſt, cuius acceſſus vehementior venaeſectionem bis vel ter repetitam exigit: emeticum nonniſi, cum vermium ſuſpicio aderat, Auctor Noſter exhibuit. In infante, ſubito mortuo, vermis, in glottide haerens, mortis cauſſa inuentus fuit. Totam hanc conſiderationem morborum chronicorum tractatio de praecipuis cauſſis morborum, eorumque exitu finit.

p. 218. p. 222. p. 233. p. 235. p. 238. p. 246. p. 248. p. 249.

Sequuntur obſeruationes quaedam generales. Aduenae omnes expoſiti ſunt morbo grauiori, licet tempus anni, quo accedant, nationum ac temperamentorum diuerſitas, vitae genus cet. hac in re multas varietates offerant. Copioſe nos inſtruit Cl. Auctor de ſeruis nigris, et quae in iisdem coemendis, ratione patriae, habitus corporis cet. attendenda ſint. Vt alii morbi verminoſi, ſic potiſſimum vena Medinenſis communiſſimus eorum morbus eſt, adeo, vt in ſui ipſius ſeruo plus, quam quinquaginta horum vermium ex cute egreſſorum viderit Auctor. Crebriores ſanguinis miſſiones in inſula hac vituperat ob copio-

p. 263. p. 267 p. 271 p. 273.

 ſiorem

ſiorem perſpirationem, et veneris abuſum: venaeſectionem in pede illi in brachio anteponit, quia illa circulus ſanguinis, in hepate, plurimorum morborum huius regionis fomitem praebente, expeditior
p. 275. redditur. Nigri vehementiores euacuationes facilius ferunt Europaeis; praeparatione tamen et iuſto vtendi ordine opus eſt. In nouis aduenis maior copia ſanguinis, vna vel duabus venaeſectionibus educta, praeſtat minori, per quinque vel ſex vices miſſa. Multum deinde de venaeſectione deriuatoria et revulſoria diſputat: iugularis ſectionem ſaepe veſica-
p. 291. toriis anteponit, quod haec lentius agunt. Putat etiam, homines, in quibusdam regionibus natos, venaeſectionem non bene ferre, et non quidem ex praeiudicio, ſed ex occulta quadam cauſſa, concurrente forſitan temperamento. De diebus criticis, et de prognoſi formanda, de ſelectu purgantium inſtituendo, de opii et corticis Peruuiani circumſpecto vſu multum agit; hunc vel inutilem, vel adeo noxium in recidiuis morbi Siamenſis expertus eſt; ſtypticam eius indolem martialibus correxit, et obſtructiones viſcerum infimi ventris improuido eiusdem vſui adſcribit. Qui ex grauiori morbo conualeſcunt, animi etiam mutationes felices ſubiiſſe videntur, quod potiſſimum in melancholicis et ſcorbuticis perſpexit. Vſui frequentiori ſacchari magnam propenſionem in ſcorbutum morbosque acutos tribuit, ob lixiuium alkalinum, quo idem depuratur. Coffea in regionibus calidis nonniſi cachecticis et pituitoſis conuenit, alioquin ſanguinem et bilem nimis acres reddit. Tabaci abuſus, tum fumando, tum per aerem naribus attrahendo, multis incommodis ortum largitur. In fine generales leges, in cibo et potu ſeruandas, proponit.

Succedunt quaeſtio phyſiologica, an vita et mors mechanice fiant? latino ſermone excuſſa, quam olim

in

in Academia Remenſi, pro obtinendo Doctoris gradu, Cl. Auctor propoſuerat, et, totam hominis vitam a conceptionis initiis ad mortem vſque conſiderando, affirmat: duo diplomata, alterum, quo ipſe medicus regius in inſula S. Dominici conſtitutus eſt, alterum quo ab Academia regia ſcientiarum in numerum correſpondentium ſuſceptus eſt: epiſtola eiusdem ad fratrem Abbatem DESPORTES, ſcripturis eiusdem et variis corporibus naturalibus adiuncta, ac demum extractum ex ſcriptis Academiae Triuultienſis, vbi hiſtoriae huius morborum inſulae S. Dominici cum laude fit mentio. p. 326. p. 328. p. 330. p. 334.

In tomo tertio, primo ſiſtitur index alphabeticus plantarum huius inſulae, viribus medicatis inſignium, eo quidem ordine, vt purgantes, aperientes, vterinae, pectorales, anthelminticae, vulnerariae, detergentes, reſoluentes, ad vſum externum refrigerantes et emollientes, adſtringentes, porro febrifugae, cardiacae enumerentur. Ipecacuanhae albae ſubſtituitur radix ſpeciei cuiusdam violae, caule erecto, foliis paucis, violae officinalis ſimilibus, ſed minoribus, petalo inferiori maximo, ſpatulae formam referente, reliquis minimis, intra calicem reconditis, radice fuſca, nonnihil inaequali. Tamarindi minus purgant, quam, quae ex Oriente adducuntur, nihilo minus tamen in morbis bilioſis praeſertim praeſtantiſſimi vſus ſunt in ptiſanis. Praeſtantia pileorum, ex caſtoris pilis confectorum, nonniſi ab intertexta lanugine, ſemina goſſypii arborei cingente, pendet. PLUMIERIUM Auctor noſter reprehendit, quod graminum fere nullam rationem habuerit. Plantae, quam Galli *Thym de Savanes*, Auctor noſter Turneram montanam, ſantolinae facie et odore, flore luteo, appellant, deſcriptio, parum recedere videtur a Turnera ciſtoide L. Lauri perſeae fructus ab indigenis pro aphrodiſiaco excellen- T. III. p. 6. 190. p. 6. p. 9. p. 17. p. 18. p. 19. p. 24.

excellentiſſimo habetur. Abſynthioides plantam ſi-
ſtit, quae cum habitu, tum viribus ad abſinthium
proxime accedit, calice vero ſimplici, non ſquamoſo,
p. 28. ab eodem differt. Oldenlandiam corymboſam L. ad
p. 31. lyſimachiam referri poſſe Auctor noſter putat. Ho-
mo quidam, qui diu in inſula hac vixerat, MINGUET,
vltimo vitae tempore plantis inueſtigandis operam
dedit, et, licet principiis botanicis deſtitutus, vires
tamen multorum ſimplicium detexit, et in manuſcri-
pto, non tamen adeo exacte elaborato, poſteris re-
liquit: in eius honorem planta quaedam, inter
tamum et vitem intermedia, qua tamquam vulne-
rario remedio vniuerſali vtebantur, *liene à Minguet*
p. 32. dicta fuit. Arbor, quam *ſucrier* ſeu *bois à cochon* di-
cunt, cuius balſami ſuperius in Tomo primo men-
tionem fecimus, ſatis inſignem altitudinem acquirit,
folia pinnata externo impari, therebinthi ſimilia, et
flores in thyrſo gerit, fructu ſubſequente cordifor-
mi, triangulari, coriaceo, nucleos tres oblongos,
cortice duriori obductos, amaros et oleoſos conti-
nente. Balſami, ex trunco arboris ſtillantis, virtus
vulneraria primum ex porcis, vulnera eo fricantibus,
innotuit, vnde etiam arbor nomen traxit. Alia mi-
nus nota planta iam a PLUMIERIO notatur,
p. 43. quam ipſe *raiſinier* dicit; indigenis *guyabara* ſeu *ou-*
p. 206. *liera* vocatur. Radix huius arboris tortuoſa eſt, non-
nihil amaricans et adſtringens: flores in thyrſo ſeu
racemo poſiti, quantum ex deſcriptione colligere licet,
apetali, calice monophyllo, ſtaminibus plurimis, piſtil-
lum cingentibus, inter ſe coalitis, piſtillum ſtig-
mate, multis denticulis diſtincto, inſtructum, vna cum
calice abit in baccam mollem, ſucculentam, nucleo
ouali, ſulcato, acuminato foetum, qui ſemen eius-
dem figurae includit. Folia ſunt rotunda coriacea,
pediculo breui ramis affixa; tantae magnitudinis, vt
p. 54. Americanis in menſa pro orbibus inſeruiant. Nhan-

diroba

diroba, praecipue quoad fructum, quem vnicum in ſuo genere dicit Cl. Auctor, deſcribitur, cuius ſemina non ſolum ab Hiſpanis ſub emulſionis forma, aduerſus febres intermittentes, in vſum vocantur, ſed etiam ex omnibus, quae in America exſtant, antidotis, praeſtantiſſima cenſentur, quod peculiari hiſtoria Noſter confirmat.

Succedit pharmacopoea Americana, ſeu collectio formularum remediorum aduerſus morbos inſulae S. Dominici, plerumque ex plantis indigenis compoſitorum, latino et gallico idiomate conſcripta, cui praemittitur introductio, de inſtituti huius ratione, de modo diiudicandi vires remediorum, et de caſibus fortuitis, quibus vnum alterumue eorum innotuit, exponens. Chirurgus quidam vulnus ſordidiſſimum in malleolo interno, tendinibus denudatis, tantummodo illud bene eluendo, et ſaccharum craſſum aſpergendo, ſanauit. Arſenico etiam, aliis tamen mundificantibus et nonniſi in refracta doſi addito, ad vlcera phagedaenica depuranda vtuntur, quod tamen protinus auferendum eſt, cum effectus ſperatus ſequitur. p. 59. p. 174. p. 178.

Sequitur index generalior plantarum itidem alphabeticus, ſed latina ſimul, ſaepe etiam Caribenſia nomina ſiſtens, ita quidem, vt priorem indicem iuuet et illuſtret. Primo loco plantae medicinales omnes recenſentur absque ſubdiuiſionibus, ſupra adductis. Tres ſpecies Quinquinae ad Trachelium, et vna ſpuria ad pſeudoacaciam pertinentes: duae Simaroubae, altera ex inſula Cayenne, altera ex inſula S. Dominici, ad Euonymum relatae, alia ſpuria ad Malpighiam amandata; et rurſus alia incerti generis, nec ſufficienter deſcripta, praecipua ex hac claſſe viſa nobis ſunt, quae commemoraremus. Plantarum venenatarum et maleficarum ſatis amplus eſt numerus: breuius pertractantur antidota, aliaque p. 181. p. 198. p. 208. p. 210. p. 214. p. 218.

remedia alexipharmaca. Inſignior eſt catalogus plan-
tarum nutrientium, primum radicum, poſtea ſemi-
num, deinde olerum, ac tandem fructuum arboreo-
rum, interſperſis etiam nonnumquam compoſito-
p. 252. rum nutrimentorum formulis. Succedunt plantae
p. 260. ad tincturam idoneae, quibus ſubnectuntur quaedam,
quae ad manufacturas poſſunt conuenire, ad quem
finem praecipue Nicotianae et Xylorum culturam
p. 264. commendat Auctor. Has excipiunt arbores, ad ae-
dificandum aliosque vſus oeconomicos commodae,
quarum ligna in incorruptibilia, quae diu in terra
conſeruari queunt, et mollia, quae a ſole et imbri-
p. 280. bus defendi debent, diſtinguit, et prioribus ligna
gummoſa et aromatica ſubiungit. Multarum hic ar-
borum mentio fit, nondum tamen accurate deſcri-
ptarum: duae ſpecies, vel rectius varietates cuiusdam,
quae ab indigenis nomine Acajou inſignitur, ab Anacar-
p. 264. dio vero certe diuerſa eſt, et ab Auctore noſtro Maure-
paſia dicitur, adduntur, itidem tamen non exacte
ſatis deſcriptae. A puluere ſeu ſcobe ligni Hippo-
manes, cum illud ſerra diſſecatur, cauendum eſſe
monet. Liquorem gummoſum, ex pinu, foliis quinis
p. 286. ab eodem exortu TOURN. commiſtum, cum balſamo
calabae, foliis citri ſplendente (quam Schmideliam
dixit BOEHMERUS), quod *balſamum del-Maria*
indigenae vocant, balſamum Peruuianum ſiſtere,
p. 306. nonnulli exiſtimant. Vltimo loco plantae vimineae,
communi nomine *Lianes* dictae, recenſentur.

p. 311. Catalogum hunc excipit tractatio, de quadam
thermarum ſcaturigine, in inſula hac inuenta. Sca-
turigo haec eſt in ea parte inſulae, quae *Mirbalais* di-
citur, in confiniis eius, quae *Artibonite* nominatur,
p. 313. in regione multis viis profundioribus (*ravines*) inter-
cepta, et exit ex coaceruata inter ſe ſilicum aliorum-
que lapidum congerie, qui, nonniſi mediante topho,
facile ſeparando, inter ſe cohaerent; neque vnica
origine gaudet, ſed pluribus fontibus minoribus,

nec

nec eodem quidem caloris gradu praeditis. Neque grauitatem ſpecificam, neque caloris gradus Cl. Auctor definire potuit, cum neceſſariis ſubſidiis deſtitueretur: par etiam ratio experimentorum reliquorum, cum eadem inſtituendorum, fuit, ex quibus id tantum patet, parciſſimam copiam ſedimenti albidi et ſalini, cum poſt euaporationem in balneo arenae, tum poſt deſtillationem in balneo maris, at in poſteriori plus, quam in priori, reſtitiſſe; quibus ſi modicum calorem aquae inhaerentem, et ſulphureum p. 324.
quemdam, licet debilem, odorem, mane praecipue animaduertendum, addideris, omnia ea habebit, quae efficacitatem quamdam promittere videntur. Animalia hanc aquam quam maxime appetunt. Pota ieiuno ventriculo nonnumquam nauſeam, imo vomitum exci- p. 327.
tauit, quod tamen indoli cuiusuis aquae calidae Auctor noſter adſcribit: interdum tamen vere aluum laxauit, licet frequentiſſime per vrinae vias egrederetur. Inde, nulla materia, ad euacuationem apta, in primis viis haerente, nocere poteſt; nocebit itidem diu protractus vſus, ob debilitatum inde primarum viarum tonum. Balnea ex eadem aqua eroſiones cutaneas, ſaepe ſatis p. 328.
inſignes, producunt; abſtinendum ab iis, vbi miaſma venereum in corpore haeret; ſedulo etiam cauendum, ne poſt eorum vſum corpus refrigerio exponatur, aut nimis ſubito cibis repleatur. Nocet aquae huius vſus in obſtructionibus inueteratis, et tumoribus ſcirrhoſis: internus tantum ad expurgandam ſa- p. 329.
burram pituitoſam primarum viarum, externus ad morbos neruoſos, vbi copioſior tranſpiratio excitanda eſt, et cutaneos leuiores reſtringendus, et, cum virtus eius nimis debilis ſit, aliis remediis, a prudenti medico ſeligendis, adiuuandus eſt. In fine quaedam, quae p. 330.
loci ipſius, in quo ſcaturit, incommoda corrigenda concernunt, conſilia proponuntur.

Finem totius operis commentarius de ſaccharo p. 335.
facit, ex materia medica Cl. GEOFFROY deprom- p. 391.
tus,

p. 391. tus, cui Auctor noſter ſupplementa et annotationes
quasdam ſubnectit. Luſitani primi fuerunt, qui
ſacchari culturam ex Aſia in Maderam, Canarienſesque
inſulas, atque inde in Braſiliam inducerent,
qua a Belgis expugnata, eadem primo ad Gallos, ac
p. 394. poſtea ad reliquas etiam gentes tranſiit. Modus
plantandi, quo in inſula S. Dominici vti ſolent, nonnihil
differt ab eo, quem Cl. GEOFFROY recen-
p. 396. ſet, et prolixe enarratur. Feliciorem vegetationem
ſibi promittunt incolae, ſi plantas eo ſitu in terram
collocent, vt ſuprema parte Orientem reſpiciant;
plus autem in bona indole telluris poſitum eſt, quam
oportet eſſe ſuperficiei, quantum fieri poteſt, aequalis,
bene tractabilem, leuem, ex nigro cinerei coloris,
a duobus ad quinque pedes altam ſubiacente ſtrato
ſabuloſo. Huius indolis multae regiones depreliendu-
ntur, quarum fertilitatem inundationibus, atque
inde relictis partibus putreſcentibus, humum bonam
producentibus, multum adſcribere conuenit.
p. 400. Nimia aquae copia in profundioribus locis, pluuiali
tempeſtate collecta, per canales et foſſas deriuatur:
Terrae, quibus, loco ſabuli, argilla ſubiacet, fertilio-
p. 401. res reddi poſſent, ſi, aratro profundius ducto, apta-
p. 406. rentur. Runcationes plantarum noxiarum, ſacchari
incrementum quam maxime adiuuant, quae tempeſtate
pluuioſa crebrius repetendae ſunt; vbi vero
erucae plantulas iuniores ſacchari infeſtant, diffe-
runtur, quia haec animalia lubentius aliis herbis,
quam ſaccharo, vtpote durioris texturae, veſcuntur.
p. 407. Fuerunt, qui, ad euitandum operoſum ac diuturnum
laborem, aratro vti vellent in plantando ſaccharo:
ſed, licet plantae mirum incrementum caperent,
firmitate tamen radicum deſtituebantur, adeo, vt
paullo fortior tantum ventus easdem eradicaret. Solum
nimis pingue et recens, demum culturae ſacchari
inſeruiturum, plantas profert inſignis quidem
molis,

molis, ſed maturitatem non conſequentibus; quare in- p. 409.
doles terrae his plantis, iterata vice reſectis, et com-
buſtis corrigenda eſt. Cauendum ab arundine, ad
plantandum deſtinata, quae, quod in ſolo argilla-
ceo ſaepe fit, vermibus corrumpitur, qui in eandem
ouula deponunt, et ab ea, quae ramulis lateralibus p. 411.
luxuriat: vtrumque vitium corrigi nequit, ſed com- p. 412.
buſtione eiusmodi arundines delendae ſunt. Inſecta
aeque ac glires etiam tum, cum reſecti ſunt culmi,
admoto igne, quo ſtipulae comburantur, delentur;
alioquin mirum in modum multiplicantur: ignis p. 414.
vero ſolum leue et ſabuloſum nimis exſiccat, quare
tunc neceſſe eſt, ſtipulas quaſdam putrefactioni per-
mittere, ne ſolum nimis exhauriatur. Ad molas,
ſaccharo exprimendo aptas, circumagendas optimum
auxilium in aqua poſitum eſt, cuius defectum ani- p. 415.
malia, praecipue muli, ſupplent. Ad depurandum
ſaccharum lixiuium praeſtantiſſimum iudicatur, ex ci-
neribus plantae ſacchariferae et calce viua paratum, p. 422.
varia proportione ſeruata, cui alii antimonium, alii
alumen addunt: ſunt etiam, qui pro vario fine di-
verſarum plantarum ſuccos eidem admiſceant. Ratio
ſacchari, ex plantis praeparandi, pro diuerſitate plan- p. 432.
tarum ipſarum, quae a tempeſtate et ſolo pendeat,
varia eſt: qua in re ciuibus ſuis ſolertiam Anglorum
imitandam Auctor noſter commendat. Varii prae-
parationis ſeu depurationis modi num ſaccharum ſa-
nitati conuenientius reddant, dum partem oleoſam,
ſeu melli ſimilem, prorſus fere deſtruunt, ſola fere p. 448.
ſalina relicta, omnino dubitandum eſt. Spiritus ex
ſyrupo ſacchari per fermentationem paratur, *Taffia*
dictus, melius in America, quam in Europa confi-
citur, neque vel largius potus adeo facile nocet, p. 451.
imo ſuo iure pro remedio antiſcorbutico habe-
tur: externus etiam eius vſus in vulneribus et vlce-
ribus eximius eſt, ſiquidem non adeo exſiccat et con-

ſtringit,

ſtringit, melius etiam ſuppurationi fauet; id tantum attendi meretur, vt empyreumatica eiusdem
p. 453. indoles tollatur, quam cupreis vaſis, eiusdem praeparationi inſeruientibus, multum tribuendum Auctor noſter exiſtimat.

p. 454. In fine editor horum ſcriptorum refert, Cl. Auctorem delineationes et proplaſmata formae minoris inſtrumentorum, quibus varia in inſula hac opificia indigeat, ſibi comparaſſe: quas ergo delineationes inſtrumentorum, ad ſacchari, coffeae, goſſypii, et pigmenti ex indigo praeparationem neceſſariorum, luci publicae propediem expoſitum iri ſpondet.

III.

Verhandeling over de ſchadelyke hoedanigheid der lugt in de gaſthuyzen en gevangeniſſen, benevens deszelvs hulpmiddelen: welke de dubbelde prys van de koninglyke academie der weetenſchappen te Lyons behaald heeft, door ALEXANDER PETRUS NAHUYS, meeſter der vrye Konſten, Leerar der Wysbegeerte en Geneeskunde, midsgaders lid van het Bataavs Genootſchap der proefondervindelyke Wysbegeerte te Rotterdam. Te Haarlem by I. Boſch, 1770. 8 mai. pl. 11.

et

Diſſertatio de qualitate noxia aeris in noſocomiis et carceribus, eiusque remediis, quae duplum praemium Academiae Regiae ſcientiarum et artium Lugdunenſis reportauit, Auctore Cl. ALEXANDRO PETRO NAHUYS. Harlem typis Io. Boſch, 1770.

Diuidit Cl. Auctor problema Academiae in duas partes, in prima *de qualitate noxia, quam aer*

contrahat in noſocomiis et carceribus; in altera vero *remedia, quibus haec qualitas poſſit, vel corrigi, vel auferri,* expoſiturus. In prima vero parte vel *cauſas, quae infectioni huic producendae idoneae ſunt,* conſiderat; vel ex his cauſis inueſtigare conſtituit, *quaenam eſſet proprie loquendo qualitas illa noxia, ſiue natura infectionis, atque illa ſic detecta, per noxios ab eadem in noſocomiis et carceribus obſeruatos, effectus vlterius adſtruenda.* Itaque haec infectiones duas diſtinguit, quarum prima *cauſas, qualitati aeris noxiae producendae idoneas,* complectitur. Cum vero hae in noſocomiis et carceribus ſint variae, in duobus titulis, quos dicit, eas conſiderat. Agit ergo in primo titulo: *de cauſis, quae aerem noxium reddant in noſocomiis,* quae vero duplices ſunt, vel *producentes* vel *adiuuantes,* quas nouem capitibus abſoluit. Ad producentes refert 1. *tranſpirationem aegrorum,* eorum praecipue, quibus haec euacuatio copioſa, colliquatiua et foetens eſt. 2. *Alui et vrinae excretiones* putridis praeſertim morbis laborantium. 3. *vlcera quaecumque ſordida, foetentia, gangraenas, magnasque ſuppurationes* 4. *immunditiem quamcunque, quae ſuper pauimenta diſpergitur,* vt apparatus, emplaſtra, cataplaſmata vulneratorum, aegrorum ſputa, vrinam, ſanguinem, reliquasque ſorditates ab extus allatas. 5. *nimium calorem in quam plurimis noſocomiis praeſentem* 6. *nimium aegrorum numerum in eodem cubiculo.* Cauſarum adiuuantium prima eſt *noſocomiorum ſitus,* altera *eorum ſtructura,* tertia *defectus curae pro mundandis noſocomiis eo, quo decet, modo.* p. 12.

Iam commentatur Noſter in tranſpirationem aegrorum, quae huc redit: particulas, corpus noſtrum conſtituentes, in morbis praecipue putridis, ex nexu ſuo ſolui, craſin humorum turbari, ſingulasque particulas in propriam corruptionem abire, hinc eas,

per habitum cutaneum excretas, aerem atmoſphaeri-
cum, tanquam vehiculum eiusmodi particularum, in-
p. 21. ficere debere, patere. Excrementa alui et vrinae
hanc infectionem iuuare, ex eo conſtare, quod cel-
lae familiaricae, iuxta lectos poſitae, deſtinatae ſint
trium vel quatuor aegrorum excrementis recipiendis,
quorum nonnulli fluxibus ventri laborent, adeoque
aluum ſaepius, foetidiſſimamque deponant; quod ea-
rum numerus notabilis ſit in cubiculo, vbi multi ae-
gri decumbant; quod cellae iſtae operculis tantum-
modo ligneis tectae ſint, ad vapores exſurgentes
coercerendos haud aptis.

p. 24. Vlcera quaecunque ſordida, foetentia cet. ex eo
ad infectionem aeris ſymbolam ſuam contribuere,
quod odorem exhalent maxime foetentem, eumque
magis noxium eſſe, quo peior ſit vlceris ipſius qua-
litas. Immundities ſuper pauimenta diſperſas, qua-
rum catalogum Cl. Auctor exhibet, etiam exhala-
p. 31. tione inficere aerem; Nec minus nimium calorem,
in noſocomiis praeſentem, nocere probabile eſſe, cum
calor corpus debilitet, humoresque ad corruptelam
diſponat, aerem vero inſigniter rarefaciat, vt mul-
tum elaſticitatis ſuae perdat. Nimium tandem nu-
merum aegrorum, in vno cubiculo collocatorum, in-
fectionem aeris multum iuuare, ex ſuperioribus pa-
tere; ad haec et hoc accedere, quod principium il-
lud vitale, in aere latens, ab his multis aegris quam
citiſſime per reſpirationem conſumatur.

p. 36. Quis vero noſocomiorum ſitum inter adiuuantes
cauſas referre dubitabit? Locantur enim illa in vr-
bibus minoribus in centro vrbis, vel in maioribus
inter alia, et fortaſſis altiora aedificia, vnde nec nouus,
ſed iam particulis peregrinis inquinatus, aer accedit,
impurus vero diu remanet. Sed et quis noſocomia
ex ſtructura ſua aerem inficere negabit? Siue enim

cubicula

cubicula iuſto arctiora, ſiue ianuas latrinarum, in ipſis aegrorum cubiculis reperiundas, ſpectes, ſiue cubicula iſta interdum nimis extenſa, vt plurimi ſimul in iis decumbant, ſiue tandem areas iſtas conſideres, inter diuerſa aegrorum cubicula relictas, quibus noui aeris acceſſus impeditur, facile de veritate perſuaderis. Nec minus puritas, quae noſocomiis debetur, neglecta hanc labem adiuuat: pauimenta non iuſto modo mundantur, nec lecti ſtragulaque, multis vaporibus perſpirabilibus inquinata, eo, quo decet, purgantur ordine. Plerumque enim fieri ſolet, vt aeger in eodem, quo alius peſſimo, v. c. putrido morbo, extinctus eſt, locetur lecto, vnde, etſi linteamina noua et pura imponantur, non fieri poteſt, quin halitus iſti peruerſi, in ſtragulis occulti, aſcendentes noceant. p. 48.

Accedamus iam ad titulum ſecundum, cauſasque, quae aerem noxium reddant in carceribus. p. 53. Producentes iſtae cum ſuperioribus, quas in noſocomiorum conſideratione recenſuimus, fere conueniunt: Adiuuantes etiam ex iſtis poſſunt declarari, p. 63. ad quas veſtium neglecta renouatio adiicere liceat, qua perſpiratio libera impediatur neceſſe eſt.

Agit Cl. Auctor in ſectione ſecunda de ipſa aeris qualitate noxia. Qualitas aeris in noſocomiis ita mutatur, vt, vel principio ſuo vitali priuetur, et decrementum elaſticitatis ſuae patiatur, vel particulis nouis, aquoſis, igneis, oleoſis, putridis et ſalinis alcaleſcentibus impraegnetur. Commentatur poſtea egregie in hanc mutationem, quam vero eo melius praeterire poſſumus, quo clarius ea iam ex ſemiotica p. 79. conſtet, et colligit tandem, leuiores exinde morbos in noſocomiis in grauiores mutari, nouos interdum, eosque maxime exitioſos, generari, longamque demum aegrorum reddi conualeſcentiam. Variolas

enim benignas, febres putridas, choleras et dyſenterias, in vrbe curam forte admittentes, in noſocomiis vero letales redditas fuiſſe, experientia fere quotidiana confirmat.

p. 95. Qualitas aeris noxia in carceribus fere non ab ea in noſocomiis differt, niſi, vt ſit paulo grauior, peioresque inde producat effectus. Renouatio enim aeris difficilior, aerisque humiditas longe maior, et calor non tantus eſt, qui hoc vitium emendare poſſit.

p. 101. Exponit Noſter in parte altera *remedia ea meliora, quibus qualitas aeris noxia vel poſſit corrigi, vel plane auferri*, quae vero omnia huc redire videntur, vt cauſſis, quae vel qualitatem aeris noxiam producant, vel eius infectionem adiuuent, obuiam eatur: vt vitia eius, quantum fieri poſſit, emendentur, vel ſaltim euitentur: vt effectus tandem, ex iisdem oriundi, arceantur vel plane auferantur; Quo vero hoc melius efficiatur, duo requiri, nimirum vt *renouatio continua aeris, in noſocomiis, praeſentis adhibeatur, extinctio vero, vel correctio materiae inficientis non negligatur.* Illud per machinas, hoc per vapores, qualitati aeris contrarios, optime fieri poſſe patet. Iam requiritur de tali machina, vt ſit ſimplex, legibus phyſicis ſuperſtructa, ſemper agens, commoda, haud pretioſa, omnibus locis accommodata, aegris haud nocens, vſuque repetito comprobata. Has vero omnes virtutes in *machina Suttoniana* inueniri, fuſius Noſter demonſtrat, eamque, cum *ventilatore* HALESII comparatam, eidem palmam praeripere probat. Sed et extinctio, vel correctio materiae inficientis attendi debet. Ex ſuperioribus conſtat, materiam hanc ex particulis vt plurimum oleoſo putridis, ſalinisque alcaleſcentibus componi: Hinc vapores, his particulis contrarii, optimo iure commendantur, acidi nimirum foſſiles, vegetabiles, ſulphureique di-

(margin: p. 137. beside "gligatur."; p. 153. beside "Noſter demonſtrat")

luti

luti, inter quos tamen aceti vapor, et grato ſuo odore, et vili pretio Noſtro maxime arridet. Suadet ergo, vt ſingulis diebus portione quadam aceti pavimentum irroretur, vel ollae quaedam, aceto plenae, prunis imponantur.

Quae tandem de remediis, in carceribus qualitatem aeris noxiam corrigentibus vel auferentibus, dicuntur, cum iis, quae de noſocomiis expoſuimus, optime conuenire videntur. p. 159.

IV.

Unterſuchung der Frage, ob ausgetretenes Blut wieder aufgenommen, und dem Triebe des Herzens unterwürfig gemacht werden könne? durch FERDINAND MARTINI, *Regimentsfeldſcheer des Schleswigſchen Infanterieregiments, unter dem Befehle des Herrn Oberſten von Lehmann. Kopenhagen, bey Rothens Erben und Profft* 1770. 8. *Seiten* 54. *).

i. e.

Examen quaeſtionis, an ſanguis, ex vaſis emiſſus, reſorberi, cordisque impulſui ſubiici rurſus poſſit? Auctore FERDINANDO MARTINI.

Argumenta, quae quaeſtionem hanc adfirmant, vel ex theoria, vel ab exemplis petuntur. Vt ergo falſitatem eorum demonſtret Auctor noſter, ſingula curatius, et per partes examinat. Primum argumentum, quo ad negandum poſſibilitatem reſorptionis

*) Idem hic tractatus, publicae olim diſputationis cauſſa conſcriptus, litteris mandatus iam exſtat in ſcripto periodico eiusdem Auctoris, cui titulus: *Beyträge zur Verbeſſerung der Heilkunſt. Erſtes Stück. Soroe,* 1767. 8. c. f.

ptionis vtitur, eſt coagulatio ſanguinis, cui calorem localem, affluxum humorum tenuiorum, motum, et impeditum contactum aeris opponere ſolent.
p. 5. Calor localis ſeparationem cruoris rubri a partibus ſeroſis et gelatinoſis ſanguinis impedire non poteſt,
p. 7. ſed huius potius coagulationem iuuat. Tenuiorum humorum affluxus cruorem rubrum penetrare non poteſt, quia eius partes, excuſſo ſero, arctius inter ſe
p. 8. cohaerent. Neque liberum acceſſum aeris aliquid ad coagulandum ſanguinem conferre, Noſter putat, neque ideo eius defectui effectum contrarium adſcribi poſſe. Neque motus tantus, quantus ad impediendum coagulum requiritur, facile locum habet,
p. 10. quum vel in aneuryſmatibus ſanguis coagulatus deprehendatur.

p. 14. Secundum argumentum Auctoris noſtri poſitum eſt in defectu virium ac viarum, quibus reſorptio praeſtetur. Harum triplex eſſe poteſt genus, nempe vis tuborum capillarium, quae vero hic applicari nequit, cum deſit ſpatium vacuum in vaſis, reſorptioni deſtinatis, neque incrementum plantarum, aut turgeſcentia corporum ſiccorum in aqua com-
p. 17. mode huc referantur; porro actio ſiphonis, quam in aliis corporis animalis actionibus aſſumit quidem Noſter, hic autem, ob maiorem diametrum globuli ſanguinis, non reſpondentem diametro vaſorum re-
p. 23. ſorbentium, admitti prorſus non poſſe docet; ac denique vis impulſus per actionem cellularum, qualis in pene quidem, et clitoride obſeruatur, ſed in aliis corporis noſtri partibus, vbi alia eſt ſtructura, et conformatio, exſpectari nequit. Praeter haec ne-
p. 26. que lymphaticorum vaſorum actioni reſorptio quaedam tribui poteſt, et, ſi aliqua eius veſtigia in illis reperta fuerint, id potius diſruptis globulis quibusdam ſanguinis, ſerum tingentibus, quam cruori ipſi

reſorpto

reſorpto adſcribi oportebit; Prorſus autem alia res p. 28.
eſt, ſi ſanguis iam reſolutus fuerit, ſed tunc, non vt ſanguis, ſed vt id, quod olim ſanguis fuit, reſorbetur.

Progredimur nunc ad obiectiones, ex experientia p. 32.
deductas. Sugillationes, quae diſcuti ſeſe patiuntur, ſanguinem, extra vaſa miſſum, nequaquam oſtendunt, ſed eum in vaſis ipſis ſtagnantem, aſt per parietes vaſorum extenſorum, et cutim ſolito magis transparentem. Sic etiam ſugillationes, poſt venaeſectionem interdum ortae, et rurſus diſparentes, extrauaſatum ſanguinem non arguunt, quin ſaepe a concuſſis vel ſeparatis neruis, atque inde inducta debilitate vaſorum pendent. Maculae liuidae, ſcorbuticae non p. 37.
tantum a diſruptis, ſed etiam ab extenſis ſolummodo vaſis oriuntur, ideoque intelligitur, cur interdum, morbo ſublato, ſponte euaneſcant, interdum auxiliis chirurgicis opus habeant. Sic etiam explicat Auctor noſter, quare in vulneribus capitis ſuperci- p. 40.
lia turgeant et liueant, licet ipſa laeſa non ſint. In petechiis, adeo ſubito euaneſcentibus, ſanguinem, p. 49.
extra vaſa miſſum, non eſſe docet, ſed tantum in minora vaſcula impulſum, adeoque ſpaſmo, a quacumque cauſſa orto, minima haec vaſcula coarctante, ſanguinem ex iis in maiora reprimi oportere.

V.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche Maatſchappye de Weetenſchappen te Haarlem XI Deel. I en IIde Stuck. Te Haarlem, by I. Boſch, 1769. 2 Alph. 5 pll. 3 tab. aen.

i. e.

Commentarii Societatis ſcient. Harlemenſis Vol. XI. P. I. II.

Continentur in prima parte.

p. 3. 1. T*ractatio medica, de impedito alimentorum per oeſophagum tranſitu*, Auctore Cl. MATTH. VAN GEUNS M. D. Groning. Eſt haec tractatio reſponſio, moneta aurea coronata, ad quaeſtionem a ſocietate propoſita *): *Quibusnam cauſſis impedita, et lente progrediens, ſemperque letifera deglutitio oritur? Cur ea iam frequentius ac olim occurrere ſolet? et quibusnam remediis obuiam ei eatur, et medeatur?*

p. 7. Ordo, quem Cl. Auctor perſequitur, is eſt: 1. vt oeſophagum, eiusque fabricam, functionem, partesque vicinas, quibus ille ad aegritudines varias diſponatur, perluſtret; nec non mala praecipua, a pathologis eidem attributa, cum obſeruationibus variorum ſcriptorum perſtringat, et ex his delineationem, accuratamque deſcriptionem eius morbi, ſecundum ſigna eius et ſymptomata, exhibeat; 2. vt deglutitionem impeditam ſic delineatam, ex cauſſis proximis per obſeruationes indagatam, in ſpecies quasdam diuidat, et in grauitatem earum maiorem minoremue inquirat: 3. vt ex cauſſis praediſponentibus ſolemnitatem eius mali iam frequentiorem demonſtret; 4. vt ex his oſtendat, quaenam horum mala curari non poſſint, quaeque curationem admittant, et quibus

*) vid. comm. noſtr. V. XII. p. 536. V. XV. p. 574. 695.

bus remediis ei obuiam eatur vel medeatur: 5. vt tandem obſeruationes quasdam anatomico medicas, quae huc ſpectent, communicet, quas vero, cum ab ordine ſuo aliquo modo recedere videantur, his ſub finem adiungit.

Conſideratione oeſophagi partiumque vicinarum anatomico pathologica abſoluta, morbum noſtrum ſic definit, eſſe eum lente progredientem, difficilem, vel plane impeditum alimentorum, ex oeſophago in ventriculum vsque, tranſitum. Hinc ab angina, cuius vitium in faucibus haeret, differt. Omne ergo malum, quod tumoribus inflammatoriis, abſceſſibus, ex contuſione vel vehementi irritatione in oeſophago, celeriter vel vehementer natum ortis, debet, cum morbo noſtro non conuenit; Si vero deglutienda difficile in oeſophago, ſuper trochleam quaſi, vel per anguſtiam, cum anxietate quadam, tranſeunt, de tali malo non dubitandum eſt. Accedit et hoc, quod, in progreſſu praecipue huius mali, in lento alimentorum et difficili tranſitu maxima interdum ſaliuae copia augeatur, ita, vt in hac multi ſignum eiusdem morbi pathognomonicum ſibi inuenire videantur. In genere vero notetur, ſymptomata, pro conſtitutione aegri, et varietate admodum interdum variare: malum hoc vnicuique ſexui, aetati et temperamento conuenire, inprimis vero ſequiori et ſenio proprium eſſe. Sedes huius mali et cauſſa quoque variant. Solemniſſima eſt in laxis et inertibus fibris tunicae oeſophagi muſcularis; Altera eſt ſpaſtica earum contractio. Oriuntur ex his aliae, quarum prima in praeternaturali intumeſcentia glandularum oeſophagi, earumque muci obſtipatione poſita eſt, ex quibus arida via, et ſiccitas alimentorum, quae muci vehiculo iuuanda eſſent, naſcuntur, vnde oeſophagus non ſolum contrahi, ſed vere interdum coaleſcere ſolet. Anguſtatur haec via porro ex duris tumoribus, in ipſa ſub-

p. 39. p. 44 p. 48. p. 55. p. 59.

ſtantia oriundis, ſed et ex tumidis glandulis comprimitur, et quo profundius glandulae hae in pectore inter aſperam arteriam et oeſophagum haerent, eo per-
p. 66 tinacius et periculoſius eſt malum, quod quidem, ſi partem, aſperam arteriam inter et oeſophagum, inuaſerit, tumidam reddiderit, muſcularemque aſperae
p. 68. arteriæ portionem compreſſerit, ſemper fere letiferum erit. Non raro accidit, vt glandulae illae, circa cardiam conſpicuae, hac tali induratione et obſtipatione afficiantur, mortemque comitem habeant.
p. 71. Oeſophagus porro comprimitur ab excreſcentiis externis, indurationibus vel tumoribus, membrana incluſis, aneuryſmate cet. Sic et ab internis eiusmodi excreſcentiis carnoſo fungoſis, tumoribus, abſceſſibus, in cacochymicis, ſcorbuticis cet. oriundis.
p. 86. Raro euenit, vt malum hoc ex hac, vel illa cauſſa ſolum oriatur, ex plurimis ſaepiſſime concurrentibus
p. 94. componi intelligitur. Ex obſeruationibus veterum ſcriptorum haud obſcure patet, hoc malum tum iam innotuiſſe, licet non ita accurate et ſpeciatim ab iis delineatum ſit: nec ex ſilentio horum ſcriptorum ſemper ad morbum, vel plane incognitum, vel minus graſſantem concludendum eſſe conſtat. In Belgio prae reliquis Europae prouinciis, in Friſia inprimis hoc malum ſolemne eſſe. Cauſae praediſponentes generales huius mali ex mente Auctoris ſunt mollior, tenerior et debilior conſtitutio corporum; ſpeciales, potus calidus, theae coffeae, ſpirituoſorum, et ex ſaccharo paratorum; ingeſtio gelidorum, vel quae ad luxum ſpectant, aromaticorum, vinorum defraudatio (mangoniſatio) cet. errores diaetae v. c.
p. 108. abuſus ſolanorum. Omnia haec vi quandoque mechanica vel inſito ſuo ſtimulo cardiam, valde ſenſilem, irritant et ad contractionem diſponere valent.

Non quaelibet huius mali ſpecies, ex ſententia quorundam, letalis eſt. Medelam Noſter his, ex

variis

variis cauſis natis, accommodat variam. Medentur eidem, ex laxatione et inertia oeſophagi orto, roborantia et irritantia; ſpaſticae eius contractioni, calidiora, antiſpaſmodica, anodyna vel emollientia conducunt; compreſſio eius, ex ſiccitate oriunda, humidis, emollientibus et lubricantibus curatur, nec non oeſophagus ſtylo balenario, cum capitulo eburneo vel ex fungo adaptato, caute dilatandus eſt; Si ex tumidis vel obſtructis glandulis mucoſis ortum eſt, ſalia ſoluentia, gummata, extracta, attenuantia cum interpoſitis euacuantibus laudantur; nec minorem laudem mercurius, et ſalia alcalia merentur. Si p. 116.
vero hi glandularum tumores in ſcirrhos carcinomaticos abierunt, non niſi emollientia, frictio et ſopientia locum habent, vel, ſi ratio et locus admittunt, extirpatio adhibenda eſt; Lenientia cum iis, quae in exulceratione indicantur, commixta ad depurationem et plenam curationem vlcerum, excreſcentiarumque fungoſarum maximi faciunt. Quodſi oeſophagus vere clauſus eſt, anguſta via, cum inſtrumento ſupra deſcripto, quantum quidem fieri poteſt, dilatetur, quo aliquid nutrimenti ingeri poſſit, vel iniectionibus, ex methodo Cl. MAUCHARD adiuuetur; ſin hoc fieri nequeat, clyſmata nutrientia applicanda ſunt. Adiecit Cl. Auctor, quo p. 123.
tractationem ſuam firmaret, decem obſeruationes, a ſe ipſo et aliis inſtitutas, in quarum prima agit, *de impedito tranſitu letali, ex tumoribus ſcirrhoſis circa cardiam, cum induratione eiusdem tunicarum, in viro 67 annorum obſeruato;* In altera *intumeſcentiam et obſtructionem glandularum oeſophagi praecipuarum, viniusque glandulae dorſi, ſine difficili tali deglutitione, in muliere vetula detectam* pertractat. In tertio *de letali* p. 133. p. 138.
oeſophagi partis ſuperioris contractione, ſine carcinomatica indole vel induratione, in femina 50 annorum perſpecta diſſerit. Diſquirit in quarta, *compreſſionem et* p. 143.

 coanguſta-

coanguſtationem oeſophagi partis ſuperioris letalem, ex craſſitie eius et obſtructis glandulis, in femina 40 *annorum.* Siſtit obſeruatio quinta *oeſophagum, ex intumeſcentia duarum glandularum, ab vtroque latere compreſſum, quo femina* 42 *annorum, cum nihil poſſet deglutire, materiamque purulentam eiiceret, obiret.* Oſtendit in ſexta *coanguſtationem et ſiccitatem partis oeſophagi ſuperioris lentam, in femina* 30 *anno-*
p. 149. *rum feliciter curatam.* Communicat in ſeptima *viam oeſophagi partis inferioris, poſt iteratos faucium tumores, impeditam, in virgine, ope decoctorum reſoluentium, antimonialium et mercurialium curatam;* Agit in octaua
p. 157. *de difficili oeſophagi partis inferioris tranſitu, per mercurii vſum in virgine feliciter emendato.* Traduntur in nona *variae huic morbi medendi methodi, ab aliis adhibitae;* et in decima *alias obſeruationes, quae vel ad hanc methodum ſpectent, vel theoriam* Cl. Auctoris *huius morbi declarent,* inducit, in quibus praecipue mercurium nec non cinerum fucorum, a RUSSELIO laudatorum, vſum commendat.

His tandem tres tabulas aeneas, quarum duae priores primae obſeruationi, tertia alteri accommodantur, adiecit.

p. 179. 2) *Ad eandem* ſocietatis *quaeſtionem* Cl. A. P. NAHUYS reſpondit. Diſquirit Cl. Auctor 1. cauſſas, in partibus, oeſophago vicinis, latentes, vel in ipſa oeſophagi ſubſtantia haerentes, ex quibus difficilis vel impeditus alimentorum tranſitus oriatur, in principio parum vel non, in progreſſu magis conſpicuus, quin immo tandem letalis. 2. Ex his deinde cauſſis ad triſtem huius mali ſcenam, noſtris temporibus magis, quam olim, ſolemnem concludit. 3. Palliatiua tandem, vel curatoria communicat medicamenta, quibus hoc malum vel caveatur, vel, ſi adfuerit, auertatur. Cauſſae huius
p. 187.

mali

mali proximae ſunt, vel *externae* vel *internae.* Externae 1. Tumores magni in vicinia oeſophagi. 2. Pulmonum induratio vel excreſcentia 3. Glandularum dorſi obſtructio et intumeſcentia; Internae, 1. p. 194. Excreſcentiae, in ſubſtantia oeſophagi fungoſo carnoſae 2. ſcirrhi vel carcinomata 3. tumores tunica incluſi 4. aneuryſmata et varices: Ad internas porro refert fibrarum tunicae oeſophagi muſcularis inertiam, quae cernitur, vel in earum rigiditate, immobilitate, et in ipſam interdum cartilagineam indolem transmutatione; vel in earum laxitate vel paralytico quaſi ſtatu. Ex quibus glandularum, oeſo- p. 205. phago vicinarum, vel in ipſo ſitarum, corruptionem cauſſam huius mali maxime ſolemnem aſſerit. Oeſo- p. 207. phagum Cl. Auctor inſtrumento, paulo ante deſcripto, diſquiſiuit, quo eum per partes perluſtraret, et veram morbi cauſſam inueniret; vt deinde ſigna, cuilibet cauſſae propria, poneret, et ex his tandem ad ea, quae ratio ſuaderet, concluderet. *Tumor magnus*, oeſophago vicinus, difficilemque tranſitum producens, cognoſcitur tum, cum aeger, praeter difficilem deglutitionem, dolorem quendam in pectore, reliquisque interdum partibus, admodum magnum ſentit, cum grauitate et preſſione diaphragmatis, reſpiratione difficili et breui, ex diuerſa aegrorum conſtitutione corporis aucta vel imminuta, quid? quod ſuffocationis interdum metu: ſtylus impeditur reſiſtentia quadam externa, quo minus libere per oeſophagum poſſit transire. Signa, *ſi malum ex parte pulmonum indurata ortum ſit*, haec ſunt: Continua difficultas ſpirandi, ex progreſſu indurationis aucta. Reſiſtentia cum ſtylo ſentitur, quae vero ei cedere videtur, nec non ſingularis pectoris grauitas adeſſe perſentiſcitur; *Obſtructionem glandularum, oeſophago vicinarum* ſuſpicatur tum, cum reſpiratio libera, nec deglutitio cum dolore coniuncta

ſit,

ſit, ſtylo vero reſiſtentia quaedam, circa quintam vertebram dorſi, ſe obiiciat, praeſertim cum aeger pituitoſis ſcateat humoribus, aliisque glandulis ob-
p. 211. ſtructis laboret. Si malum, *ex fungoſo carnoſa in oeſophago excreſcentia* natum ſit, tranſitus alimentorum in oeſophago cum magna difficultate, ſi praecipue ſolidiora ſint, abſoluitur. Reſiſtentia quaedam interna, haud ita magna, ſtylo ſentitur. Aeger praeterea vt plurimum acrimonia ſcorbutica laborat; *Scirrhi et carcinomata* in cauſa eſſe videntur, ſi tranſitus alimentorum fieri fere nequeat, nec ſtylus, niſi vi, penetrare. Vehementiſſimus dolor in loco reſiſtentiae carcinomaticam corruptionem arguit; *Tumores, tunica incluſi* ſuſpicantur, ex reſiſtentia, ſtylo magis minusue obiecta, pro ſubſtantia ſua laxiore vel ſtrictiore; Cum ſcirrhis vero et excreſcentiis fungoſo carnoſis facile confundi poſſunt. Diagnoſis *aneuryſmatum et varicum* eſt, ſi aeger, poſt dolores, calorem et pulſationem, in oeſophago perceptos, magnam haemorrhagiam per os patitur, ſtylum vero, ſi reſiſtentiam magnam ſuperauerit, eadem haemorrhagia comitetur, difficultas vero deglutiendi pro magnitudine tumoris maior minorue cernatur; *fibrae oeſophagi muſculares rigidae et cartilagineae factae* fere a ſcirrho et tumore adipoſo diſcerni nequeunt; *laxae* vero et *paralyticae* non ita magnis doloribus ſtipatae, alimenta per ſe deſcendere, cum aliqua irritatione, patiuntur; nec ſtylo vlla reſiſtentia obiicitur.

p. 216. Maior huius mali ſolemnitas noſtris diebus pendet a vita ſedentaria, potu calido, ſpirituumque abſtracticiorum, cibis farinaceis tenacibusque, et humorum acrimonia ſcorbutica. In methodo medendi, vel ad ea, quae ſanos ab hoc malo caueant, vel,
p. 225. quae aegros ab eo liberent, reſpicit; Haec vero methodo curatoria vel palliatiua tantum abſoluit, quam

ad

ad cauſſas varias, ex quibus malum ortum ſit, applicat, vbi catalogum medicamentorum, cuique malo propriorum, adiicit; quem vero, quum ea non incognita ſint, iure omittere nos poſſe videmur.

3. Obſeruatio *difficilis alimentorum per oeſophagum tranſitus, ex preſſione oeſophagi orti*, Auctore Cl. LUD. ROUPPE. Duas obſeruationes Cl. Auctor, paulo fuſius refert, quibus ſub finem annotationes ad has obſeruationes adiungit, quarum ſumma huc redire videtur; Femina caelebs, 60 annorum, plethorica, variis diaetae erroribus, potu inprimis ſpirituoſo ex caſu quodam, cum ebria eſſet, in ignem, magnos dolores in pede ſiniſtro, cum exulceratione quadam in loco affecto, ſentiens Noſtrum an. 1764. conſuluit; emplaſtris vero iuſtis aliisque medicamentis bonis adhibitis, melius ſe habuit. Menſe iul. 1766. difficultatem deglutiendi ex impedimento quodam, ſternum inter et cartilaginem thyrioideam, aegra perſentiſcebat, cui Noſter medicamentis aptis obuiam iuit, ita, vt ad 8 octobr. vſque omnia ſolida et fluida melius poſſet deglutire. His ad finem nouembris ita continuatis, denuo eadem et peiore anxietate afficiebatur, nec his ad 10 dec. ceſſantibus, mercurium dulcem, vt ſaliuatio excitaretur, adhibuit. Hac d. 19 ei. prodeunte, et per totum menſem durante, malum non ceſſabat, vlcus ſiccum et aluus ſtrictior erant, vt, medicamentis etiam bonis datis, ſymptomata in dies creſcerent, dolor inprimis in regione epigaſtrica augeretur. His, et impeditae praecipue deglutitioni d. 9 ian. 1767. iterum mercurio aliisque occurrit, ſed fruſtra; mala potius, ad menſem martium in dies peiora facta, aegram d. 21. ei. interficiebant. Abdomine aperto, diaphragma vltra modum in abdomen deſcendiſſe videbatur. Omentum, ventriculus cum inteſtinis, gangraena deſtructa

p. 251.
p. 269.

ſtructa, colore liuido, caeruleoque cum ſummo mo foetore conſpiciebantur. Hepar magnum et durum maculis flauis. Veſicula fellea parua collapſaque erat. Ventriculus totus fere, in latere ſiniſtro, contractus; inteſtinum duodenum, circa pylorum flexum, ſupra corpora vertebrarum aſcendens ſub hepate, regionem fere totam occupante epigaſtricam,
p. 271. gliſcebat. Ad haec etiam vertebrarum corpora, ſtatim ſub diaphragmate, tumor durus, ſubflauus, ad inſtar oui gallinacei, conſpiciebatur, qui cardiae aeque, ac ventriculo firmiſſime adhaerebat. Nec minus viſcera abdominis praeter naturam mutata erant. Lien paruus, ſubrotundus, admodum durus et gryſei coloris; Pancreas magnum, non ita induratum, et ad partem cardiae accretum; Meſenterium multis glandulis obſtructis, brunni coloris, abundabat; Pulmones nigreſcentes, admodum longi, et in latere ſiniſtro pleurae accreti: Cor valde paruum, in cuius ventriculo dextro et vena caua, ſanguinem grumoſum, et in ventriculo ſiniſtro polypum, ad arteriam aortam vſque ſe extendentem, cum eodem ſanguine grumoſo Noſter inueniebat; Arteria aorta plana magis et collapſa. Pleura in vicinia oeſophagi paululum eminere videbatur, quae vero inciſa materiam quandam, puri ſimilem, reddebat: ſeptem poſtmodum vel octo glandulas induratas, albeſcentes, ad nucis auellanae magnitudinem, oſtendebat, quarum quaedam ſolutae cum materia ſimul in cauum pectoris cadebant; circa oeſophagum, cartilaginem thyrioideam inter et bifurcationem aſperae arteriae, glandulas bronchiales eodem modo induratas cet. detegebat; Nec minus infra bifurcationem eaedem ad diaphragma vsque reperiebantur. Cum vero vlcus, quod in oeſophagum ipſum abiret, deprehenderet, totum oeſophagum, ventriculum, pancreas cum parte diaphragmatis ex-

ſcindebat, vlcusque domi examinabat. Tumor ipſe p. 274.
durus, lateri dextro cardiae, ventriculi, eiusque curvaturae paruae accretus, membrana ventriculi exteriore tectus, in membrana oeſophagi muſculari, tres digitos ſupra diaphragma oriebatur, et quatuor digitos ſupra oeſophagum aſcendebat. Maius erat vlcus in membrana muſculoſa, quam in interna. Labia tumida, non ita dura in medio ad digitum a ſe diſtabant, ita, vt tertia fere pars oeſophagi deficere videretur, vbi pleura tranſitum alimentorum impediebat. Vlcus ipſum, in tota ſede, cinereo colore conſpiciebatur. Oeſophagus ſupra et digitum infra vlcus non mutatus erat. Reperiebat in ventriculo octo vel decem vncias materiae tenuis, non pellucidae, flauique coloris, cum pure mixtae, acidique odoris. Cardia clauſa vere videbatur.

Vir 50 annorum; abuſu ſpiritus iuniperi, et p. 277.
vita ſua ſedentaria variis incommodis abdominalibus, poſt paſtum praecipue, in regione epigaſtrica ſiniſtra cet. afficiebatur, quibus tandem difficilis deglutitio accedebat. Impedimentum huius circa cartilaginem xiphoideam ſentiebat. Hepar Noſter ſub coſtis ſpuriis eminere, totam regionem epigaſtricam occupare, nec non valde durum perſentiſcebat. Medicamentis eidem variis fruſtra applicatis, accedente tandem febre lenta, cum diarrhoea coniuncta, moriebatur. Aeger, 60 annorum, abuſu potus theae male p. 278.
in abdomine afficiebatur, vt tandem ingeſta difficile deglutiret, ſolidiora vero per os rurſus eiiceret. A menſe auguſti anni 1766 medicamentis iuſtis, gummatibus ſoluentibus, laudano, cicuta cet. huic malo oppoſitis, ad menſem vſque maii 1767 aeger modo melius, modo peius ſe habuit, vſque dum, ſymptomatis auctis, malum ita augeretur, vt d. 31. maii exſpiraret. Cum Cl. Auctor deſcriptionem ca- p. 294.
daueris anatomicam paulo fuſius exhibeat, breuiores

forte

forte erimus, ne, longo earum partium examine, quae ad malum hoc non ita immediate conſpirent, a ſcopo noſtro aberremus. En eius epitomen! Partium abdominis, etſi omnes fere a naturali ſuo ſtatu aberraſſe viderentur, ventriculus et hepar attentionem quandam merentur. Ille enim magnus, aere diſtentus, verſus pectus, et ab hepatis lobo ſiniſtro in latus ſiniſtrum, preſſus erat, ita, vt pylorus dilatatus, magis inferius, ſuper vertebras poſitus, conſpiceretur. Tunicas eius in poſteriore ſuperficie ſuperius, et ad partem ſuperficiei anterioris, circa arcum minorem et pylorum, et ad cardiam fere vſque craſſiores durioresque inuenit, quae, durities et cardiam totam inuoluens, ad diaphragma tumorem ſcirrhoſum mentiebatur. Secta hac parte, deſtructionem quidem, cum odore foetido, ſed absque gangraenae vel fecum veſtigio detexit. Quatuor vel ſex circiter vncias muci tenacis, flaueſcentis, ventriculum, verſus pylorum praecipue, replentis, inuenit. Plicarum loco tunicae internae ibi tubercula quaedam piſiformia, albida, mollia, preſſuque liquorem ex albo
p. 302. flauum fundentia, cernebantur cet. Hepar admodum, inprimis in lobo ſiniſtro, magnum, in ſuperficie eius conuexa multas maculas, ex albo fuſcas, paululumque eminentes oſtendit. Superficies eius concaua fere omnis, praeter veſiculam felleam, alba
p. 311. fuit, maculae materia albeſcente repletae erant. Materiam hanc igne Noſter examinans tenuiorem pellucidioremque, cum calefieret, vidit, gradu ignis maiore in placentam confluere, parte quadam antea euaporata; placenta vero, prunis impoſita, album, pinguedinemque redolentem, a ſe ſparſit fumum.
p. 296. Pulmones et cor, ſi minorem eorum formam excipias, naturalia erant; in cordis cauo dextro venaque caua concretionem quandam mucoſam cum ſanguine grumoſo; in ſiniſtro polypum, paruum quidem,

dem, quae vero deglutitionem vix impedirent, detexit. Oeſophagus ipſe admodum tenuis erat et laxus, inteſtinoque tenui ſimillimus. Patet ex his, p. 312. cauſſam proximam huius mali in tumore chronico, creſcente, absque irritatione indolente, et duro, ex intumeſcentia glandularum mucoſarum, inter tunicas oeſophagi et ventriculi circa cardiam poſitarum, vel oeſophagi glandularum externarum, dorſalium vel bronchialium cet. oriundo, poſitam eſſe.

Cooperantur hic et aliae cauſſae, nimirum morbi varii colli, fungi, vitia cartilaginea in oeſophago circa cardiam; ſpaſmi et paralyſes; Vel ea, quae deglutitionem ab extus poſſint impedire, vt copia pinguedinis, tumores ſcirrhoſi vel noduli pulmonum, aneuryſmata, arteriarumque tunicarum induratio, conuulſiones diaphragmatis cet. Cauſſam, p. 314. cur eiusmodi tumores iam frequentiores inueniantur, adſcribit Noſter diaetae, minus bonae (*laſſe*) aquoſae, nec adeo nutrienti. Eminet inter haec frequens vſus fructuum acidorum horaeorumque, et potus ſpirituoſus, nec non potus iſte calidus, qui ſolus in vltima obſeruatione in culpa eſſe videbatur. Specificum remedium contra hoc malum non datur, p. 318. interim vſus *aquae marinae*, vel, quae in *quercu marina* continetur, ſecundum methodum Cl. RUSSEL, non infructuoſus fuit. Nec minus cicuta commendari meretur. Dolores in hypochondrio ſiniſtro, quos aeger vltimus, ante difficilem tranſitum ingeſtorum, ſenſerat, ex ſcirrhoſo tumore in ſuperficie poſteriore ventriculi Noſter deriuat. Prouo- p. 320. cat hic Cl. Auctor, ad tractationem quandam, de *morbis nauigantium*, a ſe editam, vbi exemplum eiusmodi infert, in quo, ex vſu extracti cicutae, bonum habuit euentum. Quaerit tandem Noſter, numne p. 322. ſub initium talium tumorum lenia vomitoria, interpoſitis ſaponaceis, incidentibus, reſoluentibus ſti-

mutantibusque cum cortice Peruuiano poſſint adhiberi? Commendat porro cineres ſpongiae; Reiicit vero dilatationem oeſophagi cum tubulo balenario, vſumque mercurialium, purgantium draſticorum vel aliorum irritantium.

p. 324. 4. *Examen pulueris, corruptionem arcentis, in Franco-Gallia inventi*, a Cl. IOH. GOTTL. LEHMANN, ex latino translatum. Pulueris huius arcani, qui Cel. HERISSANT auctorem habet, quantitatem Noſter ab Abbate CHAPPE D'AUTEROCHE, ex itinere Sibirico reduce, accepit. Puluis ipſe eſt mollis, coloris flaui ſulphureique, ſaporis ſalis communis, odo-
p. 334. risque ambrae ſimilis. Partes eius conſtituentes, quas dicunt, examine chemico, variis modis, detexit: ex quibus patet, libram huius pulueris componi ex vnciis tribus, drachma vna, ſcrupulo vno et granis ſedecim ſalis communis; vnciis quatuor et ſemis, granisque ſedecim florum ſulphuris; drachmis duabus et granis acto ambrae; vnciis demum octo ochrae. Loco ambrae addita quantitas florum ſulphuris poteſt adhiberi. Applicat Cl. Auctor hic vſum huius pulueris, praecipue ad conſeruationem integumentorum auium, cuius plenariam encheireſin adiungit.

p. 337. 5. Breuis commentatio *ſuper originem arenae magneticae* (zeilſteen-zand) Auct. EODEM ex latino translata.

Arena magnetica eſt ſcoria vel arena, figurae vt plurimum irregularis, grani nunc maioris nunc minoris, nigrae vitreſcibilisque naturae, ad litora maris, vel ad margines ripasque lacuum, vel in ipſa terra continenti reperiunda, et a magnete admodum
p. 339. attrahenda. Enumerat Cl. Auctor loca ea praecipua, vbi arena magnetica inuenitur. Eſt ſpecies
p. 343. ſcoriae martialis (*laua*), ex igni ſubterraneo, vel montibus

tibus igniuomis producta. Differt haec ab aliis arenis in eo, quod a magnete attrahatur. Componitur ex ochra martiali minerae martis lacuſtris, ex alcali minerali fixo, et ex terra fixa bituminoſa. Poteſt eiusmodi arena produci, ſi vna pars ochrae martialis lacuſtris; duae partes litanthracis puriſſimi, et in maſſam atram ſpongioſam, ope ignis, mutati; et tres partes alcali mineralis fixi, ex ſale communi, ad methodum Cel. MARGRAAFF parati, commiſcentur, in crucibulum deinde committuntur, et duas horas in furno anemio continentur. Conſpicitur tunc maſſa nigra ſplendeſcens, quae contrita, aqua lota et deinde exſiccata, arenam offert, arenae magneticae ex omni parte ſimilem. Succinum quoque p. 346.
poteſt litanthraci ſubſtitui. Obiectiones quaſdam de vitrificatione magnetis, et de minerarum ferri, adiecto phlogiſto, in magnetem commutatione, Ipſe ſoluit; nec non eam diluit, vbi dixit, ſe alcali minerale fixum, arte paratum, ad praeparationem huius arenae adhibuiſſe, nec tamen conſtet, vnde na- p. 348.
tura eiusmodi ſal, arte productum, obtinuerit? Ortum arenae huius, eiusque in fruſta minora comminutionem (*Geſchiebe*) declarat, eundemque micae magneticae, Achati Islandico, lapidi Obſidiano, et variis aliis arenae Americae ſpeciebus tribuit *). Tandem in arenam magneticam, quae in terra continenti reperitur, inquirit, eandemque ex ſoli mutatione v. c. inundatione deriuat, nec non, ignem ſubterraneum eam huc depoſuiſſe, ſibi improbabile videtur.

p. 351.

6. *Animaduerſiones in contagium bouinum, adiecta methodo contagium hoc eradicandi, vel progreſſum eius arcendi* Auctore Cl. SALOMON DE MONCHY.

S 2 Polyatro

*) vid. eiusd. Comment. *de vitro foſſili naturali* in nouis commentariis Petropol. T. XII. p. 359. Comment. noſtr. Vol. XVII. p. 701.

Polyatro Roterodamenſi. Diſquirit Noſter hic, quonam nomine hoc contagium ſit inſigniendum? an ſemper vnum idemque contagium ſit? quibusnam cauſis oriatur et promoueatur? quid in methodo medendi ſit conſiderandum? quatenus Auctores in eius conſideratione progreſſi ſint? an eiusmodi medicamentum, quod omnibus ſatisfaciat, certo poſſit expectari? Omiſſis aliorum auctorum denominationibus, Noſter hunc morbum appellat, *acutiſſimam febrem putridam*: Morbus hic contagioſus in variis beſtiis varius videtur, ſed eſt vnus morbus, ex iisdemque cauſſis oriundus, ad quas Cl. Auctor et diſpoſitionem corporis ad contagium ſuſcipiendum, illudque ipſum, corpori ab extus adplicatum, quae conſpirare debeant, refert.
p. 362. Methodum medendi ita format, vt ex hac parte diſpoſitio corporis brutorum ita mutetur, vt morbus, contagio graſſante, non oriatur, aut non grauis, multo minus letalis fiat, vel eiusmodi diſpoſitio plane auertatur; ex altera parte, vt materia contagioſa externa emendetur, progreſſus eius impediap. 363. tur, vel denique contagium prorſus deſtruatur. Remedium ſpecificum, contra hunc morbum contagioſum, nondum detectum fuiſſe, ingenue fatetur Noſter, nec vllam fidem tribuit medicamentis iſtis, ab aliis Auctoribus, in hunc finem, communicatis, neque magis fidit inſitioni huius materiae contagioſae, in vitulis praecipue, a Cl. ENGELMANN ſtabilitae, praeſertim cum ab ipſis poſtea Ordinibus Hollandiae et Weſtfriſiae praemium tale remedium ſpecificum
p. 367. communicaturo propoſitum ſit. Ex his itaque praemiſſis, quas dicit, veris concludit, nullam ſubeſſe ſpem, qua eiusmodi medicamentum ſpecificum certo poſſit expectari, vel, ſi etiam inueniatur, fortuito caſui id potius, quam ingenio perſcrutationique hominum

minum tribuendum eſſe; vel naturam ipſasque forte beſtias viam nobis demonſtraturas eſſe, qua tuto obviam iis eatur. Commentatur poſtmodum in me- p. 368.
thodum ſuam curatoriam, quae maximam partem ad medicinam forenſem ſpectat. Omnia vero huc redeunt, vt praecepta exhibeat, quibus oeconomia brutorum ſit inſtituenda, et contagium hac cura ſit auertendum. Adiicit tandem, quae a Cel. LAN- p. 379.
CISIO *) commendantur ad imminuendam hanc peſtem, vel, quod in Brittania in hunc finem Regia auctoritate diuulgatum eſt edictum, bonum, omnique plauſu dignum Noſtro videtur.

7. *Annotationes ſuper cruſtam inflammatoriam in* p. 385.
ſanguine, ex vena miſſo Auctore Cl. IAC. VAN DER HAAR. Sanguis in genere inflammatus dicitur, ſi ex vaſe miſſus, in patinam collectus, et frigefactus pelliculam in ſuperficie albam, caeruleam vel viridescentem, valde tenacem, adipisque ad inſtar, oſtendit, et in tenui flauo virideſcente ſero innatat. Quoties itaque eiusmodi cruſta conſpiciatur, toties de ſanguine vere inflammato eam teſtari; neque vero ab eius abſentia ad abſentiam inflammationis in ſanguine poſſe concludi aſſerit Noſter, cum variae ſint cauſſae, quae eius formationem poſſint impedire, v. c. gradus varius caloris et frigoris, vbi fallacias varias ipſe Cl. Auctor in experimentis expertus eſt. Nec ipſi Cell. viri SYDENHAM, VAN SWIETEN et p. 391.
BAGLIVIUS de cruſtae huius geneſi perſuaſi ſatis videntur. Audiamus, quae Cl. Auctor in experimentis ſuis obſeruauit phaenomena: Sanguinem inflammatum, flumine forti vel etiam lento, perpendiculari in vaſe amplo, lato et admodum frigido collectum, ſtatimque frigori ſummo expoſitum, non

S 3 ſolum

*) Diff. de bouilla peſte, ex Campaniae finibus anno 1713. Latio importata. p. 5.

ſolum cruſtam hanc non formaſſe, ſed potius in maſſam valde tenacem, intus rubram, confluxiſſe, parumque vel nihil ſeri in ſuperficie oſtendiſſe; Eum vero in vas paullo profundius, minusque frigidum, temperatiorique tempeſtati expoſitum, ita immiſſum, vt flumen ſemper vnum locum, centrum nimirum, tangeret, et ita calide maneret, formam quidem eandem, quam ſuperius aſſeruit, in margine, ſed in medio cruſtam maiorem vel minorem inflammatoriam ſe obſeruaſſe; ſin autem flumen duarum, triumque vltimarum vnciarum alia loca attingeret, in iisdem easdem cruſtas deprehendiſſe, expertus eſt
p. 393. Noſter. Obſeruauit porro in tali ſanguine, flumine forti, in vaſi profundo, anguſto et valde calido, collecto, eoque ſenſim in loco ad 40, 50 vel 60 gradus ſcalae Fahrenheitianae calido, quiete frigefacto, eandem cruſtam inflammatoriam, in magna copia ſeri tenuis, pellucidi, flauoque griſei innatantem, generari. Ad geneſin itaque cruſtae inflammatoriae ſanguis ſenſim
p. 394. paulatimque frigeſiat neceſſe eſt. Eiusmodi enim fallacias egregie detexit, cum ſanguinem ex aegro vere pleuritico in cyatho ad diſtantiam trium digitorum, in altero 18 digitorum, in tertio trium fere pedum, et *) in vaſe lapideo amplo, frigido, 8 vncias eiusdem ſanguinis colligeret, et altero die, in primo egregiam, et in multo ſero natantem cruſtam, in ſecundo minorem, in tertio tenuem tantum pelliculam, et in quarto ne veſtigium quoddam cruſtae conſpiceret.
p. 266. Sanguis ergo vere inflammatorius, ſi tempore hyemali ex vena in patinam ſatis amplam immittitur, frigorique tunc exponitur, cruſtam inflammatoriam vel non, vel paruam, non obſtante flumine forti, exhibet; Sin, eiusmodi ſanguis ad ignem reponitur, caloremque 50 vel 60 graduum experitur, ſtatim in latere, igni aduerſo, cruſtam cum ſero, a ſanguine ſeparato

*) Conf. Cl. SCHWENKE haematologia p. 266.

ſeparato; in auerſo vero latere cohaerentiam, dilute rubram, ſine ſero et cruſta oſtendit. Inuerſa placenta diſciſſa in latere, igni aduerſo, ad cruſtam vſque ſanguinem nigrum, grumoſum mollemque, in altero vero rubrum, tenacem, magisque conſiſtentem offert. Colligit tandem Noſter, ſe in regione ſua fri- p. 399. gida, vbi inflammatorii morbi ſolemniores ſint, in aeſtate plures, obſeruaſſe cruſtas inflammatorias, quam hyeme, vbi ſanguis per frigus rubicundior conſiſtentiorque conſpiciatur; Sanguinem ergo inflammatum, vbi cruſta non generatur, aeſtate, ex colore obſcuriore, molli, tenaci vel gelatinoſa forma; hyeme vero, ex colore clariore, conſiſtentia maiori, paruaque ſeparati ſeri copia cognoſci affirmat.

Inſunt in altera parte.

1. Reſponſio ad quaeſtionem, a ſocietate pro- p. 1. poſitam: *Quid hactenus ex ſcriptis auctorum de hiſtoria naturali patriae conſtat? quid iam deſideratur? et quo iuſtiſſimo modo hiſtoria haec poteſt condi?* Auctore Cl. CORNEL. NOZEMANN, *) cui praemium monetae aureae d. 21 maii 1769. addictum eſt.

2. Reſponſio *ad eandem quaeſtionem* Auctore Cl. p. 61. IO. FLORENTIO MARTINET, qui praemium monetae argenteae eodem die reportauit.

Adduntur obſeruationes Zwanenburgenſes ad annos 1767 et 1768.

*) v. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 357.

IV.

ANTONII DE HAEN S. C. R. A. Maieſtatis Conſiliarii et Archiatri Med. Prof. Prim. cet. Pars tertia decima rationis medendi in noſocomio practico Viennae Auſtriae, ſumptibus Hermanni Ioſephi Krüchten 1769. 8. pagg. 278. Pars decima quarta ib. 1770. 8. p. 432.

T. XIII. Ac ſic quidem partem decimam tertiam, atque quartam, cum Ill. Auctore, pergimus noſtris Lectoribus tradere, qui hac decima quarta parte hoc, huc vſque continuatum, opus finit. Id quod tanto aegrius vidiſſemus, quanto vtilius hoc eſt inſtitutum, niſi nobis conſtaret, Cl. DE HAEN prorſus nolle ſuarum obſeruationum medicarum vulgandarum, ſed ſolummodo huius continuati operis finem curare. Vidimus enim iam rationis medendi continuatae partem primam, cuius ſummam proxime cum Noſtris Lectoribus ſumus communicaturi.

p. 1. In capite primo agitur *de methodi Hippocraticae praeſtantia in morbis acutis*, quae cernitur in veſtimentorum mutatione, in aegrorum ſeparatione ex lectis, aeris puritate atque temperantia, aegrorum veſtitu atque tegumentis, in lectorum bis de die facta reparatione, in impedienda aegrorum excoriatione, atque doloribus arcendis, in alimenti ac potulenti modo praeſcribendo, in medicamentis in et externis adhibendis, et miſſionis ſanguinis tandem cautionibus.

p. 32. Atmoſphaeram exhalationibus et vaporibus graviorem fieri probat, eamque noxiam aegris et ſanis iudicat omninoque de aeris humiditate et grauitate

tate, pectoris praeſertim morbis generandis inſerviente, diſſerit, atque hoc aliorum partim exemplis, partim ſua experientia confirmat.

Sudores non arte promouendos, vti alii arbitrati ſunt, minime vero omni omnino tempore ſupprimendos eſſe Noſter cenſet. Sanguinis miſſionem in morbi cruditate interdum, et ſaepe in his morbis acutis iteratam inſtituere oportet. Caeterum in noſocomio ſuo Cl. Auctor methodum medendi lenem atque refrigerantem adhibet, aegrique lecto tam diu quotidie ſunt derelinquendi, quamdiu poſſunt, ac iuſcula carnium propinat. p. 58.

Hanc methodum Cl. Auctoris et exteris placere in capite ſecundo exponitur, cauſſa reddita, *cur methodi noſtrae, a Cl.* MACBRIDIO *laudatae, explicationem aeque phyſiologicam, quam pathologicam admittere non poſſimus: quae ipſa cauſſa, vtpote ad plures quaeſtiones theoreticas pathologicas, atque clinicas ſpectans, neceſſariam reddit earum quaeſtionem pertractationem.* In refutando hic potiſſimum Cl. MACBRIDIO Noſter verſatur, qui varia inſtituit experimenta, ad principium cohaeſionis in corpore animali definiendum atque demonſtrandum, quomodo illud ipſum in corpore oriri, conſeruari ac reſtitui queat, *) ac cernitur hoc ipſum cohaeſionis principium Cl. MACBRIDII in aere fixo, vt vinculo. p. 58.

Cl. autem MACBRIDIUS Noſtro videtur putrefactionem ac fermentationem confundere, quo ab Ill. DE HAEN probato, explicationem, digeſtionis negotium in corpore animali concernentem, et inde a Cl. MACBRIDIO deriuatam, non largitur. Nec minus ſolo vinculo aereo elementorum corporis p. 96.

S 5

*) vid. EIUSDEM experimental eſſays on the following ſubiects: London, 1764. 8 mai. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 336.

corporis animalis Noſter cum Cl. MACBRIDIO omnem omnino vim cohaeſionis efficiendae tribuit; ſed cum Cll. BOERHAAVIO atque HALLERO, gluten, quod terreſtres particulas inter ſe combinat, in auxilium ſimul vocat, vtrumque ad cohaeſionem particularum, in corpore animali praeſtandam, ſumme neceſſariam eſſe monſtrat. Quapropter quoque Noſter negat, carnium putrefactionem, quam, aereo ſolidarum carnis fibrarum vinculo abſente, ex ſententia Cl. MACBRIDII oriri oporteat, inde fieri.

p. 111. Pari modo refutat Cl. Auctor Cl. MACBRIDII nouum ſyſtema, de fermentatione vinoſa, acida ac putrida, nec vllam plane fermentationem in primis animalium viis fieri poſſe, demonſtrat, etiamſi ab initio videatur digeſtio eſſe fermentationem.

p. 132. Scorbuti cura, a Cl. MACBRIDIO propoſita, a Noſtro refutatur, ac aquae calcis, calculoſis propinatae, multis ideo a Noſtro cum calculis extra corpus humanum inſtitutis experimentis, tribuitur emolliens ac ſymptomata, his aegris communia, levans effectus, non autem ſoluens. Quamquam porro Cl. MACBRIDIUS aquam calcis non cum lacte, nec omnino vllis fermentantibus coniungendam eſſe aſſerit liquoribus, quoniam haec aqua, ex mente Cl. MACBRIDII arripiendo aerem fixum h. e. vinculum cohaeſionis, in calculo deſtruendo agit, illudque, lacte addito, impeditur, tamen combinationem lactis cum calcis viuae aqua laudat Noſter ac ſuadet.

p. 190. In capite tertio diſſeritur *de auxiliis praeſtandis his, qui aut in aqua, aut aliis de cauſſis ſuffocati, ſiue morti propinqui videntur, ſiue veram mortem ſimulant.* Ac primum quidem hic adduntur rationes, cur per totam propemodum Europam merſorum reſuſcitandorum habeatur cura: dein enarrantur experimenta,

menta hac de re inſtituta, auxiliaque adhibita. Tum continuauit Cl. Auctor haec experimenta, iuſſu Auguſtiſſimae Imperatricis excitatus, *) in canibus quindecim, ac nonnullis ſubmerſis hominibus ac huius rei varias obſeruationes, vitae gradus, eius ac mortis in merſis ſigna, regulas ſubmerſionis, diuturnitatem, auxiliorum iis praeſtitorum, rationem ac ordinem attinentes, hic colligit, aliorumque, hac de re, ſententias examinat ac exempla addit. Ex canibus vnum, qui ſponte vitae ſigna dedit, ex hominibus autem nullum liberauit. Qua occaſione de aqua deglutita a ſubmerſis, ac ad ventriculum aeque, ac pulmonibus delata, nec minus de epiglottidis ac glottidis in merſis mutatione Noſter diſputat. Aquam autem merſos non deglutire poſſe, putat, ac glottidem in omnibus inuenit apertam, tamque negligenter epiglottide tectam, vt facili negotio tubulus in illam immitti poſſet; cum alii aſſeruerint, glottidem in compluribus ſpaſticae contractam, ac epiglottidem rigidam reperiri, ideoque bronchotomiam, quam Cl. Auctor quidem etiam fecit, non tamen magnopere vtilem iudicat, ad merſos vitae reſtituendos, ſumme in merſis neceſſariam eſſe. Spumam oris nariumque et copioſam non indubium mortis eſſe ſignum in merſis, tribus exemplis probatur.

Tandem et eadem auxilia adhibenda eſſe iis, qui variis vaporibus, laqueo, ſpaſticis inſultibus, et id genus alia vſque ad mortem tentantur, Cl. Auctor putat, aliorumque exemplis illuſtrat, ac de praematura ſepultura eiusmodi hominum obſeruationes addit. p. 269.

In decima quarta parte haec leguntur.

In

*) v. Comment. noſtr. Vol. XVII. p. 353. ib. Vol. h. p. 174.

T. XIV. p. 1. In capito primo primae ſectionis *de iis, quae in medicina nonnunquam improuiſa contingunt, ac conſuetis legibus contraria* diſputatur. Id quod iam HIPPOCRATES *) dixit, ac Noſter exemplis nonnullis confirmat. Ac primum quidem hoc probatur exem- p. 11. plo peripneumoniae, quam ſequebatur inflammatio ventris imi ſine febre, dolore, tumore, duritie, vomitu, aliisque inflammationi inteſtinali communibus ſymptomatibus. Mortuo aegro, peritonaeum totum erat inflammatum cum integro propemodum coeco, colo ileoque. Nec minorem inflammationem prodebat omentum, ad duodenum adnexum cum meſenterii felleaeque veſiculae parte.

p. 25. Dein duo pleuroperipneumoniae letalis exempla enarrantur. Cementarius triginta duo annorum violenta ac propemodum ſuffocatiua tuſſi, poſt ſaevam pleuritidem, quae ſiniſtrum latus occupauerat, ante nouem annos paſſam, relicta, laborabat ac denuo pleuroperipneumonia in eodem latere eodemque loco, quo ante nouennium dolorem pleuriticum ſenſerat, tentabatur. Sexto die dolor pectus medium inuadebat, paulo poſt latus dextrum, ac ſeptimo ſola praecordia. Sanguis, qui nonies e vena miſſus eſt, ac nouem cum dimidia libras medicas ponderabat, cruſtam ſemper denſam tenacemque habebat, ac rubram partem compactam, compactiorem autem in vltima venaeſectione.

p. 28. Mortuo aegro ac ſecto cadauere, abdomen nonnihil tumidum, nulla vero inflammatio percipiebatur nec multae aliae praeternaturales mutationes. Amplitudo ventriculi, poſt ac ſubter hepar locati, erat tanta, vt libras vndecim ille caperet, nec non fellea veſicula vacua. Forte dudum Noſter putat, quoniam ne minima quidem flauedine tinctae erant vicinae partes.

Sterno

*) v. aphriſm. Sect. 2. n. 19.

Sterno reclinato, ingens ac craſſum pericar- p. 30.
dium deprehendebatur, et ad iugulum firmiſſime cum
pleura connatum, interneque inflammatum, atque
phlogiſtica membrana cinctum. Vltra nouem vn-
cias liquoris turbidi ac ſubalbidi illud continebat,
quod igni impoſitum, craſſam ac flauam materiem
reliquit. Corquoque inflammatum erat, ac arteria
pulmonalis polypum flauum et perquam ramoſum
monſtrabat. Dextri pulmonis lobus inferior, trans-
ſudante ibi materia phlogiſtica, cum pleura vnieba-
tur. Similem partim concretionem, partim diuer-
ſam ſiniſter pulmo habebat. Dexter pulmo tabe
gangraenoſa magis, quam ſiniſter affectus erat, vter-
que autem ſuperficie poſteriore niger. Hydrops,
pericardii liquori ſimilis, totum thoracem occupabat.
Pleura ruberrima et ibi, vbi diaphragma atque il-
lius tendineam partem inueſtit. Puris copia inter
laminas mediaſtini erant prope thymum, vbi peri-
cardium accretum fuerat. Cerebri meninges natu-
rales, eiusque ventriculi ſuperiores ſicciſſimi, plexus
choroidei flaua turgebant materia.

Erat itaque a morbo hoc profecto acutiſſimo ac p. 32.
ſumme inflammatorio ante ſeptimi diei finem aeger
ſuperatus. Ac cum omnes fere thoracis partes eſ-
ſent inflammatae, nonies miſſum ſanguinem ſemper
inflammatoriam cruſtam prodere, pulſus perpe-
tuam duritiem ac febris continuationem adeſſe de-
buiſſe, Noſter arbitratur. Iam huic exemplo Noſter
addit ſimile viri triginta annorum, nec variolas mor-
billosue, nec vllum acutum atque ſanguineum paſſi
morbum, ac, cadauere etiam explorato, magnaque
ſimilitudine huius, cum illo, animaduerſa, horum
duorum morborum ſimilium cauſſas, ſymptomata
ſignaque inter ſe comparat, atque ſex quaeſtiones
mouit Cl. Auctor, quae reſpirationem, tuſſim, ſpu-
ta, puri in thorace ſimilem materiam, pulmonis cum

pleura

pleura arctiſſimam concretionem, alui rationem, virium pulſusque vehementiam vtriusque aegri attinent.

p. 47. Quamquam cauſſa Noſtro eſt ignota, cur aegri interdum concretionem pulmonis cum pleura tolerant, ſine vllo incommodo, interdum aegrius ferunt; tamen ex obſeruationibus anatomico practicis nouit, hanc non ſolum eſſe frequentiſſimam, ſed etiam non ſemper in aegris vnas easdemque moleſtias creaſſe.

p. 51. Pulſus peripneumonicorum tum debilis ac mollis deprehenditur, quando non niſi copia longe parcior cruoris per inflammatum pulmonem tranſire poteſt.

p. 53. Antequam Cl. Auctor ad membranarum inflammationem progrediatur, exempla quaedam enarrat, hanc ipſam rem illuſtrantia, ex quibus quaedam indicemus. Hepar feminae cuiusdam emaciatae, ita inſignem habebat magnitudinem, vt ventriculus non ſolum in media parte comprimeretur, ſed et reliquis inteſtinis ſeſe expandendi atque explicandi nullus daretur locus. Meſenterium ſumme adipoſum. In eius thorace inuenit Noſter hydropem vtriusque pectoris caui ac pericardii, pulmones cum pleura connatos, vomicam continentes, ac tuberculis impletis diramque tandem diaphragmatis, nec non pleurae inflammationem.

p. 64. Cementarius octodecim annorum a puero ventris ac vermium moleſtias ſentiens, qui et vermium faſciculos integros, ſumto ignoto quodam puluere, euacuauit, a quo tempore tumidum abdomen concidit, ac incommoda verminoſa quoque ſiluerunt, praeter morbillos, variolas febremque tertianam huc vſque nihil paſſus, quam haemorrhagias narium crebras, in ſylua quiete obambulabat, domumque reuerſus per horam totam inſigniter horrebat

rebat, ac dein aeſtuabat, pungentemque dextri lateris et veteris dolorem experiebatur cum ſiti, magna tuſſi moleſta ac reſpiratione doloroſa. Sanguis, e vena aliquoties miſſus, quamquam ſummam prodebat inflammationem, die decimo quarto morbus iudicatus videbatur diarrhoea critica cum quinque lumbricis. Die vero decimo octauo haec febris rediit cum dolore et reliquis ſymptomatis, venaeſectione tamen facta, aliisque remediis adhibitis, mitigabatur rurſus febris, ac aeger melius ſeſe habere incipiebat vſque ad trigeſimum ſeptimum morbi diem, qua ex optimo ſomno ſponte expergefactus, nec ſomnum vltro appetens, cum vicinis collocutus, inopinato manuum pedumque ſpaſmum ita vehementem ſenſit, cum reſpiratione valde anxia ac dilatatione pupillae, a Noſtro quoque inter ſigna verminoſa relata, vt perquam eiularet. Suppoſitorio applicato, aluus copioſa cum duodecimo lumbrico in hoc morbo ſequebatur, ac, cum dein ad ſedandos dolores oleoſum enema iniiceretur, tanta ani, quem antea clyſteris cannula aegre intrabat, amplitudo reperiebatur, vt et ipſi adſtantes mirarentur. Nihilominus autem aeger maxime inquietus ita ſpaſmis tentabatur, vt eum conficerent.

Cadauere aperto, inter alias mutationes in abdomine, deprehendebantur voluuli atque contorſiones inteſtinales, inflammationes leues ac ſex lumbrici. In thorace pulmones ſani quidem, purpuraſcebat tamen dextri inferior pars, qui cum pleura parum nec fortiter cohaerebat, magis vero cum ſepto medio. Vtrique cauitati thoracis inerant lymphae rubellae nonnullae vnciae. Pleura dextri lateris inflammata. In cordis ſuperficie ventriculo ſiniſtro album ſtigma reperiebatur, a paruo abſceſſu ibi orto, forte relictum. Cordis ſubſtantia erat pallida. En minus conſuetos morbi decurſus. p. 71.

In

p. 78. In capite ſecundo ſectionis primae *de neceſſitate notandi exacte viſcerum in cadauere ſitum, ſiue a natura, ſiue a morbis natum*, diſputatur. Iudicat hoc ſumme neceſſarium Cl. Auctor, quoniam viſcera ſaepe errore loci peccant, indeque errores, ſine accurata contemplatione in determinandis morborum ſedibus, non poſſunt euitari. Hoc probatur a Noſtro exemplis hepatis, lienis, mittimus alia.

p. 83. Quibus praemiſſis, in capite tertio eiusdem ſectionis Cl. Auctor *inflammationem ac dolorem membranarum* expendit. Cum enim Noſter membranas vere direque inflammatas viderit, pleuram e. c. et vbi coſtas earumque muſculos tegit, et vbi diaphragma inueſtit, atque mediaſtinum format, pericardium in et externum, peritonaeum ac meſenterium, haeque non potuiſſent inflammari, niſi vaſa adfuiſſent, minus recte eas ex complanata celluloſitate, aut penitus, aut propemodum vaſis deſtituta, compoſitas eſſe, aſſeritur. Quapropter a Noſtro omnes membranas eſſe vaſculoſas, ac inter eas pleuram pleraque vaſa habere, earumque ſenſibilitas ſimul ex Auctoribus demonſtratur, qua occaſione diſſidium Noſtri cum Ill. HALLERO denuo tollitur *) ac epiſtola Ill. HALLERI hic inſerta legitur, vtriusque ſententia additur. Ac tandem in membranas maxime ſenſibiles inquirit Cl. Auctor, easque inſenſibiles interdum eſſe probat exemplo ventriculi, diaphragmatis, piae matris, inteſtinorum, neruorum, articulorum capſulis incumbentium.

p. 102. Largitur quidem Noſter pleuram, pericardium, peritonaeum et meſenterium, articulorum capſulas, ligamenta ac tendines eſſe inſenſibiles, nullo autem modo id inde conſequitur, vt omnia, quae de harum membra-

*) vid. rat. med. Part. XII. p. 263. comment. noſtr. Vol. XIV. p. 512.

membranarum dolore, partium conuulſione inde nata, ac interdum ſubſecuta morte ab anatomicis et pathologicis ſunt dicta, veritati officiant. Nam membranae, ligamenta tendinesque poſſunt videri inſenſibiles, quando ſubito perſcinduntur. Quod ſi vero ſubinde ſecantur, ſeu roduntur, ſeu diſtrahuntur, aut ex parte tantummodo laeduntur, maxime ſenſiles eſſe queunt. Porro ſi ibi, vbi pars laeſa eſt, nullus neruus adſit, nullumque etiam adeſſe poſſe dolorem, in aprico eſt.

Ex his autem ac reliquis, quae omnia, per inſti- p. 137. tuti noſtri rationem, non licet excerpere, concludit Noſter, inflammationis ventriculi, inteſtinorum, meſenterii, diaphragmatis et pleurae, ſigna tam clara atque omni exceptione maiora ſaepenumero eſſe, vt ex febre, dolore ventris, tumore, aluo clauſa, vomitu vario, aliisque indubitato poſſit elici; contingere tamen non raro, vt horum omnium inflammatio letalis, vel vno, vel pluribus, omnibusue his ſignis abſentibus, obſeruetur indeque HIPPOCRATIS ſententia confirmetur. Ex exemplis enim, a Noſtro hic propoſitis, patet, inflammationem, febrem, et dolorem non ſemper eſſe coniuncta, ſed inflammationem poſſe oriri, ac letalem fieri, ſine dolore ac febre.

In capite quarto ſectionis primae *febrem verminoſam* Cl. Auctor perſequitur. Ad eam perquirendam ipſum illud, a Cl. Auctore ſupra *) narratum, excitauit Noſtrum exemplum iuuenis, octodecim lumbricos fouentis, quorum duodecim per morbi decurſum ſunt eiecti, et ſex in cadauere reperti, ac, praemiſſis breuiter vermium ſignis atque natura febris verminoſae, mortis huius cauſſam explorat. p. 139.

Lumbrici

*) p. 64. comm. hoc. vol. p. 286.

p. 142. Lumbrici et intermittentes generant, et continuas febres, nec raro malignas. Obſeruatur quoque quoddam intermittentium verminoſarum genus, vagarum prorſus ac pertinacium cum ſymptomatibus continuarum febrium. Signa verminoſa, quorum vltra ſexaginta numerantur et in frequentiora, rariora atque rariſſima diuiduntur, minime autem a Noſtro ſemper certa iudicantur, ſunt cephalalgia, lingua fuſca, cruſta ſubpingui halituque oris foetido, dolor lateris, pleuritico ſimilis, frequens et inanis tuſſis, pulſus inconſtans, remittens, intermittens, ſudor ſubfrigidus, exanthemata petechialia, eryſipelatoſa, aluus mucida, vrina limoſa, iumentorum ad inſtar, dolor vagus lateris aeque ac infimi ventris acerbus, ſpaſticus, faciei liuor, oculorumque mutatio, mittimus reliqua.

p. 143. In hoc iuuene ſigna perpauca erant, pleuriticus eius dolor non erat ſpurius, ſed verus, id quod ex cadaueris ſectione patet; arbitratur tamen Cl. Auctor, eum non pleuritide, ſed lumbricis interemtum fuiſſe. Tuſſis verminoſa hic primis nouem diebus aderat ſicca, in reliquo morbi decurſu nulla. Pleuriticus verminoſorum dolor Noſtro videtur proficiſci ex coli inteſtini tractu transuerſo, tanta ſaepe ventris altitudine collocati, vt vtroque ſuo flexu ad nonam imo ſextam vsque aſcendat coſtam, ſeu alterutro in latere ſeu in vtroque. Quam rem in diſſecandis cadaueribus ſaepenumero detexit.

p. 191. Non adeo pathologiam verminoſam et potentiam animatam priſcae medicinae patribus tribuendam eſſe, Noſter ex vera τȣ̃ *θηρίȣ* ſignificatione probat, docentibus HIPPOCRATE, GALENO et ARETAEO. Qua occaſione HOMERO longe perfectiorem hiſtoriam naturalis largiendem eſſe Cl. Auctor monet, quam ARISTOTELI, cum hic docente etiam GALENO ex putredine vermes gigni, ille ab onu-

lis

lis inſectorum, illos naſci cenſuerit, ac laudat Cl. MURRAY *), qui hanc ipſam in rem accurate inquiſiuit.

Refutantur tum, qui omnium omnino morborum cauſſas animatas eſſe contendant, ac omnibus morbis medeantur remediis anthelminticis; magnamque cautionem adhibendam eſſe ſuadet, in legendis eiusmodi libris, in quibus de pathologia verminoſa diſputatur. Inter plures, a Noſtro commemoratos, Cll. virorum PLENCITZ **) atque VAN DEN BOSCH ***) hic modo mentionem facimus, quorum hic pathologiae animatae valde fauet, ille maxime.

In ſectionis primae capite quinto et vltimo a Cl. Auctore agitur *de determinando tempore, quo perdurare inflammatio non modo ſoleat, ſed et poſſit.* Inflammatio propemodum vniuerſalis in verminoſo iuuene ſupra commemorata †) et poſt diem trigeſimum ſeptimum morbi reperta huic quaeſtioni dedit occaſionem. Dies quartus ſaepe inflammationem terminat. Non certum autem eſſe hunc diem, inflammationemque ſaepenumero quoque trahi, imo per octuaginta dies in corporibus ſaeuire, veteres non ſolum accurate iam annotarunt, ſed et indicationes naturae hic oberranti conuenientes formarunt. Cl. BOERHAAVIUS quidem hunc diem quoque p. 198.

 conſtituit

*) vid. de vermibus in lepra obuiis, iuncta leproſi hiſtoria et de lumbricorum ſetis obſeruationes reg. ſoc. Gottingenſi praelectae cum figuris aeneis Gotting. 1769. 8. p. 29. comment. noſtr. Vol. XVII. p. 239.

**) Opera phyſico medica Vindobon. 1762. 8. Tom. I. comment. noſtr. Vol. XV. p. 126.

***) vid. Hiſtoriam conſtitutionis epidemicae verminoſae etc. L. B. 1769. 8 mai. comment. noſtr. Vol. XVII. p. 212.

†) p. 298.

conſtituit inflammationi, aliis tamen in locis, quae de acriſiis et diſcriſiis morborum tractant, has exceptiones etiam notauit.

p. 211. Altera ſectio huius tomi decimi quarti peſtem complectitur, ac in primo eius capite, *de peſte, et cur de illa ſcribendum ſit*, diſſeritur. Quamquam Cl. Auctor partim peſti non interfuit, partim tam graues viri, luem hanc vel ipſi experti vel eiusmodi aegros tractantes, eam accurate tradiderunt, quorum quoque mentionem fecit; tamen rationibus iisque grauiſſimis, cur ei de peſte ſcribendum ſit, non deſtitutus, easdem hic communicat. Ac primum quidem impulit Noſtrum fallacia atque incertitudo huius morbi: dein magna in conſiliis capiendis inconſtantia, in obſeruanda peſte diuerſitas, inque praeſidiis diſcrepantia: tertio auditores Cl. Auctoris, qui publica auctoritate ad confinia, quae Auſtriaca regna diſterminant a Thraciis ſeu Turcis, ad peſtem, ibi crebro orientem, obſeruandam eique officiendum, mittuntur, vt habeant quae legant; denique et ideo ſcripſit Cl. Auctor de peſte, quod, occaſione Ruſſici et Thracii belli, ad imperii Auſtriaci margines, lues haec ſeſe manifeſtauit. Ac cum hoc opuſculum eſſet feſtinandum, omniumque Auctorum de peſte obſeruationes, poſteritati relictae, a Noſtro non legi potuiſſent, plerorumque ſaltem catalogum addidit, ex quo vnius ſolummodo mentionem iniiciamus, IOSEPHI FORNES nimirum, qui magnae illi Maſſilienſi peſti interfuit, eamque accurate obſeruauit in ſingulari opere *).

p. 225. In ſectionis ſecundae capite ſecundo *in difficultatem peſtem interſtinguendi ab aliis conſimilibus illi morbis* Cl. Auctor inquirit. Peſtem definitu eſſe difficilem

*) quod prodiit Barcin. fol. 1725.

cilem, Noſter probat ſingulis huius morbi hiſtoriis, ex quibus patet, ſaepe falli medicos, quod creberrime ſigna peſtis deſunt. Quapropter ſaepe peſtis ita vagatur, vt domari nequeat, et magiſtratus prouidus, incipiente morbo, peſtem referente, quid faciendum, quid omittendum ſit, neſciat.

In ſectionis ſecundae capite tertio ad *peſtis definitionem* Noſter venit. Quemadmodum plurimorum morborum, ita et peſtis definitio multis premitur difficultatibus, qua a quocunque alio morbo differat. Quam ob cauſſam, ad hanc ipſam rem eo melius in capite ſequente perſequendam, Noſter omnes definitiones ſeu deſcriptiones, quae ab antiquiſſimis medicinae temporibus ad noſtra vſque ſunt traditae, praemiſit. Ac legimus profecto multa cum voluptate hanc aſſiduam, raram, et ad hiſtoriam literariam huius partis vtiliſſimam collectionem, nec non inuitamus quoque noſtros Lectores ad ea legenda, praeſertim cum inſtituti noſtri ratio horum ampliorem recenſionem non ferat. p. 239.

Sectionis ſecundae caput quartum continet *ea, quae ex capite ſecundo et tertio concludi oporteat.* Definitio peſtis adhuc deſideratur ac difficilis eſt, cum ſigna eius varient, initia huius morbi diuerſa ſint, ac ſigna pathognomonica prorſus interdum deſint. Vt itaque medici ſibi conſulant atque proſpiciant, nec norma deſtituti ſint in diſquirenda pariter peſte, quam in conſiliis publicis capiendis, ac cum regnantibus hac de re communicandis, vndecim canones Cl. Auctor hic tradit, obſeruationibus confirmatos, atque experientia ſtabilitos, quos quidem ob breuitatis ſtudium hic non repetere poſſumus. Peſtis falſo denuntiatae exempla rariſſima eſſe, negatae autem verae creberrima, probatur, et ii medici, qui peſtem ve- p. 298.

ram negant, a Noſtro reprehenduntur. Nec minus noſocomiorum publicorum ratio eſt habenda, quorum coacta noxia, libera ſalubriora iudicat. Nam ab eorum conſtitutione huc vſque pendebat peſti ſuccumbentium magnus numerus.

p. 320. Sectionis ſecundae caput quintum complectitur *petechias, et ſudatoriam in peſte curam.* Petechiae ab aliis Auctoribus ſalutares, ab aliis letales iudicantur. Quapropter in hanc rem inquirit Cl. Auctor, ac cum potior pars petechiis pereat, earum letalitatem primum expendit, eamque non negari poſſe monſtrat, dein multa notatu digna, petechias ſpectantia, ex Cll. CHENOTO, DIEMERBROECKIO, MURATORIO, SYDENHAMO commemorat. Cl. Auctor enim ſemper obſeruauit exanthematum eruptionem ſymptomaticam, nec vnquam criticam, easque inter ſigna mala, ſummam debilitatem ac vires inſigniter fractas indicantia, refert. Ceterum earum et in morbis acutis iisque malignis, tantam notauit infrequentiam, ne vllas in noſocomio practico Viennenſi, trecentis aegris ad minimum, licet iisdem morbis laborantibus, Cl. Auctor viderit petechias.

p. 338. Dein venit ad Cl. SYDENHAMI methodum, peſti medendi duplicem, antiphlogiſticam ſcilicet et ſudoriferam, qui antiphlogiſticam praefert ſudatoriae curae, idque experientia confirmat, et largas easque repetitas ſanguinis miſſiones, cum reliquis antiphlogiſticis medicamentis ſuadet. Arcentur enim hac ipſa curandi ratione petechiae, vibicesque, ſudatoriis vero adhibitis remediis, promouentur, nec non ipſa phrenitis inducitur.

p. 348. Sudorem in peſte criticum, habuerunt multi medici, omnemque ab initio operam nauarunt eum promouendi; alii e contrario cautius in exhibendis ſudoriferis

ſudoriferis verſati ſunt, ac inter hos refert Noſter Cl. CHENOT *). Omnino autem ſudorifera Cl. Auctor non laudat.

His perpenſis, ſectionis ſecundae capite ſexto tractatur *de venaeſectione in peſte ſpeciatim*, quam multi damnarunt, tumoribus petechiisue nondum apparentibus, non pauciores, iis propulſis, laudarunt. Alii poſt inuaſionem primis horis, alii quocunque morbi die. Hi largiter, alii parce eam inſtituerunt. Collatis inter ſe vtriusque partis exemplis, plures periiſſe apparet, vena, non aut non largiter ſecta, quam ſanguine largiſſime e vena miſſo. Hanc diſcordiam medicorum a GALENO repetiit Cl. Auctor, et FELICEM PLATERUM meticuloſum appellat, qui venaeſectionem reiicit, nec quidquam noui Cl. SYDENHAMUM in ſua methodo peſtem medendi excogitaſſe, inde probat. p. 352.

Recenſitis Auctoribus, qui phlebotomiam in peſte proſcripſerunt, tres quaeſtiones Cl. Auctor mouit. Ac primum quidem: num a varia morbi die aut hora venaeſectionis commoda incommodaue pendeant? dein num a natura, cum nationum, tum temperamentorum, nec non a morbo nouo, peſti accedente, huius auxilii diuerſitas ſit deriuanda? Num tandem varia peſtis natura, diuerſusque eius genius, varios huius remedii praeſtet effectus. De ſingulis cum non videre poſſimus, hoc ſaltem addimus, ex his trium quaeſtionum propoſitarum elaborationibus, phlebotomicum auxilium, vti inquit Cl. Auctor, nec exponi nec componi poſſe, nec quidquam reſtare, quam vt medici in peſte, MURATORII ſalubre conſilium ſequuti, experimenta haec accuratius examinent, et Cl. SYDENHAMI methodum p. 370.

 antiphlo-

*) vid. EIUSDEM tractatus de peſte Vindobon. 1766. 8. p. 96. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 689.

antiphlogiſticam, vel ſudatoriam, vel vtramque miſtam ſedulo imitentur, quo eluceſcat, vtrum ceteris peſti medendi rationibus ſit praeferenda, an poſtponenda. Sudatoria methodus ab omni aeuo praecipuas in peſte egit partes, venaeſectio raro locum habuit, rariſſime compoſita ex his duabus SYDENHAMI methodus. Interea numerus mortuorum peſtiferorum huc vſque ſat magnus fuit.

p. 383. In ſectionis ſecundae capite ſeptimo progreditur Noſter ad *ſcarificationem peſtiferorum.* Continet hoc caput animaduerſiones in omnes propemodum medicos, qui, venaeſectionem in peſte repudiantes, ſcarifationes, nec non haemorrhagias naſales, haemorrhoidales et vterinas, fonticulos maiorem in modum laudarunt, horumque omnium ſummam vtilitatem poſteritati in ſuis ſcriptis reliquerunt. Putant enim, venaeſectione a peripheria ad centrum liquida duci, eam porro augere debilitatem, ac vires ad expellendum venenum per cutem infringere; minime autem hoc fieri ſcarificatione. Inde et accidit, vt vix duo treſue de peſte Auctores deprehendantur, qui dubii de ſcarificatione ſcripſerint, plurimi e contrario de venaeſectione. Eadem ratio huius controuerſiae videtur Noſtro eſſe, quam venaeſectionis in variolis ac morbillis, ac putat quoque venaeſectionem eandem vtilitatem poſſe afferre peſti,
p. 397. quam morbillis et variolis affectis, ac maiorem quidem peſti, quam variolis ac morbillis. Statuit enim Noſter peſtem veram imbecillitatem non inducere, ſed eam modo mentiri, cum illa ſit morbus, in quo, vel a rarefactione, vel a mole, plethoricos humores efficientibus, proficiſcatur debilitas, ideoque ſanguinis miſſionem abundantem, frequentem et ad leuamen vſque aegrorum iteratam, palmarium iudicat peſtis praeſidium.

In

In ſectionis ſecundae capite octauo *hydragoga* methodus conſideratur. Ac, cum conſtet, allectis in peſte ſudoribus, longe maximum infectorum periiſſe numerum, methodo autem antiphlogiſtica longe maximum ſeruatum fuiſſe, damnanda Noſtro haec methodus videtur. Opium nec arcere, nec iuuare peſtem, probat Noſter exemplo Turcarum, qui hoc remedium adeo amant, minime tamen ab hoc morbo immunes ſunt, ideoque Cl. HECQUETI ſententiam, de opio in peſte, non veriſimilem iudicat. Finit hoc caput Cl. MORTONI conſilium, de cortice Peruuiano in peſte adhibendo, quem et Cl. CHENOT *) ſuaſit. p. 401.

Sectionis ſecundae caput nonum atque vltimum *varias quaeſtiones et opiniones circa peſtem* recenſet et examinat, quae eo redeunt: Num peſtis immediata diuina poena? num in Africa ac potiſſimum in Aegypto eius natales? num citra contagium affici peſte homo queat? num alios peſte laborans ſemper inficiat? An naſci poſſit a brutorum peſte ea hominum? num a ſolo metu ac quidem ſic, vt ne feriat impauidos? Tandem an a ſordibus vrbium aediumque? Non poſſumus autem non, his ſolummodo indicatis, quoniam iam longiores fuimus, hic finem imponere. p. 414.

*) vid. libr. ſupra laud. p. 142. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 690.

VII.

NICOL. IOS. IACQUIN Obſeruationum botanicarum, iconibus ab Auctore delineatis illuſtratarum Pars II. Vindobonae ex officina Krauſiana 1767. fol. plag. 8. tab. aen. 25. P. III. ibid. 1768. plag. 5. tab. aen. 25. P. IV. et vltima ibid. 1771. plag. 3. tab. aen. 25.

Ex prima operis huius parte praeſtantiam eius luculenter cognouimus *), hinc et nunc reliquas, licet diuerſo tempore prodierint; ſimul indicare voluimus, inprimis cum nullas amplius expectare debeamus, potius aliis officii ſui negotiis occupatus Cl. Auctor, delineationes ſtirpium impoſterum ſuſcipere minime poſſit, hinc et Ipſe monuit paucas eſſe in Part. IV. delineationes proprias, nec fore alibi vllas in poſterum, niſi ſuas, verbis expreſſis, notauerit. Excerpamus, vt in Part. I. fecimus quaedam, notatu maxime digna nobis viſa, reliqua, breuitate coacti, omittere debuimus.

Part. II. p. 3. *Beureria ſucculenta*, quam ad *Ehretiam* reduxit LINNAEUS, folia nec ouata ſemper, nec perpetuo laeuia gerit, hinc characteres hoſce non conſtantes, calicis autem glabritiem huic et congeneribus communem eſſe, monuit. *Aegiphila martinicenſis*, nouum genus; fruticis huius ramos et folia caprae inprimis auide appetunt, hinc ab incolis *bois Cabril* dici ſolet, quod nomen graece vertit Cl. Auctor. Characteres ſunt: Calix monophyllus, campanulatus, perſiſtens, ore quadridendato, corolla inodora, albida, monopetala, tubo cylindraceo tenui erecto, limbo quadrifido, laciniis oblongis, tubo aequalibus, patentiſſimis: filamenta quatuor capillaria, corollam ſuperantia, ex inferiori tubo orta; antherae

*) v. Comment. noſtr. Vol. XIV. P. II. p. 245.

antherae quadratae, incumbentes; germen in fundo corollae; ſtylus capillaris, longitudine corollae, ſemibifidus, ſtigmata ſimplicia. Bacca piſo maior, ex flauo rubens, ſubrotunda, vnilocularis, pulpa parciori, et ſeminibus magnis, forte quatuor, re- p. 4.
pleta. *Conuoluulus diſſectus*, noua ſpecies Americana; petioli vnum alterumque pollicem longi, piloſi, folia ſuſtinent profunde palmata, glabra, lobis ſeptem lanceolatis, per lacinias ſinuatis, varie diſſectis; pedunculi alares, flores ſolitarii; corolla pa- p. 6.
tens albida; ſtigma globoſum didymumque. *Pſidii pyriferi* fructus ſaepe plures comedit Ill. Auctor in itineribus, inde vero nullam noxam expertus fuit. Creſcit in Inſulis Caribaeis copioſe, et facile multiplicatur ſeminibus, quae, a vaccis cum fructu deuorata, immutata iterum per anum exeunt. Ab hoc *pomiferum* inprimis differt fructu colore pallidiori, ſulphureo, qui in pulpa aeque ac cortice adeſt, et p. 8.
ſapore acido vel nullo. *Iuſticiam hirſutam* et *nitidam Diantheram* dixerat Auctor, in ſuis vero aduerſariis inuenit, ſtamina etiam ſterilia duo vltra fertilia adeſſe, hinc vtramque ad *Barleriae* genus amandauit. *Aſclepiadis quadrifoliae*, quae et foliis ternis variat, et in infima ſimplicis caulis parte oppoſita gerit, a GRONOVIO Filio ſicca accepit ſpecimina, a CLAYTONO Patri miſſa; ab Eodem etiam obtinuit *Geum orientale rotundifolium ſupinum flore aureo* TOURN. planta, vt videtur, a congeneribus Linnaeanis di- p. 9.
ſtincta, dixit eandem *Saxifragum foliis radicalibus ramisque quinquelobis ſeptemlobisue*, *ſummis integerri-* p. 10.
mis, bifidoue caule ramoſiſſimo, baſi procumbente. *Hibiſcus ſabdariffa*, in hortis Caribaearum colitur, et ibidem calycibus ſanguineis, et ex viridi albentibus variare ſolet. Geminatus hic calyx carnoſus et fragilis, grato acore praeditus, in vſum trahitur, eo inprimis tempore, quando fructus ſummum incre-

mentum

mentum acquiſiuit. Non crudus, ſed in aqua leuiter coctus pro condimento adhibetur, et ſapore Ribeſia Europaea imitatur. Ius concretum dat ſapidiſſimum, quod Europaeum tranſitum ſuſtinet incorruptum. Succus fermentatus, addito ſaccharo, vinum praebet gratum, at vix menſem duraturum.

p. 11. *Begoniae obliquae* etiam iconem exhibuit, namque et haec acetoſa ſylueſtris ab incolis dicitur; eius folia ſunt ſucculenta et acida, et, Acetoſae hortenſis in modum, in cibis adhibentur. *Hibiſcus eſculentus* fructus fert decem ſulcatos, villoſos, ad duos tresue pollices longos; immaturi, aqua cocti, et leuiter exſiccati, cum aceto, oleo, ſale et pipere conditi, aeſtimatiſſimum incolis, nec Europaeis temnendum, cibum praeſtant. Eſt vero inſuetis quodammodo nauſeoſus, quia glutine lentiſſimo refertur. *Ipo-*

p. 12. *maea Euſtachiana*, noua ſpecies, inter opuntias in Inſula St. Euſtachii proueniens, Ipomaeae trilobae multum quidem ſimilis, pedunculos autem gerit bi- non trifloros, et corollam ſaturate purpuream, non violaceam. *Cecropia peltata* ad altitudinem 30 vel 40 pedum increſcit; truncus et rami externe annulis per interualla circumſcribuntur, qui ſeptis membranaceis reſpondent tranſuerſis; inter haec ſepta illi prorſus caui ſunt, omnique medulla deſtituti. Folium quodlibet ante expanſionem membrana conica, latere longitudinali dehiſcens, et caduca operit; folia ipſa ſcatent ſucco aqueo, ad aeris attactum nigricante, et lintea foedis maculis tingente. Floſculi minimi et denſa eorum compages, fructificationem cognitu difficillimam reddunt. Feminarum character forte ſequens eſt: pedunculus axillaris, pendulus, amenta 4 vel 5 denſe imbricata ſuſtinet, quae inuoluuntur ſpatha communi, monophylla, longitudinaliter dehiſcente, decidua; calix proprius infundibuliformis, apice bifido, corolla nulla, ſta-

mina

mina nulla, corpuſcula duo ſubrotunda minima, vtrinque calicis inciſuris inſidentia, caduca, an antherae, an filamenta? germen ouatum didymum, ſtyli nulli, ſtigmata ſimplicia. *Loaſa vrens*, Vien- p. 15.
nae culta, annua planta, aculeis rigidioribus vrticae inſtar vrentibus vndiquaque obſeſſa, folia gerit pinnatifida, laciniis ipſis pinnatifidis, dentato ſinuatis, ſumma autem folia tantum ſinuata ſunt. Flores inodori charactere proprium ſibi vindicant genus, quod *Loaſam* dixerat ADANSONUS: Calix eſt pentaphyllus ſuperus, foliolis lanceolatis, lateribus reflexis, piloſis; petala ſunt quinque flaua, magna, cucullata, in vngues attenuata, patentiſſima, tandemque reflexa. Cum petalis alternant foliola quinque alba, punctis rubris viridibusque, variegata, in conum conniuentia, lanceolata, antice filamentis duobus ſterilibus ſtipata ſingula; haec nectaria dixit Ill. Auctor, licet ADANSONUS eadem petalorum nomine deſcripſerit et decem numerauerit; ſtamina numeroſa, nectario longiora, primo erecta, dein reflexa; germen piloſum ſemi-inferum, ſtylus filiformis, ſtigma obtuſum. Capſula turbinata hirta, ſuperne marcidis laciniis calycinis circumdata, vnilocularis, apice triualuis, receptacula tria ſunt lineae longitudinales, ex fundo capſulae ad inciſuras valuarum excurrentes; ſemina ouata, plurima, parua. Ex qua deſcriptione patet, Cel. Auctoris plantam ab Adanſoniana ſpecie diuerſam eſſe. In *Rhamno* p. 44
pentaphyllo petioli tria vel quinque ſuſtinent foliola cuneiformia, longitudine inaequalia; ſpecimen ſiccum, a BOCCONE collectum, poſſidet Ill. Auctor eius iconem quoque dederat in Sicul. T. 21. *Zinniae* p. 19.
multiflorae elegantem iconem Tab. 40. exhibuit, amplamque deſcriptionem addidit, quae eo gratior erit, quo copioſior eius eſſe nunc ſolet in Europaeis hortis prouentus. *Trifolium pannonicum, ſpicis vil-* p. 22.

loſis

loſis longis, corollis monopetalis, foliis integerrimis, cauleque erecto villoſiſſimis, nec non *Sida filiformis foliis cordatis, capſulis multilocularibus inflatis, ramis filiformibus procumbentibus*, et *Sida multiflora, foliis oblongo lanceolatis, dentatis tomentoſis, capſulis multilocularibus depreſſis*, nouae ſunt ſpecies. *Cynoſurus ſiculus*, a BOCCONE Sic. tab. 33. delineatus a *Cynoſuro lima* LINN. calice inprimis differt, et *Melochia* in Americanis no. I. deſcripta, a *tomentoſa*
p. 26. LINN. plane diuerſus eſt. Praeter *Paſſifloram rotundifoliam* LINN. etiam *ſerrulata, foliis trilobis ſerrulatis, petiolis in medio glanduloſis*, et *nigra, foliis trilobis glabris, margine villoſo ſcabris, integris,*
p. 27. *lobis ouatis acutis* exhibentur. *Cinchonae caribaeae*, florentem ramulum nunc delineauit Cl. Auctor, monuitque in omnibus fere cum officinali ſpecie conuenire, et pedunculis vnifloris modo differre, nec fructum diuerſum eſſe, quem LINNAEUS in *officinali*, contra veritatem, ſubrotundum et a baſi verſus apicem dehiſcentem deſcripſerat; hinc et Cl. Auctor coniecturam addidit; annon et huius cortex in vſu medico eadem fere virtute polleat, quam in officinali adeſſe nouimus. *Antirrhinum piloſum*, foliorum villoſitate a *Cymbalaria vulgari* diſtinxerat TOURNEFORTIUS, et *alpinam* dixerat, et ita eſt, ſunt enim procumbentes caules filiformes, piloſi, et folia vltima ſubrotundo reniformia, in lobos diuiſa, vtrinque piloſiſſima, pedunculi alares, ſolitarii quoque piloſi, calix quoque piloſus. *Ficus polycarpos* in locis ſaxoſis Inſulae Curacao creſcit, habitu et foliorum volumine oleam mediocrem refert, truncus comam ſuſtinet, ex ramis compoſitam, qui nullum radicem emittunt, et fructus piſo duplo maiores, rubelli et dulces, apud barbaros edules, totos denſiſſime ramulos obſident. *Ficus caribaea* in rupibus aliisque arboribus paraſitica, folia gerit

baſi

baſi cordata, caeterum ouata, in breue acumen abeuntia, fructusque inſipidos, diametro pollicem aequantes. *Hieracium ſaxatile, caule ramoſo glabro, foliis omnibus lineari lanceolatis acuminatis dentatis, radicalibus baſi piloſis*, ab *Hieracio murorum* foliorum radicalium anguſtia et glabritie, a *porrifolio* autem latitudine ac dentibus diſcrepat. In *Alſine mucronata* LINN. conſtanter ſtamina decem fertilia vidit Cl. Auctor, eo ordine, vt alterna quinque erecta germini circumſtarent, reliqua quinque patula petalis accumberent; hinc ad *Arenarias* denuo revocanda erit planta. p. 31.

Occaſione *Erythrinae foliis ternatis, foliolis lanceolatis*, monuit Cl. Auctor, hanc et quae ſequentur, nonnullas alias, nouas, vel a LINNAEO non memoratas plantas, ex herbario Gronouiano accepiſſe, earumque icones et deſcriptiones ad ſiccas plantas exhibuiſſe, quarum modo nomina repetamus. *Phaſeolus volubilis, pedunculis ſubracemoſis, foliolis profunde lobatis. Eugenia pedunculis vnifloris, foliis obouatis obtuſiſſimis; Chryſophyllum foliis obuerſe lanceolatis, obtuſis; Hypericum floribus monogynis, ſtaminibus corolla longioribus, calicibus coloratis, caule fruticoſo. Dolichos volubilis, leguminibus racemoſis compreſſis, diſpermis, foliolis rotundato obouatis ſubcoriaceis. Conuoluulus foliis oblongis obtuſis, cum acumine ſtipulaceo, nudis, pedunculis ramoſis multifloris; Roſa germinibus ouatis, pedunculis, foliolisque vtrinque glabris, ramis petiolisque aculeatis; Baniſteria, foliis oblongis, obtuſis, rigidis, racemis terminalibus. Polygonum floribus octandris, an trigynis? axillaribus, foliis ſubulato linearibus, ſtipulis ſetaceo laceris, caulibus ſubfruteſcentibus;* et *Polygonum foliis anguſto lanceolatis crenulatis, caule procumbente;* denique *Commelina dubia ſpathis vnifloris.* Accedunt his aliae, quarum plurimae in ſpeciebus Linnaeanis iam occurrunt. P. III. p. 1.

p. 10. runt. *Brizae maximae* glumae, valde concauae, dorſo quidem leuiter protuberant, ſpiculas vero cordatas cum LINNAEO dicere noluit Cl. Auctor, ſunt enim *Brizae medicae* ſpiculis, quoad baſeos figuram, ſimillimae, quare rectius ouatas dixit SAUVAGESIUS; floſculi in eadem ſpicula a quinque ad quindecim variant, hinc *monſpeſſulana*, a GOVANO deſcripta, ſpecie vix differre videtur. Spiculae pedunculis capillaribus propriis ſimpliciſſimisque alternatim e culmo oriuntur, infimis rariſſime bifidis, minus raro geminis; qua nota a congeneribus facile diſtinguitur. In *Briza minore* pedunculi inferiores ſemper bifidi, vel trifidi, in reliquis ſpeciebus multo magis diuiſi. Tab. 61. et 62. *Paulliniarum*, quas nouit, omnium folia delineauit, quo ex illis ſpecies accuratius diſtingui poſſint. Tab. 63. *Symphytum tuberoſum* ſiſtit, illudque ab *officinali* facile quidem diſtinguere, aſt dif-

p. 137. ficile diſcrimen verbis exprimere potuit. Et in *tuberoſo* folia ſaepe per caulem decurrunt, et folia in *officinali* aeque crebro opponuntur, quum viciſſim in *tuberoſo* alternantur. Verum et conſtans diſcrimen in florendi tempore, in ſolo natali, creſcendi habitu, et inprimis in radice inuenit Ill. Auctor. Floret *tuberoſum* Maio, ita, vt ſub finem Iunii vix amplius flores occurrant; locum vmbroſum ſubhumidumque amant ambo, aſt *tuberoſum* praecipue ſylvatica et fruticoſa occupare ſolet; habitus eſt tenerior; ſtatura minor, folia, racemi, flore, caules ramique pauciora; radix denique eſt tuber oblongum, ramoſum, aut ſimplex, fibrillis tenuibus auctum. *Trifolium alpeſtre* in Auſtriae et Hungariae pratis montoſis ſyluaticis, cum *montano* et *pannonico* mixtim vegetare ſolet, hinc *alpeſtre* nomen non meretur. In *Panico filiformi* rachis triangularis fere, ſerpentino ductu tota flectitur et quolibet alternante eiusdem denticulo flores locantur bini, alter

fere

fere ſeſſilis, ſupra hunc peduncello proprio non admodum eleuatus alter. Hi peduncelli iam infra rachis mediam partem floſculos ſaepe geminos raceмoſe gerunt, infimi ternos quaternosue, et cum his quidem, loco floris ſeſſilis, pedunculus biflorus alter non raro ſpectatur: vnde hic claudicare Linnaeanam determinationem, quae in rachis partem ſuperiorem ſolam perpetuo quadrat, Cl. Auctor monuit. *Nepeta lanata, floribus ſeſſilibus, verticillato ſpicatis, bracteis ouatis longitudine calycis, foliis inferioribus petiolatis, ſuperioribus ſeſſilibus*, ex ſeminibus a Cl. WILLICHIO miſſis, in horto enata, noua eſt ſpecies, radice quoque tuberoſa, foliis ex cordato oblongis, vtrinque villoſis, corollae labiis leviter purpuraſcentibus, fauce palleſcente, ad originem barbae punctis purpureis, paucisque villis notata, faucis laciniis non reflexis, ſed patulis et galea conuexa, a reliquis diſtinguenda.

In Part. IV. denique, et aliae, a LINNAEO vel in ſpeciebus, vel in Mantiſſa memoratae, et aliae prorſus nouae deſcribuntur, et iconibus illuſtrantur. Ad priores *Cleome gigantea, Stachys aethiopica, Seriola aethnenſis, Cotula grandis, Crotalaria incana, Plantago altiſſima, Verbena iamaicenſis* et *indica, Aſter tenellus, Chryſanthemum balſamita, ſerotinum, montanum, graminifolium, monſpelienſe*, et *Myconis; Cytiſus hirſutus, Cucubalus italicus, Atropa phyſalodes, Carduus virginianus*, atque *Scorzonera graminifolia*: ad nouas pertinet *Gladiolus paruiflorus, foliis lineari enſiformibus, caule ſimpliciſſimo, floribus ſpicatis*, quam plantam ex Herbario Gronouiano acceperat Ill. Auctor. Scapum gerit foliis duplo breuiorem et flores paruos, quorum petala tria inferiora et vtrinque ſinuata, et apice bifida ſunt; *Cichoreum* porro *pumilum, floribus ſeſſilibus, radice annua;* quod a Linnaeanis diuerſiſſimum videtur. *Boerhaauia caribaea*, Pars IV.

ribaea, *caule diffuſo procumbente*, *floribus diandris*, a *diffuſa* LINNAEI diuerſa eſt, habetque limbum corollae quinquefidum, laciniis emarginatis; haec cocta, et cum aliis oleribus mixta in vſum culinarem trahitur ab incolis; *Clinopodium patauium* a BOCCONE Muſ. Tab. 45. exhibitum, nomine *Thymi floribus verticillatis*, *pedunculis vnifloris*, *caulibus ramoſis aſcendentibus*, *foliis ſubſerratis*, et *Cirſium pyrenaicum* TOURN. nomine *Cardui pyrenaici foliis decurrentibus*, *oblongo lanceolatis*, *margine ciliatis et ſpinoſis*, *vtrinque tomentoſis*, *floribus ſubſeſſilibus* repetiit. *Cucumeris acidi* deſcriptionem, vltimo loco, ſine icone, adpoſuit; eſt habitu *Cucumeri ſatiuo* ſimillima planta, fructu euidenter diuerſa. Aequat magnitudine *ſatiuum*, externe viret, et ſine vllis ſulcis aculeisque glaberrimus et nitidiſſimus; forma oblonga, verſus baſin paullatim attenuata, obtuſiſſima. Interne *Melonem* refert, albeſcit, ſapore eſt acido, ſeminaque continet alba, duplo minora, quam in Cucumeris ſatiui fructu eiusdem voluminis.

VIII.

VIII.

The Conſtruction of Timber from its early Growth; Explained by the Microſcope, and proved from Experiment, in a great Variety of Kinds: in five Books. On the Parts of Trees; their Veſſels; and their Encreaſe by Growth: And on the different Diſpoſition of thoſe Parts in various Kinds; and the Particularities in their Veſſels. With Figures of their various Appearances; of the Inſtrument for cutting them; and of the Microſcope thro' which they were viewed. By IOHN HILL, M. D. London: printed for the Author; and ſold by R. Baldwin, I. Ridley, I. Nourſe, T. Becket, P. Elmſly, I. Campbell, and T. Davies. 1770. 8 mai. pag. 170. tab. aeri inciſae 43 accedentibus duabus aliis ex harum numero, viuis coloribus pictis.

i. e.

Conſtructio ligni a maturo eius incremento declarata per microſcopia, et illuſtrata multiplicis generis experimentis, cet. Auctore IOHANNE HILL.

Vix aliquem exiſtimamus fore, qui merita Cl. HILLII in augendo amplificandoque ſtudio hiſtoriae naturalis, et omnium quidem maxime regni vegetabilis, ignoret. Quantum autem huic ipſi per praeſens opus lucis acceſſerit, aequi et candidi lectores ex epitome eius, a nobis nunc exhibenda, colligent.

Egregiis vſus eſt adminiculis Cl. Auctor, nempe machina quadam, ad partes minutas ſurculi vegeta-

 bilium

bilium abſcindendas apta, cuius ea eſt accuratio ac ſubtilitas, vt ſciſſura horizontali taleoli ſeparari poſſint, quorum craſſities quingenteſimam, ſeptingenteſimam et quinquageſimam, imo in nonnullis milleſimam partem pollicis aequet. Verum neque huius machinae, neque conſtructionis microſcopii diſtincta poteſt exhiberi notio, niſi figuras additas ipſe contemplari queas.

p. 17. Omnium optime conſpicitur conformatio ligni in ſurculis duorum cum dimidio annorum, tempore verno. Quercus coccifera partes cunctas, ex quibus conſtat, optime viſui offert: hac autem deficiente, etiam robur ſcopo eidem inſeruire poteſt.

p. 26. Maceratione opus eſt, quum diuerſas has partes a ſe inuicem ſeparare volumus, pariter ac ſi v. c. ſceleton folii praeparare animus eſt. Si vero hae ipſae diutius aſſeruandae ſunt, ſolutioni aluminis immittendae, ſiccataeque protinus in ſpiritum vini reponendae ſunt. Accedimus ad examen ſingulare harum partium.

p. 28. Prima eſt cortex exterior (*the Rind*), qui, licet a reliquis partibus ſeparatus, telam aranearum ſubtilitate referre videatur, tamen ſimplex non eſt, ſed ex pluribus tunicis, laxe ſibi inuicem ſuperimpoſitis, conflatus. Conſtructio harum tunicarum vna atque eadem eſt: ſunt vaſa longitudinalia, inter quae ſubſtantia membranacea collocata eſt, caua oblonga, veſicae ad inſtar formans, quae vero transuerſim ab
p. 33. areolis vacuis figurae oualis intercipiuntur. Curatius iſthaec vaſcula contemplatus eſt Cl. Auctor in aceris quadam ſpecie, cum ea ſolutione ſacchari ſaturni impleret, ac poſtea partem corticis, in qua experimentum capiebat, liquori probatorio, ex calce viua
p. 35. et auripigmento immitteret. Si leni preſſione veſiculae, quae inter vaſa poſitae ſunt, ſeparantur, conſpiciuntur ſtructurae membranaceae, inferius clauſae,

ſae, ſuperius apertae, ſpatio, nunc maiori, nunc minori, inter ſe diſtinctae: vaſa autem orificiis inſtructa ſunt, quae in veſiculas hiant. Ex his colligit Cl. p. 36.
Auctor, hyeme contrahi haec orificia, vere autem, cum a calore atmoſphaerico, tum ab adfluente ſucco nutriente rurſus expandi, quod etiam experimenta in cortice fraxini et ſpecierum diuerſarum ſalicis confirmant, in quibus vaſa corticis tinctura coccionel- p. 38.
lae repleuit: in fraxino vaſa haec diſtincta, et eleganter cincta conſpexit, in ſalicis vero ſpeciebus omnia indiſtincte rubentia; hoc etiam in ſambuco et ribe obſeruauit, in quibus tamen difficilius cortex ſeparatur et praeparatur. Ex hac diuerſitate, a maiori vel minori diametro orificiorum, in veſiculas deſinentium, pendente, declaratur, cur in vna arbore folia citius erumpant, quam in alia.

Secunda pars eſt cortex interior (*the Bark*), p. 41.
eiusdem, vt exterior, ſtructurae, cuius diſquiſitio optime in vite inſtituitur. Vnica differentia in eo conſiſtit, quod veſiculae longiores, et vaſa teneriora appareant. Idem vero hic interior cortex, decedente exteriore, huius vices ſupplet, et tunc aeri exteriori expoſitus corrugatur, eamque formam induit, quam in cortice exteriori iam conſiderauimus.

Progredimur ad partem tertiam, alburnum (*the* p. 44.
Blea), quae plane a ſuperioribus differt. Optime in ſalice conſpicitur, in qua tamen opus eſt, vt, priusquam vere vel media aeſtate folia erumpant, ſeparetur, et praeparationi, ſuperius adductae, ſubiiciatur: recens enim nil niſi maſſam informem ſiſtit. Conſtat ex vaſis longitudinalibus, maioris tamen duritiei, quam in vtroque cortice, iisque tuberculis ſeu eminentiis quibusdam obſitis, in quarum apice apertura eſt, quae in ſubſtantiam albam, floccoſam, veras cellulas aut veſiculas non offerentem, terminatur; hae aperturae ſuccum in vaſis aſcendentem

in ſubſtantiam iſtam transmittunt, adeo, vt ea tur-
p. 48. geſcens totum alburnum diſtendat. In pyro, denſioris vtpote ſtructurae, vaſa planiora ſunt, orificiis tamen parcioribus inſtructa: ſed, cum vaſorum color ad fuſcum accedat, facilius a ſubſtantia interiacente, quae alba eſt, diſtinguuntur.

p. 51. Quae nunc ſequitur pars, lignum ſiſtit, in pyro optime diſtinguendum. Componitur ex ſimplicibus canalibus, qui iis, in alburno conſpiciendis, ſimiles ſunt, ſed orificiis et ſubſtantia floccoſa interpoſita carent, et pauciſſimum eius in interſtitiis, a canalibus rotundis formatis, habent; neque hoc in augmento maiori obſeruatur, adeo, vt ipſi quoque canales obliterentur, vt in quercu conſpicitur, quae in ſolo limoſo creuit. Si alburnum recens ſurculo ſeparatur, vaſcula diſrupta collabuntur, et nil niſi filamenta plana referunt: lignoſi contra corporis fibrae, licet quoque, vt alburni vaſa, a ſe inuicem ſeparentur, tamen formam rotundam retinent.

p. 55. Pars, quae proxime ſub ligno, atque inter hoc et medullam ſita eſt, cognita quidem fuit ſcriptoribus, et ſuo etiam modo depicta: tanta tamen attentione eam dignati non ſunt, quantam promeretur. Corona, ſeu circulus propagationis a Cl. Auctore noſtro vocatur: in plantis omnibus adeſt, et per totam trunci aeque, ac ramorum longitudinem extenditur, nullibi tamen eamdem melius conſpexit, quam in bocconia, licet ramus eius, ex Iamaica transmiſſus, adeoque aridus redditus, aqua prius macerandus eſſet, quam cultro ſubiici poſſet. Eſt tamen ex Europaeis plantis quaedam, et ea quidem herbaceae ſtructurae, quae eamdem ſimili fere modo fabrefactam; viſui offert, chelidonium, quod ad bocconiam tum botanico charactere, cum ſtructurae interioris ſimilitudine, quam proxime accedere Cl. Auctor aſſerit. Haec autem corona ſiſtit circulum plus minus anguloſum, ex veſiculis et vaſis, corticis interioris et exterioris

terioris ad inſtar, conflàtum, in quo vero circumcirca faſciculi ab octo ad decem collocati ſunt, a quibus conformatio angulоſa circuli proficiſcitur. Hi faſciculi ex partibus eſſentialibus futuri rami conſtant, nimirum ex alburno et ligno, et in vtroque vaſa conſpicienda offerunt, in illo exteriora, in hoc interiora: corticem exteriorem et interiorem partes celluloſo vaſculoſae coronae ipſius largiuntur. Ex hac conformatione patet, cur iis temporibus anni, in quibus vaſcula ſuccis quam maxime ſcatent, vndiquaque noui rami et ramuli protrudantur, et cur ſimilis mutatio eueniat, ſi hortulani inciſione, ſcarifatione, punctura, vel quacumque alia ablatione partium exteriorum, partes ſubiacentes liberiores reddant. Quod vero hoc nunc facilius, nunc difficilius peragatur, a diuerſa denſitate contextus celluloſo lignoſi, qui ſubſtantiam coronae conſtituit, et faſciculos iam dictos cingit, repetendum eſt.

Intimam partem medulla conſtituit, proxime coronae adiacens, a cuius interiori ſuperficie formatur, quum faſciculi coronae incrementum capere incipiunt: tunc ſiquidem ſucci ſpiſſiores ex interſtitiis coronae exprimuntur, et ab admixto aere bullularum ſiue cellularum formam acquirunt. Solum ergo medullae officium in humectandis faſciculis coronae, atque in moderanda eorum extenſione poſitum eſt, ideoque nonniſi ad primum incrementi tempus extenditur. Ex quibus apparet, quantum errent, qui medullam principium omnis vegetationis exiſtiment. Structura varia eſt, ſed ſemper veſicularis: in iuglandis regiae ramo iuniori Cl. Auctor veſiculas ouales, ſibi inuicem incumbentes, ita, vt maior diameter horizontalem, minor perpendicularem directionem reſpiceret; in roſa canina vero, pluribusque aliis plantis veſiculas rotundiores, in peculiaribus quaſi ſtratis ſibi inuicem ſuperimpoſitas, detexit. p. 65.

p. 72. Haec de partibus eſſentialibus, quae in quouis trunco adſunt. Nunc in libro ſecundo Auctor noſter ad vaſa progreditur, quae duplicis generis ſunt: alia propria, quae ſuccos proprios plantae, ex virtutibus eius diiudicandos, continent, (*juice-Veſſels*) quae diſtinguuntur in exteriora, quae intra corticem exteriorem et interiorem; interiora, quae in ſubſtantia corticis interioris; intima, quae in ſubſtantia alburni; et coronalia, quae in corona ſita ſunt: alia communia, quae ſuccos, plantae nutritioni impendendos, vehunt (*ſap-Veſſels*), et in ſubſtantia ligni poſita deprehenduntur.

p. 73. Vaſa propria non in omnibus plantis, neque etiam omnis vbique generis, adſunt; neque ſemper oculis patent, ſed interdum ſolo guſtu ſe produnt.

p. 74. Exteriora conſpiciuntur, ſi vel ſub vegeti incrementi tempore, vel macerationis ope cortex exterior ab interiori ſeparatur: conſtant ex congerie minorum vaſculorum, ſibi inuicem arcte adhaerentium, quae, ita coniuncta, libere inter vtrumque corticem collocata ſunt, et vario modo excurrentia, reticulum quaſi formant. Singulum vaſculum rotundum eſt, parietesque firmos habet, qui tamen, ſpiritu terebinthinae per hebdomadem macerati, tranſparentes redduntur, et cellulas ouales, valuulis concauis diſtinctas, ſiſtunt, et ad baſin cellularum quarumdam, reliquis longiorum, in exteriori ſuperficie depreſſionem oualem, cauernulis quibusdam exiguis praeditam oſtendunt, quas ſtructurae glandulofae eſſe Cl. Auctor arbitratur, in quibus ſuccus plantae proprius ſecernatur.

p. 78. Vaſa propria interiora egregie in pini ſpeciebus, et omnium quidem optime in orientali, conſpiciuntur: ſunt caua inſignis amplitudinis, cylindrica, quorum parietes ex meris vaſculis, cum iis, quae vaſa exteriora conſtituunt, forte comparandis, compoſita

ſita inueniuntur; quae caua ſucco eſſentiali plantarum, ideoque in pino terebinthina, ſcatent. Arbore adultiore reddita, haec vaſa propius ad ſe inuicem accedentia deprehenduntur. Coniecturam proponit Cl. Auctor, euenire forte, vt ſuccus ex vaſculis iſtis minoribus per orificia in interna horum ſuperficie patula, quae tamen detegere ſe non potuiſſe fatetur, in cauum iſtud amplius deponatur.

Ad declaranda vaſa intima, piſcidiae erythrinae exemplo vtitur, in qua iucundiſſimum ſpectaculum offerunt, dignum Ipſi viſum, quod in tabula viuis coloribus diſtincta depingeret. Situs eorum eſt in alburno, licet in hac planta quaedam etiam in ligno, imo in ipſa corona, et in hac quidem eodem, quo in alburno, ordine, inueniantur: ſtructura eſt lignoſa, denſa, figura cylindrica, rotunda, et ſingula in ſubſtantia partis, cui inſident, nulla inter ſe mutua communicatione intercedente, ita collocata ſunt, vt alternis vicibus terna vaſa vel lineam rectam, vel triangulum conſtituant: ſucco ſcatent coloris coccinei, neque in aqua, neque in ſpiritu vini, etſi per plures annos in his menſtruis detineantur, ſolubili. p. 83.

Vaſa communia corporis lignoſi (*ſap-Veſſels*) copioſiora fere ſunt, quam propria: in variis quercus ſpeciebus apprime cognoſcuntur. Conſtant ex cylindris rotundis, inter ſe non communicantibus, neque definito ordine diſpoſitis: horum parietes denſi ſunt, et nunc ſimpliciores videntur, nunc eo in loco, vbi diſcinduntur, annulum quaſi, ſeu parietem craſſiorem ſiſtunt, qui tunc etiam, macerationis ope, vere in aliquot tunicas diſſolui poteſt, quas vaſculoſae itidem ſtructurae eſſe probabile eſt. Omnibus autem vaſis communibus valuulae ſunt, quarum veſtigia in exteriori ſuperficie exſtant, eodem modo, vt in vaſis propriis exterioribus. Vaſa haec receptacula ſunt ſucci nutrientis plantarum, et vere ac media aeſtate p. 88.

eodem turgent, inciſaque eum largiſſime effundunt:
p. 24. reliquo autem tempore vacua ſunt, et nonniſi latera, hoc ſucco humectata, offerunt, ideoque falſae de tracheis ſeu vaſis aëreis plantarum opinioni, anſam
p. 92. praebuerunt. Certa praeparatione vſus Cl. Auctor ea ita diſpoſuit, vt ceram viridem liquefactam ſugerent, et ita magis dilucide in conſpectum venirent; nitidum, quod in tabula altera, viuis coloribus picta, expreſſit, ſpectaculum exhibentia.

p. 94. Sicut in corona partes omnes, futuri rami truncum conſtituentes, adeſſe perſpeximus: ſic etiam omnis generis vaſa, eodem, vt in reliquis partibus, modo fabrefacta, adſunt; interiora tamen duplo ampliora conſpiciuntur, quam vaſa in cortice interiore trunci; intima parietes tenuiores, et formam non adeo exacte cylindricam habent, quam vaſa intima trunci; communia e contrario ampliora, et per totum anni tempus ſucco nutriente repleta.

p. 98. Liber tertius de incremento plantarum agit, tum ratione ramorum, cum extenſionis longitudinalis trunci ipſius. Ramus oritur ex faſciculo, in corona ſito; neutiquam autem, vt vulgo creditur, ex medulla, cuius ne partem quidem vna cum faſciculo egredi videmus: ſed vbi cortex debilior eſt ac humidior, ibi protruditur faſciculus, iam lignum et alburnum continens, et corticis particulam ſecum abripiens, qua cingitur; et egrediens ex trunco, oblique ſurſum flectitur, et in ſubſequente extenſione ſenſim cylindricam formam acquirit, et, vacuo ſpatio inde ſenſim enato, medulla generatur, eo modo, vti iam ſuperius in eius conſideratione perſpeximus. Haec omnia, experimentis allatis, fuſius declarat Cl. Auctor, quae quidem ita comparata ſunt, vt vix microſcopio opus habeas ad cognoſcendum: neque medullam dici poſſe principium vegetationis,

neque

neque vllum eidem cum partibus rami intercedere commercium.

Extenſio trunci in longitudinem ſolummodo ab elongatis vaſis pendet, quae rurſus affluente ex radice ſucco, turgeſcunt, adeo, vt conus membranaceus, qui verſus finem ſuperioris vegetationis ſummitatem ſurculi occludere videbatur, nunc continuationem corticis vtriusque alburni et ligni ſiſtat. Verum neque hic medulla continuatur, ſed aeque ac in formatione ramorum ſucceſſiue ab elongatis et cylindricis redditis reliquis partibus efficitur, ita quidem, vt ſemper eo in loco, vbi exorſa eſt noua vegetatio, ſeptum aliquod remaneat, vtriusque vegetationis medullam a ſe inuicem diſtinguens. p. 106.

In libro quarto differentes diſpoſitiones partium eſſentialium, quae truncum conſtituunt, vberius exponuntur et iconibus illuſtrantur. Pauca quaedam ex his commemoraſſe ſufficiet. Cortex interior tenuior eſt, quo lentius, et eo craſſior, quo celerius arbor creſcit: prius quercus et caſtanea, poſterius ſalix et populus probant. In multis plantis herbaceis, et quibusdam arboreis pars haec, radiorum ſeu conorum ad inſtar, per alburnum ad lignum vsque continuatur, quod addita icon, ex ſorbo legitima depromta, clare docet: et inde patet, cur haec arbor aeque ac ciſtus laurifolia et platanus, eadem quippe ſtructura gaudentes, iacturam corticis ferant, ſine eo, vt inde laedantur, quoniam totus cortex auferri nequit, ſed ſemper ſufficiens eiusdem portio relinquitur. Alburnum ſimpliciſſimum ac tenuiſſimum ſiſtit liriodendrum liliiferum; plicatum, nerium oleander; vndulatum, nerium zeylanicum; difforme, prope lignum ex ſerie vaſorum, verſus corticem ex maſſa ſpongioſa confuſa conſtans, ephedra diſticha, peculiaris in vniuerſum ſtructurae planta, p. 117. p. 118. p. 122.

p. 130. planta, quae multa plane ſingularia offert. Lignum
bis ſingulo anno, noua acceſſione facta, augetur, nem-
pe vere ac media aeſtate, quarum ſingula, peculiari
p. 22. circulo, in ligno conſpicuo, notatur. Male ergo hos
circulos annuos dici, Cl. Auctor monet, potius cir-
culos tempeſtatum anni (*Circles of the Seaſons*) vo-
candos. Lignum ex radiis ſeu conis conſtat, quo-
rum baſis alburnum, apex coronam reſpicit, qui
autem in hac planta maiores vel longiores, in illa
minores vel breuiores ſunt. Septa, hos conos in-
tercedentia, omnium craſſiſſima conſpiciuntur in
p. 135. robinia caragana. Eſt etiam diuerſitas circulorum
p. 137. tempeſtatum, quos in arbuto latiſſimos, in thuya
p. 140. chinenſi inaequales eſſe oſtendit. Corona ſimpli-
ciſſima eſt in ciſto laurifolia; vndulata, faſciculis ex-
trorſum verſus lignum prominentibus, in magnolia
glauca, peculiaris itidem ſtructurae arbore; faſcicu-
los e contrario, introrſum verſus medullam promi-
nentes, ſiſtit ſtaphylaea; coronam cylindros, efficien-
tem, qui continuatos parietes conorum ligni men-
p. 146. tiuntur, pluknetia volubilis. Ad declarandam me-
dullae differentiam adducit Cl. Auctor exempla An-
nonae ſquamoſae, in qua circularis; Amygdali, in
qua quinquangularis; et Petraeae coniferae, in qua
non in medio centro collocata eſt.

Quod diuerſitates vaſorum, in libro quinto pro-
p. 153. poſitas, ſpectat, vaſa propria exteriora in cupreſſo
Americana, non in faſciculos collecta, ſed ſingularia
p. 154. inueniuntur. Interiora in larice parciſſima, ſed in-
ſolitae capacitatis; in tanaceto fruticante, et pino
cembra, pluries ſeries formantia, ita quidem,
vt in priori interior ſeries clauſa ſit, exterior ſuc-
p. 163. cos vehat. Vaſa intima in piſcidia carthaginenſi et
abietis quadam ſpecie (*Hemlock ſpruce Fir*) duas ſe-
ries formant, in illa alburnum et coronam, in hac
alburr-

alburnum et medullam occupantia. Eadem etiam p. 168.
in ſumach, medullae inſidentia, colore purpureo egregio ſe produnt, in qua planta praeterea faſciculi, in corona collocati egregiam delineationem embryonis futuri rami cum ipſius vaſis ſiſtunt. Denique pauca p. 169.
quaedam, de varia diſpoſitione vaſorum communium, in variis quercus ſpeciebus adduntur.

IX.

Noua Acta phyſico-medica Academiae Caeſareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum. Tom. III. Acced. Appendix et tab. aen. XVII. Norimbergae, impenſis Wolfgangi Schwarzkopfii. 1767. 4 alph. Append. Alph. 2. pl. 16.

Subſtitimus iam per aliquot annos in commemorandis obſeruationibus, quas in vſum artis ſalutaris et phyſices inſtituunt et in actis Academiae huius valde celebris cum lectoribus communicant Cl. Viri; ſed cum videamus, tomum tertium et quartum iam, pauco temporis interuallo in publicum prodiiſſe, breuiter nunc, ne limites, nobis propoſitos excedamus, praecipua tantum momenta tomi tertii enarrare, non ſuperfluum iudicamus. Agitur vero

1) *de hepate monſtroſo in funiculo vmbilicali in-* p. 1.
fantis recens nati reperto Auctore Cl. IOH. GOTTLIEB SCHAEFFER. In infante ſtatim poſt partum Cl. Auctor vmbilicum, vbi abdomini adhaeret, valde extenſum obſeruauit, et ad hunc locum tumorem cylindricae formae, ouo anſerino fere ſimilem, coloris ſubfuſci, caeterum tactu durum, et a fundo vmbilici protuberantem, ſub quo, ſi leuabatur, vaſa vmbilicalia et eorum progreſſus in abdomine conſpicienda

ſpicienda ſe praebebant. Mortuo infante altero die et diſſecto cadauere, deprehendit, illuc incluſam ſubſtantiam, partem hepatis eſſe, quae inſtar molis oblongo rotundae ſimul cum veſicula fellea in funiculum inferius intrauerat. Tab. I. hepar hoc a naturali forma aberrans ſiſtit.

p. 23. 4) *Partus conuulſiui hiſtoriam* proponit Cl. CORNELIUS PEREBOOM. Coniux Cl. Auctoris, prima vice grauida, ac per totum geſtationis tempus ſana, finito nono menſe, de dolore abdominis conquerebatur, qui nullis remediis cedebat. Altero die venaeſectione ad vnc. VI., inſtituta, quam pulſus fortis indicabat, tamen non remittebat: imo hora poſt dira conuulſio totius corporis inopinato omnem ſpem vitae demere videbatur; quae deſinebat in reſolutionem muſculorum, et tandem in hemiplegiam ſiniſtri lateris. Sed hanc paulo poſt altera excipiebat conuulſio, quam ad minimum quinquaginta ſequebantur et per diem, noctemque durabant. Poſtridie demum matutine veri dolores ad partum ſeſe his motibus conuulſiuis immiſcebant, et quamquam partum impedirent quodammodo, tamen tandem edebat fetum, et aegra paulo poſt, adhibitis remediis, ſanitatem nanciſcebatur.

p. 25. 5) *De efficacia inſigni ſulphuris auripigmenti correcti in ophthalmia ſeroſo-catarrhali pertinaciter recidiuante.* Auctore Cl. IOH. CHRIST. HILDEBRAND. Vir quidam nobilis, variis per totam vitam morbis vexatus, a catarrho leuiore liberatus, et leni mannato remedio laxante vſus, mane tumore palpebrarum oculi dextri, earumque conglutinatione et effluuio humoris viſcidi affectus eſt, quae omnia paucis diebus poſt idem tumor oculi ſiniſtri ſecutus eſt. Adhibitis medicamentis anticatarrhalibus,

interpoſitis

interpoſitis laxantibus, et praemiſſa venaeſectione deriuatoria: exhibitis porro remediis reſoluentibus et diſcutientibus, morbus ſemper peior reddebatur, ſi etiam per aliquod tempus interdum remittebat vel lenior fiebat. Tandem Noſter adhibuit pilulas mercuriales et ſulphur hoc correctum auripigmenti, cuius Ill. BÜCHNERUS in diſſert. quadam mentionem fecit, veſperi ad gr. jj. cum Sach. lact. Helv. ℈j et terreis, nec non tincturam ſulphuris huius mane ad gtt. XL. non neglecto potu diluente et adhibitis diſcutientibus, quibus omnibus effecit, vt poſt quatuordecim dies aeger ſanus redderetur.

8) *De hydrophobia ſymptomatica, poſt ſphacelum, per metaſtaſin obortum, ſponte ſublata.* Auctore EODEM. Femina, nunquam a cane rabido morſa, febre continua corripiebatur, et copioſiſſimis afficiebatur ſudoribus, quos tamen iterum ſuppreſſit, aeri frigidiori ſeſe exponens. Reſtituta ſanitati, dolores artuum rheumaticos ſenſit; et tuberculis circa cubitorum et poplitum flexuram, maturatione apertis, valde excruciata eſt. Hinc cachectica euaſit, caeterum per quinque annos aliis morbis liberata erat. Inopinato poſt aquae fontanae hauſtum, cardialgiam grauem, agrypnia et aliis ſymptomatibus ſtipatam, experta eſt. Dolore cardialgico poſtea ceſſante, totum corpus obrigeſcebat, de dolore conquerebatur, nec guttulam potulentorum aſſumebat; id quod per dies quosdam durabat. Subito in muſculo glutaeo ſiniſtri lateris pars, palmam manus aequans, ſphaceloſa deprehendebatur, et ab hoc tempore potulenta quamquam parca, aſſumebat; viribus tamen exhauſta, moriebatur die decimo tertio demum. p. 39.

10) *De tumore exciſo, et per ligaturam deſtructo, ſcirrhoſo, in inguine dextro.* Auctore IOACH. FRID. HENCKEL. p. 49.

HENCKEL. Tumor hic ab initio a quibusdam medicis pro hernia habebatur; ſed omnia remedia, bracheria etc. reſpuebantur ab aegra, ſenſim itaque augebatur, vnde ad Cl. HENCKEL accedebat, eiusque conſilium rogabat. Ex ſignis rite collectis patebat, eſſe ſcirrhum glandularum inguinalium, ſuadebat propterea emollientia cum reſoluentibus, emolliebatur tumor et fluctuatio notabatur: ſed inopinato fluctuatio minuebatur, tumor minor euadebat et mobilior, ſine dolore vllo; moxque redibat ad priorem magnitudinem. Eligebantur itaque iterum reſoluentia; inprimis cicuta, ſed irrito plurima ex parte. His commotus conſilium cepit Noſter exſcindendi tumorem; et aegra ipſa omnia ſuſtinere volebat et perſeuerabat in eo, cum medici ab initio periculum timerent. Incidebat itaque eum media in parte, valde profunde ſeparabat; antequam arteria in latere externo diſcinderetur; Ligabat tumorem tam profunde, quam fieri poterat, circum circa, deligabat vulnus et faſcia ſic dicta ad bubonem firmabat. Poſt duos vel tres dies profundius incidebatur tumor; et iterum ligatura arctius conſtringi poterat, quatenus arteria et ſanguinis profluuium id permitterent. Tandem, praeterlapſis quibusdam diebus, magis magisque contracta ligatura, efficiebatur, vt tumor flacceſceret, et colorem mutaret. Propter vaſa vero cruralia non audebat, ligaturam profundius applicare, ſed vsque ad ligaturam decuſſatim findebat tumorem, et exſcindebat; id quod adhuc reliquum erat, poſt triduum cum hamulo arripiebat, et abſcindebat; qua ratione ſanitas huius feminae perfecta reſtituta, eaque ab omni ſcirrho liberata eſt.

p. 60. 14) *Cancri aperti et exulcerati horrendam ſpeciem* deſcribit Cl. DAVID FRANCISCUS HEZEL. Femina ruſtica, poſt alapas ſibi inflictas, tumorem in maxilla ſuperiori et oculo ſiniſtro dolorificum ſentit,

quo

quo ſublato, tuberculum quoddam, verrucae ſimile, circa canthum oculi internum, verſus naſum obſeruauit. Medicamentis plane alienis adhibitis fiebat, vt cancer apertus et exulceratus enaſceretur. Septum itaque naſi, os vnguis vel lacrymale, palpebra inferior oculi dextri, plane deleta erant, oſſa orbitae totius vacillabant, et bulbus oculi, quaſi iam exſiccatus, neruo optico, iam exulcerato, paululum adhaerebat. Exſtirpato hoc, remediis exſiccantibus aliisque arcebatur malum ab vlteriori progreſſu, ſed irrito ſucceſſu. Inualuit ita, vt poſt anni ſpatium tota fere facies carne et oſſibus priuaretur. Pulſus arteriarum in cerebro, oculus dexter pendulus, linguaque ſemper mobilis cernebantur; alimenta per cannulam in oeſophagum deferebantur, et titubа voce ſonum edebat. Iconem huius horrendi adſpectus exhibuit Noſter Tab. III.

24) *Vulneris hiſtoriam, regioni pubis glande plumbea inflicti, abſceſſum ſcroti poſt ſe trahentis, ſubſequente glandis per anum reiectione, tradit* Cl. IOH. VLRIC. BILGVER. In vltimo bello miles ita in praelio vulnerabatur, vt glans plumbea, e ſclopeto miſſa, regionem pubis perforaret, et in ipſam cauitatem abdominis penetraret. Per quatuordecim dies nulla grauia ſymptomata obſeruabantur, praeterquam quod caro ſpongioſa et putris vulnus obſtipaſſet, cum ſauciatus decem dies fere, ſine deligatione et ampliatione vulneris, vitam trahere debuerat. Ad finem quartae ſeptimanae ſcrotum valde intumuit, et inflammatum erat, admotis cataplaſmatibus abſceſſus formabatur in parte inferiori ſepti ſcroti, quo inciſo, puris copia, quae libram fere excederet, effluebat. Quamquam chirurgi credebant, glandem plumbeam ſimul cum pure forte eſſe egreſſam, tamen ſpes eos fefellit, nec viam potuerunt p. 93.

runt detegere, qua pus huc perueniſſet. Cicatrix poſtea formabatur et vbi abſceſſus fuerat, et vbi glans abdomen perforauerat. Febris et alui fluxus, quo antea vexabatur, iam remittebant, et ſubito nunc accidit, vt, aluum aliquando egerens, glandem hanc ſimul deiiceret. Quo facto, nullam inflammationem inteſtinorum paſſus, aut ſuppurationem, elapſa ſeptimana octaua, noſocomium relinquebat ſanus, praeterquam quod in loco, vulneri vicino, hernia inteſtinalis paullatim gigneretur, quae tamen facile coerceri poterat Quaeſtionem ergo mouet Cl. Auctor, vtrum inteſtinum tam feliciter laeſum fuerit; an; eo illaeſo, glans illud pedetentim perforauerit, et ita per anum exierit?

p. 96. 26) *Obſeruatio* Cl. LUDOV. CLAUD. CADET, *experimenta ſiſtens, quibus euincitur, boraci ineſſe principium cupreum, arſenicale et terram vitreſcibilem* *).

p. 105. 27) *Experimenta, quibus probabiliter euinci poteſt, in borace reuera adeſſe terram vitreſcibilem* **).

p. 112. 28) *Obſeruatio de lapide mutabili ſeu oculo mundi.* Auctore Cl. DIONYSIO VAN DE WYNPERSEE. Rariſſimum illum lapidem deſcribit, quem WALLERIUS *Achatem unguium colore, in aere opacam aqua perfuſa pellucentem* vocat, et quem vulgo *oculum mundi* dicunt. Singularem illam habet proprietatem, vt, aquae immiſſus, non ſolum pelluceat, ſed et colorem mutet. Hiſtoria cognitionis huius lapidis

praemiſſa

*) vide Mémoir. de mathém. et de phyſiqu. préſ. à l'Acad. Roy. des Scienc. T. V. p. 105. Comment. Vol. XVII. p. 6.

**) vid. Mém. de Paris année 1766. p. 365. Comment. Vol. XVIII. p. 73.

praemiſſa, quem PLINIUM iam, nomine *oculi beli*, deſcripſiſſe HILLIUS putat, illud, quod ipſe poſſidet, ſpecimen, et quod ex muſeo Brückmanniano ad eum tranſiit, Auctor deſcribit, quod inter omnia, quae nobis innotuerunt, maximum eſt, cum longitudo eius dimidium pollicem ſuperet, latitudo per vnam tantum lineam minor ſit. Bene ſiccus Auctoris Cl. lapis virideſcentem colorem oſtendit, multae tamen particulae albae ei immixtae ſunt. Durities non ſilicea eſt, abradi enim, licet difficulter, poteſt. Non ex lamellis conflatus eſt, ſed ſolidam maſſam refert, poros tamen eum habere, quos aqua intrare poſſit, coloris in aqua mutatio probat. Pondus ſpecificum ad aquam habet vt 2048 ad 1000. Opacus eſt, gradu tamen per totam maſſam non prorſus aequali; extremi enim et acutiores margines, paullo reliquis magis virideſcentes aliquid diaphani exhibent. In aqua diaphanus fit. Neque opus eſt et totum lapidem aqua mergere, ſufficit enim dimidiam craſſitiem liquori immittere. Colorem acquirit ſmaragdinum, et lucem inter et oculum detentus, flaueſcens eſt. In iis locis, qui albi erant antea, nunc ſuccinum refert. Aqua vero extractus et deterſus, ſponte ad priſtinam conditionem reuertitur, cum oriantur puncta albicantia, quae intra viginti quatuor horas augentur. Pelluciditas oritur a particulis aqueis, poros ingreſſis et replentibus, et radiis lucis, ordinatum magis tranſitum praebentibus. Pondus quoque eius augetur. In calida aqua citius diaphanus fit. Plura cum variis liquoribus et menſtruis quoque experimenta Auctor inſtituit, viditque ſolutionem alcali fixi pellucidam maculam huic lapidi impreſſiſſe. Suſpicatur tandem hunc lapidem minus raro reperiri, ſi cum pluribus lapidibus, affuſo liquore, tentamina inſtituerentur.

p. 122. 29) Cl. OTT. FRIED. MÜLLER *enumeratio ac deſcriptio libellularum agri Friedrichsdaliani.* Libellulas deſcribit accurate, quas circa praedium *Friedrichsdal* in Dania reperit, et plures nouas ſpecies, et longe adhuc plures varietates, ſe ibidem inueniſſe oſtendit.

p. 145. 35) *De ruptura ilei letali, ex equi calcitratione.* Auctore Cl. WOLFGANG THOM. RAU. Vir ſanus, meridie antea bene paſtus, ab equi poſterioribus pedibus calcitratus eſt, vt hypogaſtrica abdominis regio vehementer contuſa eſſet. Succeſſerunt atroces abdominis dolores, qui nullis remediis cedebant; et aeger omnia aſſumta vomitu reiècit, ita, vt tertio die moriretur. Inſtituta ſectione apparuit, vaſa omnia ſanguifera, inteſtina tenuia, et viſcera vicina percurrentia, ſanguine atro, congrumato turgere, abdominis et peluis cauum liquamine albo, ſpumeſcente, pingui, et acidum putre ſpirante, libras ſex medicas aequante, repletum eſſe; et in inteſtino ileo, prope inſertionem muſculi pſoas maioris, haud procul ab inteſtino coeco hiatus obſeruabatur, cuius diameter vix latitudinem pollicis ſuperabat, cum labiis laceris et macula ſphaceloſa in circumferentia.

p. 153. 39) *De horrenda dilaceratione femoris.* Auctore EODEM. Femina a rota moletrinae chartariae, cui incaute ſe appropinquauerat ita contuſa eſt, vt femur cum cute, et ſubiacente pinguedine, a regione trochanteris maioris, primo transuerſo itinere, infra muſculum obturatorem externum, poſtea obliquo curſu, vsque ad illum locum, vbi muſculi extenſores ſupra genu in vnum tendinem coeunt, tam lata, quam longa apertura dilaceratum, oſque femoris fere in medio in plura fragmenta et feſtucas fractum

fuerit,

fuerit, ita, vt muſculi anteriores femoris maxima ex parte nudi apparerent, et fibrae eorum laceratae eſſent et ſauciatae.

42) *De ſingulari labio leporino.* Auctore Cl. ZACHARIA VOGEL. In infante octo et viginti hebdomadum, cuius labrum ſuperius ſingulari ratione fiſſum erat, vidit Noſter maxillam dextri lateris ſuperiorem, in regione dentis ocularis, ita diffiſſam vt in hanc fiſſuram digitus annularis poni poſſet; diuidebat porro haec fiſſura totum palatum in duas partes, vt ſpongioſa naſi oſſa inferiora ſatis luculenter animaduerterentur. Si infans tranquillus erat, duo iuxta ſe poſiti digiti inter huius fiſſurae ſpatium inſeri poterant; ſi vero aut ridebat, aut flebat, extendebatur ita fiſſura, vt tres digiti in ea collocari poſſent. Labium ſuperius hoc alis narium ita erat accretum, vt, ſi infans ridebat, aut lacrymas fundebat, naſus planus ac transuerſus traheretur. Septum narium erat tenue ac pellucidum; columna narium, ſub forma corniculi gingiuae, maxillae ſuperioris fixa adhaerebat: quapropter naſus naturaliter erigi non poterat. Quae mala partium conformatio, quam Auctor Cl. Tab. IV. fig. 1. delineatam adiecit, effecit, vt infans nil niſi tenue nutrimentum, e. g. lac vaccinum, cui farina triticea immiſcebatur, ſumere poſſet. Sanauit hoc malum Cl. VOGEL partim ſcalpello adhibito, partim bracteola, quam acu firmabat, et infans perfecta poſtea gaudebat ſanitate. p. 161.

43) Cl. TORBERN BERGMANN *ſupplementum hiſtoriae Reaumurianae tenthredinum.* Laruas primo deſcribit, quae *bracti* a Cl. Auctore dicuntur, et illa laruarum genera ſiſtunt, quae Ill. REAUMUR erucas ſpurias (*fauſſes chenilles*) dixit; veras enim p. 166.

erucas *campos* Noſter vocat. Ipſas vero bractorum ſpecies e pedum numero, figura corporis, et modo, quo in foliis ſedent, diſtinguit. Bractus tenthredinis, qui in betula et alno habitat, pedibus carens et dorſo incumbens, fila ſupra abdomen ducit, et vtrinque iuxta latera adfigit, eaque ratione pontem ſericeum format, ſuper quo mucronibus, capite, articulisque corporis innixus, ex vno ramo in alterum ambulat. Nonnullae ſpecies laruarum huius generis lana, vel goſſypio quaſi, vt aphides et chermides nonnullae teguntur. Tenthredines vero Cl. BERGMANN in ſpecies antennis ſeptemnodiis inſtructas, et eas, quae antennas ſetaceas habent, diuidit. Veſcuntur liquore, qui ex vulneribus plantarum, ab aphidibus factis, exſudat, nec non inſectorum cadauera deuorant.

p. 184. 45) *De vulnere ſclopetario per grandines plumbeas vrethrae circa bulbum eius inflicto et feliciter curato.* Auctore Cl. WILLHELM LUDOV. WILLE. Cl. Auctor, iuuenis adhuc dum eſſet, ex improuiſo vulnerabatur a ſclopeto, cum prope orificium eius ſtaret; per veſtimenta, horologium portatile et induſia penetrabant grandines, vſque ad femur ſub regione inguinali dextra, et omnes partes vicinas dilacerabant; cutem, muſculos, vrethram circa bulbum eius perforabant. Remediis ac iuſta deligatione adhibitis, Noſter ſanitati reſtitutus eſt, et grandines, octoginta circiter, per ſuppurationem vulneris femoris ſiniſtri, excluſae ſunt.

p. 261. 56) *De terra foliata tartari.* Auctore Cl. LUDOV. CLAUD. CADET. Diuerſitas opinionum, de praeſtantia huius ſalis neutrius, occaſionem Noſtro dedit, inquirendi in naturam eius ac indolem, quo definire poſſet, quatenus haec vel illa ſententia de

qualitate

qualitate eius medica praeualeret. Comparauit ſibi inde magnam copiam terrae foliatae, a variis confe-ctae, vbi, examine chemico inſtituto, inuenit, eſſentiales inter illam deprehendi differentias, quae ſine dubio in cauſſa ſunt, vt ab aliis medicis etiam diuerſi obſeruentur effectus. Praeparauit inde commotus optimam terram foliatam ſequenti modo: Soluit vnam libram ſalis tartari in ſufficienti quantitate aquae frigidae; et, poſt percolationem huius ſolutionis per chartam emporeticam, inſtillauit ei tantum aceti vini deſtillati, vſque ad perfectam ſaturationem. Qua obtenta, neceſſaroi opus eſt, vt quadantenus plus acidi addatur, quam requiritur. Poſt ortam efferueſcentiam euaporationi exponi debet liquor ille in patella argillacea lento igne, ita, ne bulliat; quae euaporatio ad pelliculam vſque eſt continuanda, et tandem ad finem perducenda in balneo Mariae. Quo facto acquirit ſucceſſiue conſiſtentiam oleoſam, et colorem ſatis ſaturate fuſcum: inque ſuperficie albeſcens ſpuma formatur, quae ſeparata et refrigerata conſtare videtur ex congerie minimarum lamellarum ſplendentium, argentei coloris. Agitetur tunc liquor ſpatula eburnea, pro adiuuanda euaporatione, et ſic orietur leuis odor aceti praedominans, et fortior, quam in initio. Liquor ſucceſſiue ſpiſſeſcit, et in ſpumam conuertitur, ſimilem ei, de qua ante diximus, id quod finem operationis annunciat. Colorem album in hac terra fuſca proferendi, omnia chemicorum artificia, vt noxia, reiecit, et nil, niſi ſolutionem in aceto vini deſtillato et percolationem ſuadet.

64) *De ſpica ſecalina ex abſceſſu in muſculis glutaeis oborto, protracta;* Auctore Cl. IOH. GEORG. KILLMAR. Abſceſſu in viro quodam, qui in muſculorum glutaeorum regione ſedebat, curato; alius p. 299

 oriebatur

oriebatur, illis muſculis inſiſtens, qui ſinus varios efformauerat, ex quorum vno ariſtam ſecalinam forfice extrahebat chirurgus. Similia huius rei exempla ex aliis collegit ſcriptoribus A. E. BÜCHNER, et, vt ſcholion, huic obſeruationi addidit.

p. 239. 68) *Vomitus cruenti letalis a deglutito, et ventriculum ſucceſſiue fere perforante, oſſiculo veruecino producti hiſtoriam*, tradit Cl. IOANN. CASPAR SULZER. Femina vegeta et obeſa os, inter prandium, deglutiebat, cuius magnitudo et figura ignota erat, et, praeter leuem, inter deglutiendum, dolorem, nihil mali ſentiebat; qui augebatur tertio, et inprimis quarto die poſt, ita, vt ſuperior pars pectoris doleret, et cum ſumma difficultate liquida tantum deglutire poſſet. Haec tamen ſymptomata remittebant, et per aliquot dies aegra bene ſe habuit, vſque dum inopinato haemorrhagia narium ſequeretur, vomitus cruentus, anxietates, et animi deliquia: et inter grumos ſanguinis eiectos inueniebant adſtantes hoc oſſiculum poſt aliquot dies, ſumme foetens, carne adhuc adhaerente, quod pars ſcapulae veruicis, figurae quadratae oblongae, pollicem longitune aequantis, erat. Quamquam aegra, ſtatim poſt eiectionem, ſana videretur, tamen ſubito, recurrentibus prioribus ſymptomatibus, moriebatur. Sectione inſtituta, apparebant cor et vaſa maiora ſanguine vacua, ventriculus et inteſtina tenuia atro et copioſo ſanguine turgida. Ventriculus in fundo rimam habebat, duas tertias pollicis aequantem, tunicas omnes eius penetrantem. Hac occaſione quasdam quaeſtiones Noſter, vti, quonam tempore os deſcendit in ventriculum? Cur nullus in hoc adeo ſenſibili viſcere dolor per totum tempus? cet. addidit.

n. 72) *De tuſſi ſpaſtico-hypochondriaca cum febre maligna complicata* agit Cl. GODOFR. HENR. BURGHARDT. Puella nouem annorum vexabatur, tempeſtate valde frigida et humida, tuſſi vehementi ſpaſtica, ita, vt adſtantes ſaepiſſime conuulſiuos motus metuerent. Sequebantur motus febriles continui, purpura rubra, et demum alba: denique, die decimo ſeptimo, exanthemata, vt vocat, pemphigoidea, per quae intelligit veſiculas, lentium magnitudine, pellucidas valde, et aqua clara repletas. Quibus omnibus ſuperatis, tamen reſtitit tuſſis, ad quam remouendam adhibuit Noſter laxantia leniora, tonica, et expectorationem promouentia, quibus ſana poſt nouem dies reddebatur. p. 338.

75) *Siſyrinchii verum characterem naturalem genericum* proponit Cl. IOH. DAN. SCHREBER. Cum Cl. Auctor occaſionem nanciſceretur, in horto Ludwigiano Lipſienſi florem Bermudianae diſquirendi, ibi vero obſeruaret, longe alium eſſe, quam deſcriptum; non ſuperfluum duxit, eum hic cum lectoribus communicare, et inde characterem naturalem totius generis Siſyrinchii etc. hac ſpecie diſquiſita accurate conſtituere. Eſt vero ſequens: *Cal.* Spatha communis anceps, diphylla, valuulis compreſſis, acuminatis; *propriae*, lanceolatis concauae, obtuſae, vniflorae. *Cor.* Petala ſex, baſi coalita, oblonga, obouata, cum acumine, erectopatentia, plana. *Stamin.* Filamenti tubus triqueter baſi corollae inſertus, eaque breuior, apice leuiſſime trifidus: antherae tres, inferne bifidae, biloculares. *Piſt.* Germen obouatum, inferum. Stylus triquetro ſubulatus, longitudine filamenti; ſtigma ouato-trigonum, trifidum, erectum. Pericarpium et ſemina, vt in charactere LINNAEI. In corollariis additis, docet ſe obſeruaſſe, vnicum florem in S. Bermudiana quauis vice ſe ex- p. 341.

 pandere,

pandere, raro duos aut tres, porro florem quemque hora XI. matutina floreſcentiam abſoluere, et verſus noctem claudi; Corollam potius monopetalam eſſe dicendam, quam hexapetalam contendit; quoniam laciniae aperte baſi cohaerent, id quod et de Ixia valere cenſet. Addit vltimo loco explicationem figurarum, eleganter delineatarum. Tab. VI.

p. 371. 79) *Aegrae, morbo Pliniano laborantis, hiſtoriam* tradit Cl. GOTTL. HENR. KANNEGIESER. Morbus eſt ſcorbuti ſpecies, quam PLINIUS *ſcelotyrben* dixit, quem raro occurrentem vnica vice obſeruauit Cl. Auctor. Virgo quaedam, in vrbe quadam maritima, circa brachiorum iuncturas, carpum et digitorum articulos, diſtorſionem cum notabili partium elongatione experiebatur, ſuperueniente ſimili affectu circa genua; appetitus proſternebatur, flatus hypochondria infeſtabant, ſequebatur animi moeror, cor palpitabat per interualla, pulſus erat debilis et oppreſſus; et, adhibitis medicamentis tum purgantibus, tum diaphoreticis, malum tamen per aliquot annos durabat; vrina modo alba, modo tenuis, modo craſſa et rubicunda apparebat.

p. 424. 85) *De violenta lienis ruptura, ex lapſu oborta, vulnerata per nouem adhuc dies ſuperſtite.* Auctore Cl. WILHELM LUDOV. WILLE. Ruſticus, optima gaudens ſanitate, ponticulum ligneum transgredi volebat, et cum trabs momento fixum ſuum locum mutaret, lateris ſiniſtri inferiore parte acutam trabis oram ſuperruebat, et in terram procidebat ſyncopticus. Domum reuerſus, lypothymiae redibant, ſed, exhibitis aptis medicamentis, remittebant, et omnia ſymptomata mitiora erant: praeterea quod ſiniſtra faciei pars tumeret, et aeger de dolore lateris ſiniſtri conquereretur: quapropter nec ſe ad la-

tus

tus vnum vel alterum in lecto conuertere poterat. Inſtituta diſquiſitione, inuenit Noſter, coſtas quasdam ſpurias fractas eſſe, ſique aeger ſupine in lecto cubaret, bullientem aliquem ſonum in pectore audiri. Tertio die poſt accedebant vomitus bilioſi, ſequente die redeuntes, et poſtea aucti ſimul cum doloribus colicis; aeger porro duabus vicibus vltra libram vnam ſanguinis nigri et coagulati euomebat, nec non alimenta et remedia aſſumta, vſque dum nono demum die moriretur. Aperto cadauere, plurima viſcera ſana erant, exceptis inteſtinis, quae ſphaceloſa reperiebantur, et liene, qui in media parte ita diſruptus erat, vt in parte concaua paululum tantum cohaereret; colorem habebat ſubfuſcum et in durum quaſi haemiſphaerium conſtrictus erat. Integumentis abdominis diſciſſis, praeterea effluebant ex cauitate ipſa ſanguinis nigri et putreſcentis duodecim fere librae.

87) Cl. PETR. SIM. PALLAS *phalaenarum bigam deſcribit, quarum alterius femina, artubus prorſus deſtituta, nuda atque vermiformis, alterius glabra quidem et impennis, attamen pedata eſt, vtriusque vero ſine habito cum maſculis commercio foecunda oua parit.* p. 430. Tanta naturae miracula tamque varia detecta ſunt a recentiorum induſtria, vt vix quidquam, vtcumque inſolitum, et a generali naturae norma abludens, noſtro ſeculo paradoxum videri debeat. Quis enim quaeſo putaſſet vnquam phalaenam reperiri, non alis modo, cuius rei plura exempla in phalaenarum ordine reperiuntur, ſed pedibus, antennis cet. plane deſtitutam, et lepidopteri cuiusdam oua, vt aphidum, ſine coitu cum mare excludi. Species vero duae, hic deſcriptae, a Cl. Auctore circa Berolinum repertae ſunt, minorem tamen alibi quoque in aridis ſiluis campisque inueniri monet. Maior ſpecies

cies *Phalaena xylophthorus* ſ. *Phalaena bombyx alis depreſſis nigris*, *thorace cano villoſo*, minor *Phalaena caſta* ſ. *Phalaena bombyx tota fuſca, foemina aptera* ei dicitur. Laruae in folliculo e gramineis fruſtulis conſtructo habitant, et egreſſae, in vagina latitantes, oua pariunt, quae ſine vllo maris commercio foecunda eſſe, Cl. Auctor, cuius in obſeruandis corporibus naturalibus fides et induſtria nota ſunt, reperit *).

p. 437. 88) Cl. C. BÜCHNER *falſo creditam metamorphoſin ſumme miraculoſam inſecti cuiusdam Americani deſcribit.* Ex Cl. EDWARDS libro **) ea quae hiſtoriam inſectorum quorum cadaueribus clauariae ſpecies innaſcitur ſpectant excerpta hic traduntur. Ab Anglis muſca vegetans, *the vegetable fly* dicitur. Sunt tamen non muſcarum ſed cicadarum cadauera.

p. 442. 89) *Spicilegium circa ſaponum hiſtoriam* proponit Cl. IAC. REINBOLD. SPIELMANN. In originem ſaponis inquirens, oſtendit, primum ſaponem ex ſeuo et cinere conſtitiſſe; chemia autem culta, varios eum praeparandi modos ſurrexiſſe. Notum eſt itaque, ſaponem ex alcali et pinguedine conſtare; cum vero alcali ſit vel fixum, vel volatile, pinguedo ſiue vnguinoſa, ſiue odorata, inde quatuor ſaponum genera

*) Minorem ſpeciem accurate deſcripſit Cl. CAIET. MONTI in Comment. Acad. Bonon. Vol. V. P. I. p. 333. vid. Comment. noſtr. Vol. XVII. p. 586. qui tamen coitum inter foeminam, in folliculo latentem et marem alatum vidit, ita vt omnino tota haec res vlterioribus experimentis confirmari debeat.

**) vid. eiusdem Gleanings Vol. III. p. 262. tab. 335. Comment. Vol. XIII. p. 123. quibus addi poſſunt ea, quae Cl. WATSON de hac productione naturali habet, in Phil. Tranſact. Vol. LIII. p. 271. Comment. noſtr. Vol. XIII. p. 674.

genera parari poſſe, facile patet. Ob meliorem combinationem efficiendam pinguedinis, quidam commendant calcem viuam, quam praeparationem Noſter, vt ſuperfluam, reiicit. Praeterea varia experimenta addit, cum alcali vario inſtituta, quae mutationes ſaponis, et compoſitionis differentias clare demonſtrant. Omnes porro liquores acidos, et oleoſos diſquiſiuit, quatenus plus vel minus contineant ſaponis; et vltimo loco oſtendit, omnes ſapones, quales ars parat, naturam in animali et vegetabili regno producere; prius probant humores animalium inquilini; poſterius reſinae, olea odorata, qua in re cum Cl. KUCHELBECKER conſentit.

90) *De fetu bicipite humano*, Auctore Cl. SPRINGSFELD. Obſeruationem hic ſingularem communicatam legimus, quam Cl. Auctor Tab. VIII. et IX. adiectis illuſtrare ex icone huius fetus annititur. p. 459.

91) *De pede, praegreſſa gangraena, infra ſuram ſponte delapſo;* Auctore EODEM. Cum varii auctores exempla gangraenae ac ſphaceli ſicci ſeu lenti, vt vocant, rarius occurrentis, referant; et Cl. Auctor occaſionem habuerit, talem caſum obſeruandi, non ſuperfluum duxit, hanc ſuam obſeruationem cum aliorum exemplis comparare, et hic publici iuris facere. Hiſtoria morbi haec eſt: Femina, iunioris aetatis, leuis ac diſſoluti animi, media hyeme, quum niues omnia obtegerant, iter, ſatis longum, pedibus conficere cogebatur. Quo factum eſt, vt, cum minus bene veſtita eſſet, pedum digitos frigore haberet enectos, quos fornaci, more vulgari, admouit, et, incongrue applicatis remediis, ſanitati reſtituere tentavit. Hinc inflammatio, a digitis incipiens, vtrumque pedem inferiorem occupabat, in gangraenam p. 464.

abiens

abiens, quae ſenſim ad ſuras vſque aſcendit; quamquam, rebus ſic ſe habentibus, plus vna vice morti proxima eſſet, nihilo tamen minus iter, quod pedibus vltra ſuſcipere non poterat, curru vecta finire tenebatur. In tam miſero ſtatu Weiſſenfelſam venit, et chirurgo tradebatur; qui, cum videret, inferiores pedes ſphacelo eſſe corruptos, gangraenam tamen non vlterius progreſſam eſſe, de amputatione pedum cogitabat. Aduocatus Noſter inuenit, pedes aridos, inſtar mumiae et linguae bouinae, fumo induratae ſimiles; fibulam et tibiam autem carne prorſus denudatas, tamen non carioſas, et gangraenae terminum, quo hæc perſiſtebat, internoſcere poterat; ob limbum carnis ſuperioris, tumidum quidem, ſed rutilum et mundum; qualis in vlcere, ad ſanationem properante, obſeruatur. Foetor, ex partibus carnoſis demortuis ſpirans, ingratus erat, peculiaris tamen, et quodammodo diuerſus ab eo, qui alias in ſphacelo, corruptis partibus, obſeruatur. Diſſuaſit, omnibus perpenſis, et inprimis Cl. SHARP, chirurgi Anglici conſilio hac in re fidens, amputationem, auctorque erat, vt ſeparationem ſpontaneam partium corruptarum expectaret chirurgus; ſimulque fomento, ex herbis amaro aromaticis, et aqua calcis viuae, atque ſpiritu vini parato, addito ſale et aceto, partem ſanam foueret ac defenderet. Corticem Peruuianum ex mente Cl. SHARP omiſit, cum in hac ſpecie gangraenae parum prodeſſe contendat. Poſtridie pes dexter ſponte delapſus eſt, infra ſuram, cum fragore quodam, dum aegra in lecto ſe vertere voluit. Paucus ſanguis ex arteria tibiali effluebat, qui tamen, compreſſione et ligatura, ſtatim coercebatur; et aegra de reliquo bene valebat. Truncus erat aequalis, rotundus, velut optime amputatus, oſſa tibiae et fibulae intra carnes latebant, et bene rubebant; et fines eleganter ſerrati conſpi-

conſpiciebantur. Natura, poſt paucos dies, obduxit partes carnoſas, tandemque etiam oſſa truncata, et membrum hoc perfecte ſanabatur. Pedem ſiniſtrum amputauit chirurgus, diuturnae forte curationis pertaeſus, qui ſine dubio pari modo delapſus fuiſſet, cum omnia hoc in pede ita, vt in dextro eſſent. Pedem dextrum icone repraeſentauit ita, vt poſt delapſum obſeruatus eſt; Tab. X.

92) *Obſeruatio* IOH. CHRIST. DAN. SCHREBERI, ſiſtens *ſtirpium obſcurarum aut nouarum illuſtratarum Decuriam I.* Plantae, quarum amplam deſcriptionem hic proponit, ſunt: *Antirrhinum molle. Onoſma cinerea; Cynogloſſum racemoſum, et criſtatum: Trifolium grandiflorum: Arenaria graueolens: Linum arboreum: Galium iunceum: ſaluia cretica: Lobelia laurentia.* p. 473.

94) Cl. PHILIPP BERNHARD PETTMAN *obſeruatio de fetu in vtero, ſine cranio et cerebro, viuente et ſe agitante.* Cum fetus hic ſeptimeſtris ad quem, ex vtero ſoluendum, Noſter acceſſebatur, vere ſe mouit, et vitae dedit documenta; concludit Cl. Auctor, in cerebelli portione exigua, et medulla ſpinali praeparationem ſpirituum animalium factam eſſe. p. 493.

101) *Singulares quasdam obſeruationes anatomicas* proponit Cl. IOH. IACOB HUBER. In cerebro pueri trium annorum inuenit tumorem durum, glanduloſum, qui colore, duritie et reliquo habitu ex glandularum conglobatarum genere cuidam ſimilis erat. Septum lucidum in alio obſeruauit duplex. Alia praeterea in cauitate thoracis et abdominis praeternaturalia inuenit, quae ſilentio praeterimus. p. 533.

In appendice ad Tomum tertium continentur inter alia haec:

p. 1. 1) IOH. CARL. WILH. MOEHSEN, M. D. etc. *Commentatio de Medicis equeſtri dignitate ornatis. Spec. I.* *)

p. 91. 2) IULIUS ERNESTUS DE SCHUTZ *oratio inauguralis de terra miraculoſa Saxoniae: an ſteatites ſit?* De terra illa miris colorum varietatibus ludente, diſputat, quam RICHTERUS Schneebergenſis gemmarum pretioſarum Inſpector olim nomine *terrae miraculoſae* Saxonicae deſcripſit, locum ipſum natalem huius terrae celans. Docet vero Ill. Auctor ex Cl. SCHUTZII ſuisque propriis obſeruationibus, eam in prato iudiciali circa Planitium prope Zwickauiam, non tamen in ſtratis, ſed in anguſtis venis reperiri. Lapis magis eſt, quam terra. In aqua non diffluit, vel tota liqueſcit, aquae tamen argilloſum guſtum et odorem tribuit, et illam pinguedinoſam quaſi reddit. In igne, inprimis ſi leniore tractatur, indureſcit; cum acidis non efferueſcit, et ferri veſtigia chemice examinata oſtendit. Non lithomarga eſt vti LUDWIGIUS in opere de terris et poſt eum VOGELIUS aſſeruerunt, cum loco natali et partibus conſtitutiuis differat. Neque vt idem docuit, poliendo lapidi ſerpentino Zoeblicenſi inſeruit. Vtuntur vero tornatores dicti lapidis, lapide qui etiam circa Planitium reperitur et ſtratum ſchiſti lithantracibus incumbentis, ignis ſubterranei vi vſti et indurati ſiſtit. Fibrae metallicae in huius terrae vel lapidis venis reperiundae impediunt, quo maiora fruſta ex eo acquiri poſſint, imo, ſi

*) vid. Comment. hor. Vol. XVI. p. 678 ſeqq. vbi haec commentatio iam excerpta inuenitur.

ſi igne tractetur, eum in plura fragmenta diuidunt. Longe tamen maiora reperiri, ſi profundius diſquirantur eius venae, Cl. Auctor ſuſpicatur.

3) ZACHARIAE VOGEL *commentarius de ſarcocele eiusque origine, incrementis et curatione, ſecundum leges artis inſtituenda.* Plurima ex his iam in germanico opere *) continentur. p. 4.

4) *Hiſtoria febris malignae, quae in vrbe et agro Iſenacenſi annis* 1769. 1770 *et* 71. *epidemice graſſata fuit*, conſcripta a IO. FRIDER. GRIMM. Erat febris acuta malignae indolis, variis ac grauioribus ſymptomatibus ſtipata, ad quae in plurimis accedebant petechiae, diarrhoea putrida, aliaque, quae omnia putridam humorum reſolutionem indicarent. p. 145.

5) *Hiſtoria dyſenteriae malignae, quae auctumno annorum* 1770 *et* 71. *ibidem graſſata fuit.* Auctore EODEM. p. 172.

6) EIUSDEM *hiſtoria morbillorum Iſenaci et in vicino agro* 1762. *maligne graſſantium.* p. 185.

7) IOH. PETR. EBERHARD *animaduerſiones contra legem motus, quod ſummae virium in corporibus elaſticis poſt conflictum ſemper ſint aequales.* p. 203.

8) MORBONAE RITTERI *prodromus, ſyllogen medicorum nonnullorum, qui et de propriis morbis, et de viribus medicamentorum in iis diſſeruere ipſi, alphabetico ordine ſiſtens, cum quadruplici indice.* p. 213.

9) *Sy-*

*) *Anatomiſche chirurgiſche und mediciniſche Beobachtungen*, p. 79. 82. cet. vid. Comment. noſtr. Vol. IX. p. 118 ſeqq.

p. 349. 9) *Synopſis methodica, ſtirpium agri Iſenacenſis* conſignata a Cl. IOH. FRIDERIC. GRIMM. Plantae rariores, quas ibi inuenit, ſunt praeter alias, quarum copia inſignis eſt, hae: *Salicornia virginea, Veronica ſcutellata: Circaea alpina: Valeriana dentata: Laſerpitium prutenicum, Dianthus ſuperbus, Crataegus Aria, Adonis annua, Dentaria bulbifera,* aliaeque.

p. 365. 10) *Hiſtoriam de iſchuria veſicali periculoſiſſima ob proſtatae fungoſitatem, et abſceſſum enormem exorta, animaduerſionibus ad vſum praeceptorum artis ſpectantibus, illuſtratam,* tradit CHRISTOPHORUS MOLINARIUS.

p. 397. Sequuntur nunc: *Memoria* IOH. HIERON. KNIPHOFII, IOH. DE GORTER, IOH. FRID. WEISMANNI, et IOHANNIS GOTTLOB KRÜGER.

p. 445. Vltimo denique loco inuenimus: Cl. b. CHRISTOPH. IACOB. TREW. *Apologiam et mantiſſam obſeruationis de Cedro Libani* *), *et Cedrorum Libani hiſtoriae.* **) Quinque genera nobiliora arborum in monte Libani creſcere, in ſcriptura ſacra refertur; quae, ex mente OLAI CELSII, ſunt Abies ſ. Cedrus Libani, 2) Pinus; 3) Lignum pretioſum, an Santalum? 4) Tidhap, quod declaratur pro nomine ſignificationis obſcuriſſimae; denotat enim buxum, vlmum, pinum, fagum, Laricem, ſapinum etc. et quinta ſpecies Teaſſchur, quod nomen variae interpretatur

*) vid. Act. N. C. nov. Tom. I. Obſ. Cl. p. 409 ſeqq. Tab. VIII. IX. Comment. noſtr. Vol. VII. p. 147.

**) Quae continet eandem obſeruationem ſeu hiſtoriae partem alteram, iisdem verbis ac tabulis in ſchediaſmate peculiari a bibliopola excuſam; Norimb. 1767. 4.

pretatur. Hac re commotus in prima iam tractatione ſtuduit Cl. Auctor, characteres proprios diſtinguere cedri, laricis, pini et abietis rubrae et albae; cum inueniret arborem, in Libano creſcentem, diuerſam ab omnibus reliquis, antea recenſitis, nobilioribus; quapropter et nunc maioris illuſtrationis cauſſa nouas addidit icones. Putat, omnibus rite perpenſis, et cum eo Cl. CELSIUS, hanc cedrum Libani nil eſſe niſi pinum vulgarem; cumque in nouis litterariis Goettingenſibus recenſionis, lucubrationis illius Ill. TREWII, Auctor de veritate huius afferti dubitaret, nunc hoc ſpecimine apologiam propoſuit Cl. Auctor afferti ſui, et Cl. CELSII, et veritatem eius argumentis ſat firmis demonſtrat.

X.

Die angewandte Electricität bey Krankheiten des menſchlichen Körpers von IOHANN FRIEDERICH HARTMANN *Königlich. Churfürſtlich. Commiſſario der Hoſpitalcaſſe zu Hannover etc. Hannover,* 1770. 8. *m. K. Seit.* 304. *ohne Vorrede und Innhalt.*

i. e.

De electricitate medica Auctore IOH. FRIEDERIC. HARTMANN.

Quamquam Cl. Auctor Noſter medicinam non coluit, tamen, cum rerum phyſicarum amicus ſit, non potuit non, feliciter inſtituta ac notatu digna experimenta cum electricitate medica in corpore humano ad eius morbos debellandos communicare. Aſſenſum celeberrimorum medicorum hac in re nactus eſt, et Cl. GESENIUS medicus aulicus Hannoueranus plurimis his experimentis, vti ex praefatione intelligitur, interfuit laudatque hoc aſſi-

duitatis ſtudium, atque diligentiam, quibus a Noſtro haec experimenta ſunt facta.

p. 1. In prima itaque ſectione effectus electricitatis in corpore humano omnino conſiderantur, vbi commoda ac incommoda eiusdem recenſentur. Promovet nimirum perſpirationem ac reddit paralyticis motum. Sanguinis circulum dum auget ac ſe et excretiones omnes, iuuat ea hypochondriacos, hyſtericos, melancholicos omnesque ſpiſſitudine ac ſtagnatione humorum laborantes. Sanguis enim vehementius proruit e vena aperta, electricitate applicata corpori. In paralyſi, conuulſiuis ac ſpaſticis motibus, nec non arthriticis inſultibus eius vtilitas cernitur in irritandis neruis eorumque fluido diluendo ac mouendo, atque tono partibus reſtituendo. Hoc fieri poſſe ope electricitatis, ex eius ſubtilitate ac omnium corporum poroſitate, per quam materia electrica facile penetrare poteſt, probatur.

p. 29. In altera ſectione regulae a Noſtro, inter electricitatem applicandam traduntur. Electricitas ſit ab initio ſimplex, dein ſubinde aucta. Vtraque haec electricitas viciſſim eſt applicanda corpori, ac interea paululum interrumpenda, inprimis ab initio. Mediocriter fortis electricitas a Noſtro ſuadetur. Ad quam definiendam opus eſt electrometro, quem Cl. Auctor hic deſcribit ac aeri incidere curauit. Aucta, inter vſum electricitatis, aegri debilitate, medicamenta interne ſedantia propinanda externe in paralyticis oleoſa applicanda ſunt. Quemadmodum electricitas ſubinde augenda, ſic ea, aegro ſanitati reſtituto, ſenſim imminuenda eſt. Si diu electricitate vtendum eſt, ea magis magisque ſucceſſiue eſt augenda. Si ter quaterue applicata electricitas tam ſimplex, quam compoſita, vtraque viciſſim, nullius eſt effectus vtraque paulatim eſt augenda, electro-

electrometro tamen non plus, quam 70 gradus, adiuncta lagena electrica, monſtrante. Alias enim vaſa ſubtiliſſima ad rupturam diſponuntur ſeu perioſtium laeditur. Si ſuccuſſus aegro ſint intolerabiles, eos mitigare oportet. Nimis aucta aegri debilitate, per tempus electricitas eſt intermittenda. Trigeſies applicata electricitas, vbi ſingula quinquaginta ſuccuſſus electricos praeſtitit, ſufficit, ac ſi quoque nullus effectus ſequitur, tamen cum ea non continuandum vlterius eſt ob varia damna, tum in corpore oriunda. Alias accedentibus ſymptomatibus, vt haemorrhagia, diarrhoéa, vomitu, electricitatis vſus eſt differendus, In arthriticis, ſpaſticis ac paraliticis inſultibus compoſita ſimplici electricitati, in capitis affectibus contra ſimplex compoſitae eſt anteponenda. Saltim primum ſimplex, in picem, dein fortior quodammodo, vt in morbis aurium, oculi. Octies fruſtra applicata electricitas non tollit eius vſum, nec non morbus grauior redditus, ſed eſt continuanda, vti ſupra monuimus. Si aeger ad apoplexiam aliquam prodit procliuitatem, poſt apoplexiam electricitas in auxilium eſt vocanda. Addit quoque hunc in finem Noſter obſeruationem aegri, ad apoplexiam diſpoſiti, vbi electricitas nocuit.

De morbis per electricitatem curabilibus agitur in tertia ſectione et quarta; atque haec potiſſimum Noſtri aeque ac aliorum obſeruationes complectitur et collectionem obſeruationum ad electricitatis medicae hiſtoriam non ſolum magnam, ſed vtiliſſimam lectuque dignam in ſe continet. Nos vero, breuitate coacti, non poſſumus non, quaedam ſolummodo exempli loco, cum noſtris Lectoribus communicare. Poſſimus quidem de ordine, quo haec tractatio eſt abſoluta, aliquid monere, nec non de dicendi genere ac nominibus mor- p. 45.

 borum,

borum, quae nobis vaga interdum videntur. Cum autem Cl. Auctor non coluerit medicinam, his admonitionibus ſuperſedere poſſe arbitramur.

p. 49. Vtilitas electricitatis ſpectatur hic *in ſtagnatione ſanguinis et ſuccorum nutrititiorum, non autem fluidi neruei.* 1) In obſtructione pororum, qui, electricitate aperiuntur, et ad ſudorem inuitantur. 2) In obſtructionibus inteſtinorum, quae, ſucco nutritio aucto nimis, motum periſtalticum impediunt. Electricitate enim ſimul, cum aliis internis remediis in auxilium vocata, irritantur inteſtina ac motus periſtalticus excitatur. 3) In obſtructionibus ſanguineis vtriusque ſexus, haemorrhoidalibus ac hyſtericis affectibus. 4) In viſus hebetudine, eadem ab cauſſa profecta.

p. 80. Porro electricitas medica prodeſſe dicitur hypochondriacis. Paralyſi brachii ſiniſtri laborans ſacerdos liberatur non ſolum ab ea, ſed etiam ab hypochondriacis affectibus.

p. 81. Ea rurſus vtilitatem prodit in variis affectibus ſine paralyſi e. c. inſomniis, in diuerſis febrium ſpeciebus, in oedematoſis tumoribus, aliisque morboſis corporis humani affectibus, potiſſimum a debilitate neruoſa natis.

p. 297. Obſeruationibus, quarum numerus eſt 163, electricitatem medicam illuſtrantibus, finitis, Auctorum nomina, qui de hoc auxilio poſteritati ſcripta reliquerunt et a Noſtro hic commemorati ſunt, ordine alphabetico Cl. HARTMANN indicat.

XI.

XI.

A new ſyſtem of midwifry, in four parts; founded on practical obſervations: the whole illuſtrated with copper plates. By ROBERT WALLACE IOHNSON M. D. London printed for the Author and ſold by D. Wilſon and G. Nicol. 1769. 4 mai. 2 Alph. 10. pl. tab. aen. 10.

i. e.

Nouum artis obſtetriciae ſyſtema in quatuor partes diuiſum, obſeruationibus practicis ſuperſtructum et figuris aeneis illuſtratum. Auctore Cl. R. W. IOHNSON. M. D.

Inter tot egregia artis obſtetriciae ſyſtemata, quae recentioribus temporibus publicata ſunt, ſplendidum, quod nunc indicamus, opus non vltimum occupabit locum. Multas enim easque egregias obſeruationes anatomicas et phyſiologicas, nec non practicas continet, a Cl. Auctore, qui ipſe artem obſtetriciam exercet, factas, quibus varias annotationes a Cel. HUNTERO fratreque eius Cl. ſibi communicatas IOHNSONIUS addidit. Deſideramus tamen in hoc libro comparationem eorum, quae hic traduntur, cum iis, quae ab aliis recentioribus Gallicis et Germanis ſcriptoribus propoſita fuerunt, miramurque inprimis ſummam illam negligentiam qua vocabula plurima latina vel graeca ſcripta ſunt, cum *muſcilago*, *glyſteres*, *eminagoga*, *anticeptica* etc. ſaepius hic occurrant.

Complectitur vero hoc opus omnem ambitum artis obſtetriciae doctrinamque de morbis grauidarum atque puerperarum et de variis aliis morbis quibus

foemineus ſexus obnoxius eſt. Hinc primo libro lumbalis ſpinae dorſi pars, peluis oſſea, partes molliores in pelui contentae, cauitas peluis in vniuerſum, organa generationis et caput fetus deſcribuntur, nec non de catameniis, conceptione et vita fetus in vtero diſputatur. Secundo libro de morbis grauidarum, tertio de partu iisque quae in omnibus eius ſpeciebus obſeruanda ſunt, et quarto denique de morbis puerperarum et variis aliis vteri morbis agitur.

p. 5. In anatomica partium deſcriptione cauitas quoque abdominis in vniuerſum, muſculi pſoas, ligamentum POUPARTII, peritonaeum, veſica vrinaria et inteſtinum rectum, tanquam partes vtero vicinae et cum eo ex parte coniunctae deſcribuntur. Magnitudinem capitis fetus cum magnitudine aper-
p. 23. turae peluis in tribus exemplis comparauit. Ligamenta vteri rotunda quorum vltimae fibrae in monte veneris diſtribuuntur, coitus tempore vterum deorſum trahere et tubas FALLOPII excitare, quo
p. 28. ouum foecundatum ſuſcipiant, Auctor Cl. putat. Venarum orificia, quae in cauitatem vteri hiant, ſedulo deſcribit, et ſinus ſic dictos vteri ex dilatatis venis tantum oriri confirmat. Catamenia quoque non ex arteriolis, ſed ex venarum in vterum patentibus oſtiolis profluere, pluribus demonſtrare annititur.

p. 40. In explicatione negotii generationis diuerſae ſuper hac re ab aliis propoſitae hypotheſes enarrantur. Ipſe vero Cl. Auctor putat ſemen non per tubas Fallopianas ex vtero ad ouarium deferri, quo ouum ibi foecundetur, ſed maximam partem huius liquoris, in cauitatem vteri et vaginam coitus tempore delati, ex vtero, partem etiam ex vagina, per venas reſorberi et ad ouum in ouario contentum deduci; quo cum deuenerit ouum eius ope foecundatur

foecundatur i. e. organa eius vitalia ad motum excitantur, et vis prolifica embryoni futuro communicatur, ouumque nunc a tubis Fallopianis ſuſcipitur et ad vterum defertur. Hanc ſeminis e vagina et vtero reſorptionem per venas probat Cl. Auctor ex eo, quod ſaepius foecundatio facta ſit hymene adhuc integro. Porro membranam illam quae chorion p. 57.
exterius inueſtit et quam HUNTERUS *caducam* ſiue *deciduam* vocat, partim ex eiusdem Cel. HUNTERI, partim ex ſuis obſeruationibus deſcribit. Ea vbi ad placentam accedit in duas laminas diuiditur, quarum vna placentam exterius obducit, altera vero ſiue interior in filamenta vaſaque alba abit, quae ipſam placentam intrant, et vel in eam diuiduntur vel chorio inſeruntur. In multis ouis abortu reiectis p. 58.
Cl. Auctor paruum corpus, magnitudine grani hordei, intra chorion et amnion ad pollicis a funiculi vmbilicalis diſtantiam obſeruauit, ex quo vaſculum ad radicem funiculi vſque protenditur.

Modum inſertionis placentae et communicationis eiusdem cum vtero ſequenti modo ex obſeruationibus Cel. HUNTERI deſcribit*): Corpus placentae ſpongioſum eſt, ſuperficieque ſua ſpongioſa internae ſuperficiei vteri ita adhaeret, vt arteriae vteri in celluloſa interſtitia placentae ſanguinem effundant. In easdem vero cellulas etiam venae placentae patent, et ſanguis ex placenta in illas tranſit, atque ad cor matris transfertur. Hinc circulatio per cellulas placentae eadem ratione peragitur, qua per corpora penis cauernoſa fieri ſolet. Praeter hanc vero alia quoque circulatio in placenta obſeruatur, quae ope arteriarum fetus fit, quae in cellulas et venas communicantes ſe diſtribuunt. Venae autem illae ſanguinem fetus vna cum nouo ſanguine per arterias vteri allato ad fetum reducunt.

*) Confer. quoque Ill. HALLERI *Elem. Phyſ.* Tom. VIII. p. 220. in addendis.

p. 66. His expoſitis, Cl. IOHNSON ex variis Auctoribus ſucceſſiuas mutationes fetus deſcribit, quibus ſuas in variis ouis abortu excuſſis obſeruationes addit. Fetuum quoque variorum pondera indicat, embryonisque; aquarum et ſecundinarum pondera p. 67. inter ſe comparat, ex quibus patet, in initio formationis fetus aquarum pondus maximam rationem ad fetus corpuſculum habere, cum pondus fetus decima hebdomate grauiditatis ad liquoris amnii pondus ſit vti 1 ad 168 et ad ſecundinas vti 1 ad 100; ab hoc vero tempore ſubito ita decreſcit, vt poſt tertium menſem iam aequalis ſit fetus ad liquorem amnii ratio, a quo tempore deinde fetus aquarum pondus longe ſuperat. Fetus generatio ſucceſſiue ex Cl. Auctoris mente ſit, et cor inter omnia viſcera primum formatur.

p. 99. Secunda parte de ſignis conceptionis et morbis p. 104. grauidarum Cl. Auctor exponit. Prima ſymptomata, quae foeminas, quae conceperunt, moleſtant, *febrem generantem* appellant. Calculum feminis grauidis moleſtum paruae forcipis ope ex vrethra protrahere iubet, qua forcipe etiam ad paruos fetus abortiuos, in orificio vteri haerentes, extrahendos vtitur. Placentae vero in hoc caſu relictae expulſionem vel naturae relinquit, vel iniectionibus promouet, vel etiam dicta forcipe, ſi iam ſoluta ſit, et tantum in orificio retineatur, peragere tentat.

p. 159. Tertia parte de partu exponit, breuemque artis obſtetriciae hiſtoriam praemittit, et ab HIPPOCRATE initium facit; varias inprimis lites, quae circa praeſtantiam partus agripparum et verſionis inter medicos obſtetricios actae ſunt, ſedulo deſcribens. Circa forcipis inuentionem monet ante CHAMBERLAINIUM iam chirurgum quendam

DRINK-

DRINKWATER Brentfordi habitantem forcipe vſum eſſe, quae cum CHAPMANNI et GIFFARDI forcipe conueniret. Mortuus eſt ille anno huius ſeculi viceſimo octauo, ſed iam ab anno praecedentis ſeculi ſexageſimo octauo artem obſtetriciam exercuit.

His praemiſſis, Cl. Auctor noua quaedam inſtrumenta deſcribit, quibus ipſe artem obſtetriciam emendare et augere voluit. Ex his primum eſt forceps, quae cum Smelliana conuenit, ſed magis incuruata eſt, cochlearia quoque magis ſurſum inflexa et in apice obtuſiora iuncturaeque inciſio profundior eſt. Corio vt Smelliana tegitur. Reliqua inſtrumenta ſunt perforatorium, extractoris ſpecies, ſeu embryulcus, qui cum extractore LEURETI, quem *tire-tête à baſcule* vocat ſatis conuenit, catheter, peſſarium et forceps illa parua, de qua ſuperius expoſuimus. Caput fetus, vt plurimum, durante grauiditate deorſum ſpectat, et in partu aperturam peluis eadem ratione intrat, qua OULDIUS hoc fieri aſſeruit, ita ſcilicet, vt facies os ilium, vna auris oſſa pubis, et altera os ſacrum ſpectet. In extractione placentae cautam expectationem commendat, interim ſi ſponte non ſequatur, manuum ope eam ſeparat. Compreſſionem vero abdominis in vniuerſum ad expulſionem placentae promouendam multum commendat. Non placentam ſolum ſed et fetum, vtero in media parte contracto, quaſi incarcerari poſſe vidit. Cum enim in verſione, ob haemorrhagiam, quam a ſoluta placenta oriri ſuſpicabatur, praeſtanda manum in vterum immitteret, inſignis quidem profluebat liquoris amnii copia, interim in ea cauitate nullum fetum reperit; aderat tamen in ſuperiore parte orificium aliquod, quod ad alteram cauitatem ducebat, in qua placenta vna cum fetu latebat. In natibus praeuiis ex conſilio Cel. HUNTERI totum negotium

p. 173.
p. 184.
p. 205.
p. 226.

tium naturae committit. Putat enim a verſione maius periculum non ſolum matri, ſed et praecipue fe-
p. 245. tui imminere. In partu gemellorum ligaturam funiculi verſus placentam, quam nonnulli in hoc caſu neceſſariam eſſe putant, ſuperfluam eſſe iudicat. Ea enim neglecta vnicam tantum vnciam ſanguinis pro-
p. 277. fluere vidit. In partu difficili, vbi facies verſus os ilium vel pubis vel oblique inter has partes directa fuerit, rarius forcipe vſus eſt Noſter, et totum potius partum naturae vi relinquere mauult. Cochlearia forcipis quoque dum introducit, non altera manu ad iter forcipis dirigendum vtitur, cum ea nimis magnum ſpatium occupet, ſed cochlear ſolum introducit, ea tantum cautione habita, vt illud quantum fieri poteſt, capiti infantis applicet, ne orificii vteri vel vaginae pars laxa prominens inter forcipem et
p. 284. caput fetus comprimatur. Cel. HUNTERUS in muſeo ſuo peluim oſſeam ſeruat cuius aperturae diameter vnum tantum pollicem aequat. In perforatione et extractione capitis e quo cerebrum exemtum eſt abſoluenda, non ſtatim poſt perforationem vncus applicandus eſt, ſed expectandum eſt, quo vterus caput comprimat, et reliqua extractio eo fe-
p. 288. licius peragi queat. Pluribus verbis modum deſcribit, quo operator immiſſa manu peluis aperturae ambitum menſurare et ex hac menſura ad rationem, qua feminae auxilium praeſtandum eſt, con-
p. 294. cludere poteſt. In caſu dubio; ſi periculum matri immineat, non ſigna mortis fetus expectet obſte-
p. 301. tricans, ſed ſtatim embryulco vtatur. In capite abrupto perforationem in cranii baſi inſtituit, et per foramen deinde vncum obtuſum (*blunt-hook*) immittit, quod tutius applicatione vnci incurui Smel-
p. 303. liani eſſe iudicat. In operatione caeſarea inciſio non oblique inter vmbilicum et ilium, ſed ſecundum lineam albam inſtituatur. Hac enim ratione non-

nulli rami arteriae hypogaſtricae euitantur, nec inteſtina in operatione ipſa erumpunt et obſtaculum faciunt.

In quarta parte morbi puerperarum explicantur, pluribus remediorum formulis, quibus Cl. Auctor vtitur, immixtis. Inprimis fuſius de diarrhoea agit, ſignaque quibus, num ea ab alimentis indigeſtis, vel a lacte, vel ab obſtructa perſpiratione, vel animi affectibus orta ſit dignoſci poteſt, explicat. In abſceſſibus mammarum turundas et eſcharotica plane reiicit, et ſolis cataplaſmatibus vtitur. Qua occaſione monet cataplaſmatum applicationem etiam in vlceribus pedum et vulneribus recentibus inprimis poſt amputationes vtiliſſimam eſſe. Poſt amputationes tamen vulnus balſamo aliquo vulnerario ſingulas ante cataplaſmatis applicationes inungatur. Lochiorum copiam ſollicite definire ſtuduit, vix tamen in his aliquid pro certo aſſumi poſſe, experientia docet. In puerperis ex lochiorum ſuppreſſione demortuis ſaepius non vterum, ſed inteſtina inflammata reperiri, quae inter ſe et cum peritonaeo cohaereant, nec non magnam liquidi ſeroſi in abdomine effuſi copiam Auctor Cl. adeſſe monet. Qua tamen in re eum Cl. HULME obſeruationibus in libro de puerperarum febribus proxime indicando prolatis, vſum eſſe, non ſine ratione ſuſpicamur. Febrem miliarem criticam reperiri, quae a ſymptomatica, quae ſudore et calido regimine tantum producitur, differat obſeruat. Commendat vero in ea, propria ſuffultus experientia lenia diaphoretica, et acida nocere confirmat. Vidit hanc febrem oriri ſine vllo vitio regiminis vel methodi medendi, et fluxu lactis lochiorumque non ſuppreſſis, ita vt omnino miliaria exanthemata idiopathica inueniantur. In ſcirrho vteri carcinomatis ſymptomatibus ſtipato optimo

p. 315.
p. 323.
p. 336.
p. 339.
p. 350.
p. 366.
p. 424.

optimo cum ſucceſſu iniectionibus ex malua et arte-miſia cet. vſus eſt. Adhibuit tamen etiam iniectiones ex aqua phagadaenica et melle, atque clyſmata, quibus opium addidit, et interne lenia purgantia, nec non aethiopem antimonialem dedit.

XII.

Seltne Wahrnehmung eines an der Zunge ſeit 24 Jahren aus dem Munde hervorgehangenen Fleiſchgewächſes von neuntehalb Loth, welches den 14 nov. und 6 decembr. 1769 Jahres bey einer ſieben und zwanzigjährigen Soldatentochter glücklich abgenommen und geheilet worden, nach allen dabey vorgefallenen Umſtänden ausführlich beſchrieben und erklärt von D. CHRISTOPH GOTTLIEB BÜTTNER. *bey D. Zeiſens Wittwe und I. H. Hartungs Erben Königsberg,* 1770. 4. *Seit.* 55.

i. e.

Rara obſeruatio cuiusdam ad linguam intra 24 annos ex ore dependentis ſarcomatis quatuor vnciarum ac dimidiam cum duobus drachmis, quod die 14 nouembris et 6 decembris 1769 in filia militis viginti et ſeptem annorum feliciter eſt exſtirpatum atque ſanatum et ſymptomatibus omnibus, hic intercurrentibus, accurate deſcriptum ac explicatum a Cl. CHRISTOPHORO GOTTLIEB BÜTTNER.

Deſcribitur itaque primum hoc non omni ſenſu priuatum ſarcoma in hac virgine, et tres pollices longum totidem, latum, ſiniſtrorſum vnum, extrorſum duos craſſum erat quod pendebat ex ore ſupra maxillam inferiorem. In parte ſuperiore tumor

erat

erat durus, in inferiore laeuis ac mollis. Aegra poterat maſticare; deglutire, reſpirare ac loqui. In apice linguae nullum habebat illa ſaporem, in radice contra optimum. Caeterum valida, iuſto modo nutrita erat ac omnino ſana per totum corpus, menſtruaque rite a decimo ſeptimo aetatis anno fluebant. Antequam autem ea apparuerint, hoc ſarcomate in dies creſcente (creuerat enim a quarto aetatis anno ſponte vſque ad vigeſimum ſeptimum ac quotidie mole augebatur) ſaepe dolebat illud, nec deſinebat prius dolere, quam ſanguis ex apice illius emanabat; nec id fiebat raro, nec parum. Simulac autem catamenia proruperant, vna vice quotannis hunc ſanguinis effluxum e ſarcomate experiebatur.

Ad impediendam haemorrhagiam dum operatio inſtituebatur, ſpeculo oris cum fructu vtebatur chirurgus qui intra minutam totum hoc ſarcoma funditus exſtirpauit. Exſtirpatione facta, haemorrhagia quidem ſequebatur, quae tamen, remediis iuſtis adhibitis, iterum ceſſabat. Lingua rurſus, quae tumebat, ac febris, quae accedebat, non diu durabant. p. 10.

Methodus ſanandi ac ſymptomata, operatione peracta, occurentia accurate obſeruata et in diario, quod quoque hic a Noſtro communicatur, collecta ſunt. Nihil autem notatu dignum, durante hac ſanatione, euenit. p. 11.

Die 6 decembris relicta pars ſarcomatis quoque felici cum ſucceſſu exſtirpabatur quae ſex drachmas ponderabat. Pondus itaque totius tumoris quatuor vnciarum ac dimidiae. Haemorrhagia ſubſequuta iterum ſubinde ſedabatur. Atque ita aegra intra duos menſes ſanitati prorſus eſt reſtituta et vocem claram, attamen quodammodo parumper impeditam, habet. p. 18.

Tum

p. 21. Tum linguam Noſter anatomice atque phyſio-
p. 33. logice conſiderat, dein pathologice, atque exemplis illuſtrat. Ex quibus probat, largiorem et bonam nutritionem linguam prolongare ſine omni dolore, inflammatione et oedemate, ex ea natam e contrario cocochymiam vlcera, carcinomata producere poſſe etc. Inde et eueniſſe arbitratur Noſter hoc ſarcoma virginis, quae per tres annos lacte matris pariter, ac alio nutrimento, largiſſime eſt nutrita. Ac quoniam enim ſuctione linguam ſaepe mouere oportuerat, largior affluxus ſucci nutritii ad hanc partem eſt auctus, quæ ob fibras eius muſculares per ſe laxiores eo maiorem laxitatem acquiſiuit atque ita hoc ſarcoma, cuius initia erant paruae veſiculae, quae defloreſcebant et efflореſcebant, ortum eſſe putat.

p. 41. Quoniam a largo humorum affluxu huius ſarcomatis ortum deriuat, quaerit quoque Noſter, num potuiſſet illius incremento offici applicatione hirudinum aut crebris ac profundis ſcarifationibus. Timet autem partim de periculo huius methodi, partim de incertitudine illius. Credit enim hoc modo ſuperfluos humores quidem poſſe euacuari, eorum tamen affluxum quoque augeri. Quapropter et excuſat eos, qui auxilium denegarunt huic aegrae in infantili aetate hancque operationem defendit.

p. 46. Atque ita, vtilitate linguae morali ac phyſica monſtrata, finit Noſter hanc obſeruationem.

Noua

XIII.
Noua phyſico medica.

Non diu ante repetiimus denuo propoſitam quaeſtionem, de incommodis ex abuſu vnguentorum et emplaſtrorum in vulneribus etc. *) a regia chirurgorum Academia *Pariſina*, quae ab ea ad 1774 annum dilata eſt, cum duplo praemio. Iam vero legimus relatum, monetam auream quingentarum librarum Gallicarum, ac argenteam centum argenteorum praemium eſſe huius quaeſtionis.

Praemium aemulationis quingentarum librarum Gallicarum Cl. FAVIER chirurgiae ſtudioſus in noſocomio regio emeritorum, et quinque monetas aureas centum librarum Gallicarum Cl. BATTAL chirurgus primarius regius, Cl. LE CLERC, Cl. BOUCHER, Cl. NOLLESSOT et Cl. COLON acceperunt.

Quatuor monetae aureae, quarum ſingula centum librarum Gallicarum pretio eſt, a Cl. HOUSTEN huius academiae directore, fundatae, quae inter viginti quatuor, qui praemium ambiant, quatuor optimis tribuuntur, datae ſunt Cll. viris IOANNI FRANCISCO GUELBERT ROUSTAGNAC, CAROLO FRANCISCO COLETTE, HENRICO LEMAIRE atque per ſortem inter IOANNEM IACOBUM COINDRE, RAIMOND GIGNAC et BARTHOLOMAEUM GIGNOUX vltimo.

Quatuor monetae de l'*acceſſit* ab EODEM fundatae, tributae ſunt Cll. viris PETRO VERDIER, IOANNI BAPTISTAE GAUCHEZ, IOANNI BAPTISTAE COUPPEAU, et PETRO MARCO GISLES.

Pro-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XVII. p. 161.

Problematum, a ſocietate regia ſcientiarum *Hafnienſi* ad annum 1773. propoſitorum, phyſicum communicare iuuat. *Cum, docente experientia, neque pendula, ex pluribus virgis metallicis compoſita, in horologiis aſtronomicis, neque artificia correctionis, in horologiis nauticis hucusque adhibita, ſuffecerint, quominus aequalis illorum motus ab influxu caloris, frigorisue turbatus fuerit, conuenientius huic intentioni remedium experientia probatum deſideratur.*

Commentarii ante finem ſeptembris 1773 Ill. HELMSTIERNAE Potentiſſimo Danorum regi a conſiliis ſanctioribus, et ſocietati ab epiſtolis, ſolutis impenſis, ſunt tradendi. Quae porro, partim in conſcribendis, partim in iis mittendis, viros eruditos, quibus hanc rem perſequi placebit, obſeruare oporteret, ſupra *) iam a nobis ſunt enarrata.

Quibus morbis eſſent incolae noſtrae patriae ex naturali ſua conditione obnoxii? et quomodo ii arceri et curari poſſent? nuper **) a ſocietate *Harlemenſi* ſcientiarum quaeſitum eſt. Huius vero quaeſtionis elaborationes, in conuentu ſolemni, die 21. maii 1772 celebrato, a ſocietate perquiſitae, cum illi non ſatisfecerint, conſtituit ea, eandem denuo viris eruditis tradere, atque eius explanationem exſpectat, exeunte 1774 anno.

Inſimul ad eundem annum nouum addit problema, quod eo redit: *quaenam arbores, plantarum cerealium genera, radices, legumina et herbae, huc vſque in Belgio nondum cultae cum fructu induci poſſint; quaenam porro inter ea, quibus adhuc deſtituta eſt haec regio, ſeu ex iis, quae iam hic naſcuntur, climatis et ſoli ratione habita, ad nutriendum homines ac bruta coli queant?*

Com-

*) vid. comment. noſtr. Vol. XVI. p. 546.
**) ib. p. 161.

Commentarii Cl. viro VAN DER AA, qui ſocietati ab epiſtolis eſt, ſolutis impenſis, aliisque legibus obſeruatis, quarum tamen iam ſupra mentionem fecimus *), ſunt mittendi.

Numos a Gallo quodam regiae Academiae ſcientiarum ac literarum elegantiorum *Berolinenſi* miſſos fuiſſe, ad praemia iis tribuenda, qui ad propoſitas, ab Ea quaeſtiones, ex iudicio Academiae, recte reſpondiſſent, nuper **) retulimus.

Iam vero accepimus, primae quaeſtionis, quae in *differentia apoplexiae* ***) cerneretur, explicationes non ſatisfeciſſe Academiae; alterius autem quaeſtionis eam elaborationem placuiſſe, quae a Cl. IOSEPHO LEOPOLDO FRISCH cum academia communicata eſt, eamque huic praemium addixiſſe. Altera haec quaeſtio ita comparata erat: *ſcire intereſt veras cauſſas illius differentiae, quae in diuerſis animalium generibus inter marem et feminam, ac potiſſimum quidem pilorum et pennarum in quadrupedibus et auibus habita ratione, cernitur.*

Eadem Academia ad praemium anni 1773 hanc quaeſtionem propoſuit:

Quomodo arſenicum in plurimis mineris inuenitur, vel potius in omnibus metallis et ſemitallis admodum copioſe, cuius abundantia non tam noxia, quam qualitas eſſe deprehenditur? Quaeritur porro: quemnam praecipue natura, in collocando arſenico in mineras habuerit finem? ſi hic in quibusdam per experimenta, iam inſtituta vel inſtituenda, poteſt demonſtrari, quomodo et quorſum inſeruit, vel ad formanda metalla, vel ad eadem componenda, vel denique ad producendas in iisdem alias neceſſarias et vtiles mutationes? (Comme l' arſenic ſe trouve

*) v. l. c.

**) Comment. noſtr. Vol. XVI. p. 706.

***) vid. ib.

trouve dans les mines de la plus part, pour ne pas dire, des tous les métaux et ſemimétaux en grand abondance, et que malgré cette abondance, il n'eſt encore guères connû que par les qualitées nuiſibles: On demande: quel eſt le veritable bût au quel la nature ſemble avoit deſtiné l'arſenic dans les mines? et ſi l'on peut en particulier démontrer, par des experiences faites ou à faire, ſi comment et jusqu'à quel point il ſert, ſoit à les perfectionner, ou à produire en eux d'autres changémens néceſſaires et utiles.)

Praemium monetae aureae quinquaginta numorum aureorum diſtribuetur die 31 maii 1773. Reliquas in mittendis pariter ac ſcribendis commentariis cautiones omittimus, et Lectores amandamus ad ea, quae de his in ſuperioribus a nobis ſunt narrata *).

Societas naturae indagatorum *Gedanenſis* quaeſtionis *de nitro murario* **) quae ſpectabatur *in inueſtiganda nitri murarii cauſſa, vtrum illa in lapidibus, ſeu calce, ſeu vtroque ſimul, an in aliis poſita ſit, et quaenam ſint optima remedia, quibus id partim a muro exſtructo abigi, partim ab exſtruendo arceri poſſit?* praemium adiudicauit ERNESTO ADAMO LUTHERO verbi diuini miniſtro in Roſitz circa Altenburgum.

Alterius autem quaeſtionis, quae attinet *canalem, per vrbem ductum, ac aquam puram vehentem* etc. vti ſupra a nobis relatum eſt ***), elaborationes ſocietatis expectationi non reſponderunt ideoque praemio non dignae ab Ea ſunt iudicatae.

Acade-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 547.

**) ibid. Vol. XVI. p. 163.

***) v. ib.

Academia regia ſcientiarum, inſcriptionum et elegantiorum literarum *Toloſana* Cl. PETRO CAMPERO, auctori elaborationis, ex iudicio Academiae, optimae, quae quaeſtioni ab Academia aliquoties propoſitae *), reſpondet, *vt determinetur vtilitas ac optima methodus inoculationis variolarum*, tribuit praemium.

Rex magnae Brittaniae in emolumentum artium ac ſcientiarum nouum ordinem, qui ordo mineruae nominabitur, conſtiturus dicitur. Cuius Rex ipſe eſſe vult princeps, variosque in iure, medicina, artibus elegantioribus claros viros dignos iudicaturus, qui in eum recipiantur. Numerus erit 24 equitum. Ordinis ſignum erit ſtella, cum nouem aculeis argento pictis, in cuius media parte icon Mineruae deprehenditur. Hoc ſigno, lentiſco tunicae adfixo, incedent cum dicto: *omnia poſthabita ſcientiae.*

Zellae die 13 maii 1772 Excellentiſſimus atque Experientiſſimus IOANNES ANDREAS MURRAY medicinae doctor ac Profeſſor ordinarius in academia Gottingenſi, variis ſcriptis clarus, regiae oeconomicae ſocietatis, ibi florentis ſodalis eſt lectus.

BENIAMIN FRANKLIN **) Ill. VAN SWIETEN mortuo ***), academiae regiae ſcientiarum *Pariſinae* ſocius eſt electus.

Experientiſſimus CHRISTIANUS FRIEDERICUS KADELBACH in academia Lipſienſi gratioſi

*) v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 707 et Vol. XVII. p. 714.

**) v. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 551.

***) comment. noſtr. Vol. hoc. p. 159.

tioſi medicorum ordinis aſſeſſor factus eſt die 1 ſeptembris 1772.

Warſouiae Praeclariſſimus atque Experientiſſimus IOANNES CHRISTIANUS MÜLLERUS Lipſiae natus, ibidemque, ſtudio medico cum laude atque aſſenſu abſoluto, ſummisque in arte medica honoribus obtentis, medicus factus in aula Sereniſſimi principis CZARTORISKI ſupremi magni ducatus Lithuauniae cancellarii, die 29 morbi grauioris et diuturni cum ſomni omni defectu, qui erat 20 octobris 1770, nimis praematuram mortem ſubiit. Cuius memoriam, ob liberalitatem ſummam, ſtipendium ſcilicet quinquaginta imperialium, quotannis medicinae ſtudioſis in Academia Lipſienſi legatum, poſteritati commendauit in programmate, de medicinae ſtudio non praecipitando *) CHRISTIANUS GOTTLIEB LUDWIG ordinis medici Lipſienſis Decanus.

Die 2 ſeptembris 1772. *Lipſiae* Excellentiſſimus atque Ampliſſimus GEORGIUS GOTTLIEB HAUBOLD Profeſſor phyſices ordinarius quinquageſimo octauo aetatis anno vitam cum morte commutauit.

Bromfieldii die 29 maii 1772. deſiit viuere ALEXANDER BLAKRIE pharmacopola, qui nuper vtiliſſimum opus **) de remediis, calculos ſoluentibus, vulgauit; ac Cl. CHITTIKII remedium contra calculos detexit, illudque, dum calculoſis affectibus laboraret, vſu comprobauit.

Regia

*) quod prodiit Lipſiae, 1772. 4.

**) quod prodiit hoc titulo: A diſquiſition on medicines that diſſolue the ſtone where D. CHITTIK's ſecret is conſider'd and diſcorver'd. By ALEXAND. BLAKRIE. Lond. 1771. 8.

Regia auctoritate in Dania ante breue tempus edictum diuulgatum eſt, quo omnes hortantur, merſis, vel alio quocumque modo ſuffocatis praeſentiſſima auxilia remediaque afferre. Qui remedia, quibus in vitam reuocentur, communicaturus eſt, praemium quinque numorum aureorum exſpectare poteſt.

Carolsruhae die 14 auguſti 1772 modus, ab erudito quodam viro communicatus, quo periculum in magnis tempeſtatibus a toto quodam loco ſine magnis impenſis poſſet auerti, ac hebdamadorio, quod ibidem editur, inſertus eſt. Nititur hic nouis materiae electricae inuentis, nouis regulis, atque notatu dignum iudicatur.

Catenam nimirum, ex filis ferreis confectam, in vrbe quadam ab apice turris vnius ad alterius turris apicem ducendam, eiusque extremitatibus filum ſericeum, tres vlnas longum, bene obtectum, ne, ingruente pluuia, apices turrium cum catena coniungantur, apponendum eſſe, vt illo catena ad apices turrium firmetur. Vt autem ex hac catena, appropinquante tempeſtate, materia electrica plena, eadem ipſa eo melius queat deriuari, catenae huic in ſpatio quodam libero, ſuper quod catena ducta eſt, globulus magnus bellicus, ex ferro paratus, vel aliquod corpus ferreum apponatur ideoque catena parum ſubtrahatur, ita tamen, vt decem vel duodecim pedum ſupra altiſſima aedificiorum tecta emineat.

Sub hoc globulo bellico pyramidem, obeliſci ad inſtar, exſtruendam, cuius apici globulum alium ferreum, ab altero globulo tres vel quatuor digitos diſtantem ſuperimponendum eſſe. Apparatu enim ſic comparato, omnem materiam electricam tempeſtatum verſus globum pyramidis ruere, fulguraque inde non noxia effluere videbunt obſeruatores. Acce-

dit et hoc, quod obſeruatoribus, tempore inprimis nocturno, iucundiſſimum appareat ſpectaculum.

III. WALSH adſeſſor iudicii ſuperioris Anglici Ruppellam profectus, cum torpedine, cuius attactu quilibet rigidus fit, experimenta inſtituit, atque intellexit, piſcem hunc, cuius vim REAUMURIUS ex actione duorum muſculorum ſubcutaneorum deducebat, eodem modo, vt gymnotus electricus LINNAEI, ſingulari et admodum forti virtute electrica eſſe praeditum, quam electrometro eſt dimenſus, et cum vi omnium corporum electrica comparauit.

Nouem homines pedibus filum orichalceum tangere, quorum quilibet manus in vas, aqua plenum, locaret, curauit. Piſcem dein, in vaſe quodam natantem, cum extremo huius fili tetigit, vbi ſingulus confeſtim talem admodum fortem ſuccuſſum electricum ſenſit, qualem ex lagena Lugdunenſi experimur. Nec non alia porro experimenta cum hoc piſce inſtituit, phyſicorum attentione haud indigna.

Collectionis egregiae inſtrumentorum, ad experimenta microſcopica inſtituenda, ſimul cum camera obſcura, ad varium vſum adaptata, ex gratiae beneuolentia Regis magnae Brittaniae academiae Gottingenſi donatorum, epitomen cum Lectoribus communicare, nec ingratum iis, nec alienum a noſtro inſtituto videtur.

Primo microſcopium, ex quatuor lentibus ocularibus et ſeptem obiecticis, quarum duae ſemper vnam conſtituunt, compoſitum. Quod porro conſtat ſex ſpecillis argenteis concauis, in cuius ſinguli centro microſcopium deprehenditur. Tubi ipſius, qui vitra haec continet, axis vere verticalis poſitus eſt, ita tamen, vt, mediante rota denticulata, tubus

tubus ſuperficiem verticalem accipiat, qua axis verſus omnes horizontis plagas dirigitur. Tubo ſepoſito, vitroque obiectico applicato, ſimplex microſcopium cernitur. Adſunt poſtea tria vitra foco breuiſſimo, vt ita tota machina ſedecim microſcopiis conſtet.

Secundo ad examinanda obiecta ſingula minora tendicula quadrata cum reticula proſtat, cui rana vel piſcis applicari poteſt.

Tertio micrometer artificioſiſſime compoſitus.

Quarto microſcopium ſolare cum iuſto eius apparatu.

Quinto camera obſcura, abbreuiatae pyramidis ad inſtar. Microſcopium exinde ſolare exiſtit tum, cum ea in ſitum erectum poſita ſit. Inuolucra lentium cum maxima parte totius apparatus orichalco conſtant. Reliqua illius pars ex ligno *mahagony* cum ciſtis, quae eum continent, atque in cameram obſcuram intrudi poſſunt, eſt formata.

Experientiſſimus THOMAS OKES, qui nuper diſſertationes, in publicis ſcholis Cantabrigiae habitas, vnam: praxi medicinae non eſt apprime neceſſaria ſcientia anatomica, alteram: fetuum deformitates non oriuntur ab imaginatione praegnantis, vulgauit *) circa finem earum verſionem HIPPOCRATIS pure latinum, additis notis ac commentationibus, promittit, cum Lindeniana HIPPOCRATIS editio latina puritate deſtituta, minusque accurata ſit ac FOESIUS huc et illuc graeca verba plane omiſerit, exemplum inſimulque huius verſionis addit.

 Nuper

*) quae anglico idiomate prodierunt hoc titulo: Two diſſertations I, the knowdlege of anatomy is not principally neceſſary to the practice of medicine II. The deformities of the foetus de not ariſe from the imagination of the mother. Cambridge, 8.

Nuper relatum legimus, Cl. PALLAS, qui hoc commuuicauit cum Academia ſcientiarum *Petropolitana*, reperiſſe caput cum pede anteriore et poſteriore rhinocerotis mediocris, integumentis et muſculis adhuc conſeruatis circa vrbem *Irkutſk* in Siberia arena obtectum. Ac deriuat hoc phaenomenon, vt originem reliquorum oſſium magnorum animalium, in Sibiria effoſſorum, Cl. PALLAS ex terrae mutationibus antiquiſſimis ac nobis plane occultis, quibus cadauer hoc ex patria ſua meridionali in regiones has boreales deductum, et in terra hac, gelu fere ſemper conſtricta per multa tot ſecula immutatum et incorruptum ſeruatum eſt. Inſimulque promittit Cl. PALLAS, hyeme inſtante reliquias has cum earum deſcriptione ac detectione, tanquam additamentum ad *commentarios de reliquiis animalium peregrinorum in Sibiria detectorum* Academiae traditurum eſſe.

Scholae veterinariae, nuper ſumtibus publicis *Hafniae* fundatae, et a nobis iam indicatae *) praeerit Cl. D. ABILGAARD, qui et inſtitutiones publicas eiusdem artis inſtituet.

Bernae 1772 ab iis, qui ſanitati a conſiliis ſunt, edictum trium plagularum publici iuris eſt factum, quod omnes eas in ſe continet cautiones, quae hanc rempublicam per tot annos a lue bouina cuſtodiverunt, etiamſi in vicinis locis graſſaretur, nec raro fines transgrediretur.

Neque praeſeruatiue, neque curatiue vlterius agitur, ſimulac ſigna infectionis in pecoribus appareant; ſed ſtabula, quibus infecta morantur armenta, clauduntur: ea, quae pereunt, aperiuntur, ac, quae praeterea huic ſtabulo infecto inſunt, occiduntur.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XVII. p. 353.

duntur. Quod ſi vero fiat, vt trucidentur, benignitas principis ſuccurrit poſſeſſorum iacturae, eamque ſubleuat. Reliqua nobis, breuitate coactis, ſunt mittenda.

XIV.

Index ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1770. prodierunt.

Catalogue hebdomadaire: ou liſte alphabétique des livres tant nationaux, qu'étrangers des arrêts, du conſeil et des parlemens, déclarations et édits du Roi, extraits du conſeil et des régiſters de parlemens, letters patentes du Roi, ordonances, ſentences etc. cartes géographiques, muſiques et eſtampes, qui ſont mis en vente chaque ſemaine avec l'indication des Auteurs, du nombre et du formât, des volumes et les addreſſes des libraires et autres, qui les vendent. Année 1770. à Paris, 8.

Philoſophical transactions, giving ſome account of the preſent undertakings, ſtudies and labours of the ingenious in many conſiderable parts of the world. Vol. LIX. for the year 1769. Lond. 4. c. tab. aen.

Hiſtoire de l'académie royale des ſciences année 1767. avec les mémoires de mathématiques et de phyſiques pour la même année. Tirés de régiſtres de cette académie. à Paris, 4. c. t. aen.

Mémoires ſur différentes parties des ſciences et arts Tom. II. et III. ib. 4 mai. c. fig.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche maatſchappye der weetenſchappen te Haarlem XII. deel. Te Haarlem, 8. c. tab. aen.

Kõngl.

Köngl. Vetenskaps academiens handlingar för år 1770. Vol. XXXI. Stockh. 8. c tab. aen.

Der Königlich Schwediſchen Academie der Wiſſenſchaften Abhandlungen aus der Naturlehre, Haushaltung, der Mechanick auf das Jahr 1770. *Aus dem Schwediſchen überſetzt von* ABRAH. GOTTHELF KAESTNER, 30*ſter Band. Hamburg und Leipzig*, 8. *m. K.*

Noui commentarii Academiae ſcientiarum Imperialis Petropolitanae Tom. XIV. Pars prior continens claſſem mathematicam, phyſico mathematicam et phyſicam. Pars ſecunda continens claſſem aſtronomicam. Petropol. 4. c. f.

Auserleſene mediciniſche, chirurgiſche, anatomiſche chymiſche und botaniſche Abhandlungen der Römiſch Kayſerlichen Academie der Naturforſcher, 19 *Theil. Aus dem Lateiniſchen überſetzt. Nürnb.* 4. *m. K.*

Noua acta phyſico medica academiae caeſareae Leopoldino Carolinae naturae curioſorum, exhibentia ephemerides, ſiue obſeruationes, hiſtorias, et experimenta a celeberrimis Germaniae et exterarum regionum viris habita et communicata, ſingulari ſtudio collecta Tomus IVtus. Accedunt appendix et tabulae aeneae. ib. 4.

Der Königlich Norwegiſchen Geſellſchaft der Wiſſenſchaften Schriften. Aus dem Däniſchen überſetzt. Vierter Theil. Kopenh. u. Leipz. m. K.

Hiſtoria et commendationes academiae electoralis ſcientiarum et elegantiorum literarum Theodoro Palatinae Volumen IIdum. Manhem. 4.

Beytrag zur Sittenlehre, Oeconomie, Arzneywiſſenſchaft, Naturlehre und Geſchichte in ihrem allgemeinen Umfange aus den weſtlichen Gegenden Deutſchlandes. Erſtes Stück. ib. 8.

Hiſtoire de l'académie royale des ſciences et de belles letters de Berlin. Année 1768. avec les mémoi-

mémoires pour la même année. à Berlin, 4 mai.

Berliniſche Sammlungen zur Beförderung der Arzneywiſſenſchaft, der Naturgeſchichte, der Haushaltungskunſt, Cameralwiſſenſchaft und der dahin einſchlagenden Litteratur. Zweyter Band. Berlin, 8. m. K.

Noui commentarii ſocietatis regiae ſcientiarum Gottingenſis Tom. I. ad annos 1769 et 1770. Gotting. 4.

Stralſundiſches Magazin oder Sammlungen auserleſener Neuigkeiten zur Aufnahme der Naturlehre, Arzneywiſſenſchaft und Haushaltungskunſt. Sechſtes Stück. Berlin und Stralſund, 8 mai.

Schwediſches Magazin oder geſammlete Schriften der größten Gelehrten in Schweden für die Liebhaber der Arzneywiſſenſchaft, der Naturgeſchichte, Chemie und Oeconomie. Aus dem Schwediſchen überſetzt von IOHANN CARL WEBER. *Zweyter Band. Kopenhagen, 8. m. K.*

Sammlung von Beobachtungen aus der Arzneygelahrheit und Naturkunde. Zweyter Band. Nördlingen, 8. (Auctore IOH. AUG. PHIL. GESNER.)

Ephemerides du citoyen. Vol. VII-X. à Paris, 12.

Des Hausvaters fünften Theils erſtes und zweytes Stück. Hannover, 8.

Abhandlungen und Erfahrungen der Fränkiſch phyſicaliſchen oekonomiſchen Bienengeſellſchaft auf das Jahr 1770. Nürnb. 8.

Phyſicaliſch oekonomiſche Auszüge aus den neueſten und beſten Schriften, die zur Naturlehre, Haushaltungskunſt, Policey- Cameral- auch andern damit verwandten Wiſſenſchaften gehören. Zehnten Bandes drittes und viertes Stück, nebſt vollſtändigen Regiſter über alle zehn Bände. Stuttgard, 8.

Neue Beyträge zu der Cameral- Haushaltungswiſſenſchaft

ſchaft von einer Societät in Thüringen. Siebentes und achtes Stück. Jena, 8.

Der Bienenſtock. Eine oeconomiſche Wochenſchrift. Zweyter Theil. Danzig, 8.

Grundſätze der verbeſſerten Landwirthſchaft in Abſicht der allgemeinen Fütterung, Verbeſſerung der Viehzucht, des Anbaues nützlicher Futterkräuter, und der Verwandlung der Gemeinweiden in Privatgüther u. ſ. w. durch die zuverläſſigſten Zeugniſſe und Erfahrungen der gründlichſten Männer beſtätiget. Chur und Lindau, 8.

Allgemeine Gründe der oeconomiſchen Wiſſenſchaften, vornehmlich des Ackerbaues, der Handlung, und des Cameralweſens. Aus dem Franzöſiſchen. Nürnberg, 8. Vol. 3.

Mémoires et obſervations recueillies par la ſocieté économique de Berne. Partie I-IV. pour l'année 1770. à Berne, 8.

Bemerkungen der phyſicaliſchen, und oekonomiſchen Bienengeſellſchaft zu Lautern, vom Jahre 1769. Mannheim, 8.

Neu abgefaßte und allgemeine Haus- Land- und Wirthſchaftsregeln. Nürnberg, 8 *mai.* (ſ. anno.)

Zur Aufnahme der Landwirthſchaft. Zweyte und verbeſſerte Auflage. Roſtock, 4 mai. (Auctore FRIED. DE VEGESAK.)

Rural oeconomy or eſſay on the practical part of Husbandry. By the author of the Farmers letters. Lond. 8.

Journal oeconomique 1769. à Paris, 8. (*Prodiit hic liber* 1770. *licet in titulo* 1769. *legatur.*)

Lehrbegriff ſämtlicher oekonomiſcher und Cameralwiſſenſchaften, des zweyten Bandes erſter Theil. (Auctore DE PFEIFFER.)

Dictionnaire domeſtique portatif, conténant toutes les

les connoiſſances rélatives à l'oeconomie domeſtique et rurale; ou l'on détaille les différentes branches de l'agriculture, la manière de ſoigner les chévaux, celle de nourrir et de conſerver toutes ſortes de beſtiaux, celle d' élever les abeilles, le vers à ſoie, et dans lequel on trouve les inſtructions néceſſaires ſur la chaſſe, la pêche, les arts, le commerce, la procedure, l'office, la cuiſine etc. Ouvrage également utile à ceux, qui vivent de leurs rentes, ou qui ont des terres, comme aux fermiers, aux jardiniers, àux commerçans et aux artiſtes. à Paris, 8. Vol. 3.

Encyclopedie oeconomique ou ſyſteme général d'oeconomie ruſtique Tom. X. *Yverdon*, 12.

The Farmer's guide in hiring and ſtocking farms containing an examination of many ſubiects of great importance both to the common husbandman in hiring a farm; and to a gentleman on taking the whole or part of his eſtate into his own hands. In two Volumes. By the Author of the Farmer's letters. Lond. 8.

Traité politique et oeconomique des communes, ou obſervations ſur l'agriculture, ſur l'origine, la déſtination et l'étât actuel de biens communs; ſur les moyens d'en tirer les ſécours le plus puiſſants et les plus durables pour les communautés qui les poſſédent et pour l'état 1770. Vol. I. à Paris, 8.

A courſe of experimental agriculture. Vol. I et II. London, 4. (Auctore ARTHUR YOUNG.)

Georgical eſſays: in which the food of plants is particularly conſidered, ſeveral new compoſts recommended and other important articles of

Husban-

Husbandry explained upon the principles of vegetation. ib. 8.

Anleitung für die Landleute in Anſehung auf die Anwendung des Düngers nach Verſchiedenheit der Güther, des Erdreichs und der Gewächſe von der naturforſchenden Geſellſchaft in Zürich. Zürich, 8.

Preisſchrift über die von der Ackerbaugeſellſchaft in Steyermark für das Jahr 1768 *aufgegebene Frage: Soll man in Steyermark ſich auf die Schaafzucht ernſtlicher legen etc. Wien*, 8. (ANTON EDLER VON SCHAEFERSFELD *Hofrichter zu Göſt.*)

Von der Erkenntniß und Anwendung der verſchiedenen Erdarten zur Verbeſſerung des Ackerbaues. Leipzig, 4.

The expediency of free exportation of corn at this time Lond. 8. (*Auctor eſt* ARTHUR YOUNG.)

Die Kunſt ohne Mißwachs theure Zeiten zu machen. nebſt den bewährteſten Mitteln darwider. Franckf. und Leipz. 8. s. a.

Wirthſchaftscalender für Hauswirthe und Wirthinnen der Bauergeſchäffte auf dem Geeſtlande. Hamb. u. Ratzeb. 8.

Allgemeiner oekonomiſcher Landwirthſchafftscalender auf das Jahr 1770. *Das iſt: Unterricht für den Land- und Bauersmann, beſonders in Schwaben, worinnen alles dasjenige zu finden, was derſelbe nach allen vier Jahreszeiten in Acht zu nehmen hat. Alles nach den beſten Erfahrungen zuſammengetragen. Stuttgard.* 4.

Le jardinier prévoyant Almanach pour l'année 1770. Vol. I. ib. 12.

Della vera influenza degli aſtri nelli ſtagioni e mutazioni di tempo, ſaggio meteorologico fondato ſopra lunghe oſſervazioni. In Padua, 4. (*Auctore* IOSEPHO TOALDO.)

Neue phyſicaliſche Beluſtigungen. Erſte und zweyte Abtheilung. Prag, 8. m. K.

Natürliche und bürgerliche Geſchichte von Californien. Zweyter und dritter Theil. Lemgo, 4.

Cours d'hiſtoire naturelle ou tableau de la nature, conſidérés dans l'homme, les quadrupédes, les oiſeaux, les poiſſons, les inſectes etc. Ouvrage propre à inſpirer au gens du monde le déſir de connoître les merveilles de la nature. à Paris, 12. Vol. 7.

La nature conſidérée ſous ſes différens aſpects: ou lettres ſur les animaux, les végétaux et les minéraux; conténant des obſervations intéreſſantes ſur l'hiſtoire naturelle, les moeurs, et le caractère des animaux, ſur la mineralogie, la botanique etc. et un détail de leurs différens uſages dans l'oeconomie domeſtique et rurale. Ouvrage périodique en 40. Cahiers de trois feuilles d'impreſſion par an; il en paroîtra un tous les dix jours régulièrement et un de ſupplément tous les trois mois. ib.

Manuel du naturaliſte. Ouvrage utile aux voyageurs et à ceux qui viſitent les cabinets d'hiſtoire naturelle et de curioſités; dédié à Mr. DE BUFFON de l'académie Francoiſe. ib. 12. Vol. I.

Hiſtoire naturelle générale et particulière avec la déſcription du Cabinet du Roi Tom. XVI. Hiſtoire naturelle des oiſeaux Tom. I. ib. 4. c. f. (*Auctore* Cl. BUFFON.)

Hiſtoire naturelle générale et particulière. Nouvelle édition Tom. XI-XIII. ib. 12. cum fig. (*Auctore* EODEM.)

 Kurzer

Kurzer Entwurf der Königlichen Naturalienkammer zu Dreßden, nebſt den Grundriſſen von dem ſogenannten Zwinger und der darinnen befindlichen Naturaliengallerien und Curioſitätencabinetten. Dreßden, fol.

The natural hiſtory of birds. Lond. 8.

Traité général des pêches et hiſtoire de poiſſons, quelles fourniſſent. Séconde ſection. à Paris. fol. (*Auctore Cl.* DU HAMEL.)

Florae Danicae iconum faſciculus nouus a tabula CCCCLXXX-DXL. viuis coloribus pictis (germanice et latine) Hafn. fol.

Index regni vegetabilis, qui continet plantas omnes, quae habentur in Linneani ſyſtematis editione nouiſſima duodecima. Vienn. Auſtr. 4.

Verſuch einer deutſchen Nomenclatur der Linnäiſchen Gattungen zur Ueberſetzung der generum plantarum LINNAEI. *Erfurth, ſ. a.* (*Auctore* Cl. PLANER.)

Obſervations on modern Gardening illuſtrated by deſcriptions. The ſecond edition. Lond. 8.

Traité des bois Tom. ſécond. à Paris, 4.

Oenologie ou diſcours ſur la meilleure méthode de cultiver la vigne. à Dijon, 8. (*Auctore* Cl. BEGUILLET.) *Reperimus quoque forte eundem librum ita inſcriptum:*

Oenologie ou diſcours ſur la meilleure méthode de faire le vin et de cultiver la vigne par l'Auteur du traité de la moûture oeconomique. ib. 12.

Moyen ſûr et facile pour détruire les taupes dans les prairies et dans les jardins. à Paris, 8. (*Auctor eſſe dicitur* Cl. MARIN.)

Mineralogiſche Beluſtigungen zum Behuf der Chymie oder Naturgeſchichte des Mineralreichs. 5ter Theil. Leipzig und Kopenhagen, 8.

Abhandlung von dem Urſprunge der Gebürge und der darinne befindlichen Erzadern oder der ſogenannten Gänge

Gänge und Klüfte; ingleichen von der Vererzung der Metalle und inſonderheit des Goldes. Leipz. 8. (Auctor eſſe dicitur Cl. DELIUS a rebus metallicis in Banatu Temesuarienſi.)

Schauplatz der Künſte und Handwercke, verfertiget von den Herren der Academie der Wiſſenſchaften zu Paris; überſetzt von D. G. SCHREBER. *Zehnter Band. Leipz. und Königsb.* 4.

L'art de l'indigotier: faiſant ſuite aux arts. à Paris, fol.

L'art du brodeur: faiſant ſuite aux arts. ib. fol.

L'art du charbon: ſupplement concernant le charbon de bois. ib. fol.

L'art du facteur d'orgues; ſéconde et troiſième ſections conténant 99 feuilles d'impreſſion et 33 planches y compris les doubles; faiſant le quarante huitième cahier des arts et métiers. ib. fol.

Hiſtoire générale des voyages ou collection nouvelle des rélations des voyages par mer et par terre. Tom. XIX. ib. 4. c. f.

A ſhort deſcription of the province of South-Carolina with an account of the air weather and diſeaſes on Charles-Town. Written in the year 1763. London, 8 mai.

Voyage au Mont-Pilat dans la Province du Lyonnois, conténant des obſeruations ſur l'hiſtoire naturelle de cette Montagne et des lieux circonvoiſins; ſuivies du catalogue raiſonné des plantes, qui y croiſſent. à Avignon, 8.

A ſix months tour through the North of England containing an account of the preſent ſtate of agriculture, manufactures and population in ſeveral countries of this kingdom. In four Volumen. London, 8. (*Auctore* ARTHUR YOUNG.)

A ſix weeks tour through the ſouthern countries of England and Wales. ib. 8. *Auctore* EODEM. (*continet multa oeconomica.*) Vol. 4.

Artis medicae principes Tom. II. Lauſann. 8. mai. (*Auctore* ALB. DE HALLER.)

Second tractat of a new ſyſtem of phyſic; founded in the principles of nature and not on the materia medica. Lond. 8. (*Auctore* I. CORDWELL.)

Lectures on the materia medica containing the natural hiſtory of drugs, their virtues and doſes. Lond. 4. Vol. 2. (*Continet praelectiones* CAROLI ALSTON *profeſſoris olim Edimburgenſis, a* I. HOPE *editas.*)

Landapotheke nebſt einigen Hauscuren unter der Aufſicht und Beförderung des Königl. Collegii medici herausgegeben. Aus dem Schwediſchen überſetzt von IOHANN CARL WEBER.

Matière médicale extraite des meilleurs Auteurs et principalément du traité des médicamens de Mr. DE TOURNEFORT et des leçons de Mr. FERREIN par M** Docteur en Médécine. Tom. I-III. à Paris, 12.

Dictionaire portatif de cuiſine, d'officine et de deſtillation; véritable édition de Paris beaucoup plus correcte, que les *ditions contrefaites, qui ſe débitent en Province. ib. 8.

Die geheime Naturlehre der Hermetiſchen Wiſſenſchaft zur Verfertigung des gebenedeyeten Steines der Weiſen nach dem Syſteme des edlen SENDIVOGII. 8.

An enquiry into the general effects of heat; with obſervations on the theories of mixture. In two parts, illuſtrated with a variety of experiments, tending to explain and deduce from principles ſome of the moſt common appearances in nature. With a appendix on the form and uſe of the principal veſſels, containing the ſubiects on which

which the effects of heat and mixture are to be produced. Lond. 8.

Letters to the ladies on the preſervation of health and beauty by a phyſician. Lond. 8.

Etrennes ſalutaires, ou précis de ce, qu'il eſt à propos d'éviter et de faire pour ſe conſerver en bonne ſanté et prolonger ſa vie. à Paris, 12.

Der Arzt der Gottesgelehrten, welcher Vorſchriften giebt, wie ſich Prediger in Anſehung ihrer Geſundheit bey Führung ihres Amtes zu verhalten haben Zweyte Auflage, Leipzig, 8. (Auctore Cl. FRANZ.)

Betrachtungen über den Gebrauch des Rauchtabacks. Königsberg, 4.

Les préſages de la ſanté, des maladies et du ſort des maladies et du ſort des malades, ou hiſtoire univerſelle de ſignes prognoſtics dans laquelle on a raſſemblé, rapporté et expoſé les regles les plus conſtatées par l'obſervation, concernant le prévoyance des événemens futurs, tant en ſanté qu' en maladie etc. par M***. à Paris, 12.

Medicina ex pulſu, ſeu ſyſtema doctrinae ſphygmicae. Vienn. 8.

Badeordnung und Verhalten bey einem vernünftigen Gebrauche der Geſundbrunnen in den Churfürſtlich Sächſiſchen Landen, zum Beſten der Bade und Brunnengäſte abgefaſſet. Leipzig, 8. (Auctore Cl. IO. CHRIST. TILLING.)

Diſſertation ſur la nature de l'eſprit de nitre dulcifié, rélativement à la diſſolution du mercure, pour ſervir de ſupplement à l'examen des principales méthodes d'adminiſtrer le mercure, dans les maladies veneriennes *) et de réponſe aux réflexions d'un Anonyme contre cet ouvrage, inſérées dans la nouvelle édition des effets du ſyrop mercuriel de Mr. BELLET. à Londres et à Paris, 8.

 Expo-

*) quod prodiit ibidem 1769.

Expoſition des effêts d'un nouveau remède dénommé ſirop mercuriel, rendue publique conformément à la lettre ſuivante addreſſée à l'Auteur par Mr. LE DUC DE PRASLIN. On y a joint une inſtruction détaillée ſur la manière d'employer ce remède dans les maladies vénériennes de toute eſpèce, dans les écrouelles, et le rhachitis, autrement la maladie des enfans noués. Séconde édition, augmentée d'un récueil de nouveaux procès verbaux et certificats, qui eſt précédé de quelques réflexions ſur la brochûre de Mr. DE HORNE. à Paris, 8.

L' art de ſe traiter et de ſe guérir ſoi même, dans les maladies vénériennes par M***. Docteur Régent de la faculté de médécine en l'univerſité de Paris. ib. 8.

Suar pä kongl. Vetensk. academiens färga huru all ſlags friſel kan förekommas och botas ſä hos barnſängs-huſtruv ſom andra? Huilken-fräga varit framſtäld ad besvaras Ar 1869. Stockholm, 8. (*Auctore* Cl. DE SCHULTZENHEIM.)

Traité méthodique de la goutte et du rhumatiſme. à Paris, 12.

Obſervations on the effects of ſeawater in the ſcurvy and ſcrophula. Lond. 8.

Traité de l'apoplexié, paralyſie, et autres affections ſoporeuſes, devéloppées par l'experience. ib. 12.

Aduerſaria medico practica. Voluminis I. Pars II et III. Lipſ 8. c. f.

Gemeinnützige mediciniſche Beyträge. Franckfurth und Leipzig, 8.

Le manuel du jeune chirurgien, dans lequel on trouve en abregé toutes les vérités anatomiques, phyſiologiques, et prâtiques, dont la connoiſſance conſtitue le véritable chirurgien. On y a joint

un

un précis de pharmacie chirurgicale, quelques formules des plus communes etc. Vol. I. à Paris, 8.

Manuel du jeune chirurgien: dans lequel on trouve en abregé toutes les vérités anatomiques etc. Augmenté d' une pharmacopée chirurgicale portative, ou recueil de compoſitions des médicamens externes les plus utiles etc. en faveur des éléves en chirurgie et des gens de la campagne. ib. 8. Vol. II.

Dictionnaire anatomique et chirurgical d'aprés les principes des meilleurs maîtres, anciens et modernes en médécine et en chirurgie, conténant les connoiſſances anatomiques, phyſiologiques et prâtiques et le manuel des opérations chirurgicales, avec le détail des inſtrumens et des médicamens. ib. 8. Vol. 2.

Abhandlung und Erfahrung von Beinbrüchen. Jena, 8.

Relazione ſincera della portentoſa guarigioni di un cancro eſiſtente nella mammella ſiniſtra della Signora *Anna Parolini* di Trent. In Firenze, 8.

Wegweiſer der Geburtshelfer oder der Meiſter in der Kunſt die Entbindung der Weiber zu befördern. Glogau, 8.

Verordnung über das ganze Geſundheitsweſen. Wien, fol.

Plan d'éducation publique. à Paris, 12.

Arzneymittel eines alten erfahrnen Huſarenoberſten für alle Krankheiten der Pferde. Nürnberg, 8.

Bewährte Arzneymittel für das Rindvieh, Schweine, wie auch Gänſe und Hühner. Frankf. 8.

Le farcin, maladie des chévaux et les moyens de le guérir. à Paris, 12.

Commentarius obſeruationum phyſico aſtronomicarum et meteorologicarum. Auctore IOANNE FRIEDERICO ACKERMANN. Accedunt

EIUSDEM orationes duae prorectorales Kiliae. 4. c. f.

Eſſay on the ligature of arteries. By IOHN AIKIN. Lond. 8.

ALSTON vid. ſupra p. 372.

Quadrans aſtronomicus nouus deſcriptus et examinatus in ſpecula vranica Ingolſtadienſi a P. CAESAR AMMANN. Auguſt. Vindelicor. 4.

FRANC. ARANDI obſeruationes medico chirurgicae. Goetting. 8.

Remarks on the compoſition uſe and effects of the extract of lead of Mr. GOULARD and of his vegeto-mineral water. By G. ARNAUD M. D. Lond. 12.

Diſſertations ſur la dilatation des arteres et ſur la ſenſibilité; appuyées de pluſieurs expériences faites ſur les animaux vivans, aux quelles on a joint deux obſervations ſur l'hydropiſie du péritoine. Par Mr. ARTHAUD Licencié en médécine. à Paris, 12.

PETR. ROMAN. ASTHEIMER e. S. I. machina corporis humani omnium admirationi propoſita. Solothurn, 8.

IO. ASTRUCS *theoretiſch practiſche Abhandlung von den Frauenzimmerkrankheiten. Dritter Theil. Aus den Franzöſiſchen überſetzt und mit Anmerkungen begleitet von* CHRIST. FRID. OTTO. D. M. *Dreſsden*, 8 mai.

AND. AURENS *Abhandlung über die geometriſche Aufgabe einen unzugänglichen und undurchſichtigen Wald oder Moraſt auszumeſſen. Danzig*, 4.

Précis de la méthode d'adminiſtrer les pilules toniques dans les hydropiſies par Mr. BACHER Doct. en médécine. Suivi de nouvelles obſervations faites par ordre de la cour ſur les hydropiſies et les effêts des pilules toniques. à Paris, 12.

Auszug

Auszug aus den neueſten Diſſertationen über die Naturlehre, Arzneywiſſenſchaft und alle Theile derſelben von ERNST. GOTTFR. BALDINGER. *Erſten Bandes drittes Stück. Berlin und Stralſund,* 8.

Eiusd. Einladungsſchrift über das Studium der Botanik und Erlernung deſſelben. Iena, 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de filicum ſeminibus. Auctore et Reſp. *Io. Philipp. Wolff.* ib. 4.

Abhandlung über die epidemiſchen Krankheiten des Viehes, eine von der Königlich Franzöſiſchen Geſellſchafft des Ackerbaues gekrönte Preisſchrift, verfertiget von Herrn D. BARBERET *und mit unterrichtenden Anmerkungen verſehen von Herrn* BOURGELAT. *Aus dem Franzöſiſchen in das Deutſche überſetzt. Wittenberg und Zerbſt,* 8.

IO. HEINR. BARTSCH *Königl. Preußiſchen Commercienraths und Luſtgärtners zu Oranienburg, oekonomiſche, theoretiſche und practiſche Handgriffe. Berlin,* 8.

Eſſais anti-hydrophobiques par Mr. BAUDAT Doct. en médécine. à Paris, 4.

IOSEPH. HENR. BAUER tractatus de fonte minerali Tetſchnenſi in regno Bohemiae, eius ortu, contentis, indole, viribus medicis ac debito eius interno et externo vſu. (*latine et germanice.*) Vindobon. 8.

FULG. BAUERS *experimental Abhandlung von der Theorie und den Nutzen der Electricität, und von der Luftelectricität in dem menſchlichen Körper. Lindau und Chur.* 8.

Elémens de pharmacie etc. par Mr. BEAUME. Nouvelle édition augmentée. à Paris, 8.

Mémoire ſur les argilles, ou récherches et expériences chymiques et phyſiques ſur la nature des

terres le plus propres à l'agriculture, et ſur les moyens de fertiliſer celles qui ſont ſtériles, par Mr. BEAUME' Apothicaire de Paris. à Paris, 8.

Phyſicaliſch ökonomiſche Bibliotheck, worinnen von den neueſten Büchern, welche die Naturgeſchichte, Naturlehre, und die Land-und Stadtwirthſchaft betreffen, zuverläßige und vollſtändige Nachrichten ertheilet werden von IOHANN BECKMANN. *Erſter Band. Göttingen,* 8.

A treatiſe on the diſorders and deformities of the teeth and gums illuſtrated with caſes and experiments. By THOMAS BEARDMORE. A new edition with additions. Lond. 8.

** BELIDORS architectura hydraulica *erſter und zweyter Theil. Neunte und zehente Ausgabe. Augsburg, fol.*

REINHOLD BERENS diſſ. inaug. de dracone arbore CLVSII. Goetting. 4. c. f.

Policey und Cameralmagazin, in welchem nach alphabetiſcher Ordnung die vornehmſten und wichtigſten bey dem Policey-und Cameralweſen vorkommende Materien nach richtigen und vernünftigen Grundſätzen practiſch abgehandelt, und durch Landesherrliche Geſetze und hin und wieder wirklich gemachte Einrichtungen erläutert werden. Fünfter Band, welcher I und K enthält. Herausgegeben von I. H. BERGIUS *Gräflich Sayn, Hohen und Wittgenſteiniſchen Hofcammerrath. Frf. am Mayn,* 4.

Outlines of the natural hiſtory of great Brittain and Ireland. By I. BERKENHOUT. Vol. II. Lond. 8. (*continet vegetabilia.*)

Natuurlyke hiſtorie van Holland door IO. LE FRANCQ VAN BERKHEY. Tweeden Deels tweede Stuk, Te Amſt. 8.

AMBROSENS BERTRANDI *Abhandlung von den chirur-*

chirurgiſchen Operationen. Aus dem Italiäniſchen überſetzt. Wien, 8. *m. K.*

Der, zum Beſten des gemeinen Weſens, in den Wohlſtand verſetzte und darinne erhaltene Bauer von E. C. BELTINGER. *Hirsfeld*, 8.

G. I. BRVLHS *Anmerkungen über den dritten Theil des wahren Portraits eines Medici, Chirurgi und Hebamme von D.* RÜBELN. *Cleve*, 8.

IACOB BIDERMANN diſſ. inaug. de labio leporino. Argentorat. 4.

Le pour et le contre de l'inoculation, ou diſſertation ſur les opinions des ſavants et du peuple ſur la nature et les effèts de ce rémède par Mr. D. T. DE BIENVILLE. Doct. en médécine. à Rotterdam, 8.

IO. CHPH. BIRCKHOLZES *eines Fiſchers von Berlin, alle Arten Fiſche, welche in den Gewäſſern der Churmark gefunden werden. Berlin und Stralſund*, 8.

I. E. BODENS *Anleitung zur Kenntniß des geſtirnten Himmels. Hamb.* 8.

Eiusd. Abhandlung von dem Durchgange der Venus durch die Sonne. ib. 8.

Eiusd. Abhandlung von den 1769 *erſchienenen Kometen. ib.* 8.

PHIL. AD. BOEHMER diſſ. inaug. de haemorrhoidibus externis. Reſp. *Samuel. Frideric Wegener.* Hal. ad Sal. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de complicata, cum abdominis hydrope, grauiditate eiusque ſignis, occaſione ſingularis caſus. Reſp. *Anton Reimann.* ib 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de methodo ſpaſmis medendi generatim. Reſp. *Caſp. Henr. Beneke.* ib. 4.

GEORG. RUDOLPH. BOEHMER diſſ. inaug. de iuſta plantarum indigenarum in pharmacopoliis refor-

reformandis aeſtimatione. Reſp. *Frideric. Erdmanno Hempel.* Witeberg. 4.

G. R. BOEHMER progr. de plantarum ſuperficie. Exercit. I-IV. ib. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de plantis, in cultorum memoriam nominatis. Reſp. *Io. Frideric. Benedict. Brevel,* ib. 4.

Dégradation de l'eſpèce humaine par l'uſage des corps à baleine. Ouvrage dans lequel on démontre, que c'eſt aller contre les loix de la nature augmenter la dépopulation et abâtardir pour ainſi dire l'homme, que de le mettre à la torture des les prémiers inſtans de ſon exiſtence ſous prétexte de le former par Mr. BONNAUD. à Paris, 12.

Contemplazione della natura di Signor BONNET. Tom. II. Auctore LAZAR. SPALLANZANI. In Modena, 4.

Proeve over de voorbehoeding der kinderpokjes, waarin de middelen, die deeze ſchadelyke ziekte zouden kunnen voorkomen, door den Heere Boerhaave en andere voornaame mannen voorgeſteld, ſchei- en geneeskundig worden opgehelderd, door veele waarnemingen beveſtigd, en ten algemeene nutte aangeweezen worden, door IMAN IACOB VAN DEN BOSCH Med. Doct. Te Leyden, 1770. 8 mai.

Elémens de l'art vétérinaire. Eſſai ſur les appareils et ſur les bandages propres aux quadrupèdes à l'uſage des élèves des écoles royales vétérinaires avec figures par Mr. BOURGELAT. à Paris, 8 mai.

IOSEPH BRANDRETH diſſ. inaug. de febribus intermittentibus. Edimburg, 4.

Einige Gedanken über die jetzt geſuchte Vereinigung der

der Naturlehre mit der Landwirthſchaft, entworfen von I. C. BRASEN. *Braunſchweig und Hildesheim,* 8.

CAROL. LUDOV. BRECHTI ſpecimen euriſticae medicae ad pleuritidem applicatae; *nebſt beygefügten Schreiben die Einimpfung der Blattern betreffend. Hamb.* 8.

Mémoire hiſtorique et oeconomique ſur le Beaujolois par Mr. BRISSON. à Avignon et Lyon. 8 mai.

Vollſtändiges Handbuch der ganzen practiſchen Arztneygelahrheit dritter Theil, enthaltend ein allgemeines diſpenſatorium von ROB. BROOKES. *Aus dem Engliſchen überſetzt, Berlin,* 8.

An eaſy and very practicable method to ruable deaf perſons to hear. Translated from the german of ANDR. EL. BÜCHNER. Lond. 8.

Dictionnaire univerſel des plantes, arbres et arbuſtes de France, conténant une deſcription raiſonnée de tous les végétaux de Royaume, conſiderés rélativement à l'agriculture, au jardinage, aux arts et métiers, à l'oeconomie domeſtique et champêtre et à la médécine des hommes et des animaux; par Mr. PIERRE IOSEPH BVCHOZ. Tom. dernier à Paris, 8.

Eiusd. Traité hiſtorique des plantes, qui croiſſent dans la Lorraine et le trois Evéchés, conténant leur figure, leur nom, l'endroit ou elles croiſſent, leur culture, leur analyſe et leurs propriétés tant pour la médécine, que pour les arts et les métiers. Tom. X. ib. 8 min.

Eiusd. dictionaire vétérinaire et des animaux domeſtiques, conténant leurs moeurs, leurs caractères la manière de les nourrir, de les élever etc. avec de belles eſtampes. ib. 8.

P. I. BUCHOZ Manuel médical et uſuel des plantes tant exotiques qu'indigènes. ib. 12.

Eiusd. Abhandlung von der Schwindſucht. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt. Frankf. und Leipz. 8.

ION. MARC. BVSCH tractatus de mechaniſmo organis vocis huiusque formatione. Groning. 4.

Seltne Wahrnehmung eines an der Zunge ſeit vier und und zwanzig Jahren hervorgehangenen Fleiſchgewächſes von neuntehalb Loth, welches den 14. *nov. und* 6. *decemb. des* 1769 *Jahrs bey einer ſieben und zwanzigjährigen Soldatentochter glücklich abgenommen und geheilet worden; nach allen dabey vorgefallenen Umſtänden ausführlich beſchrieben und erläutret von* D. CHRISTOPH GOTTLIEB BÜTTNER. *Königsb.* 4.

Examen del capitolo ſettimo contenuto nella XII. parte dell ultima opera del chiariſſimo Signor ANTON. DE HAEN, indiretto allo ſteſſo Autore da LEOPOLDO MARC-ANTONIO CALDANI. In Padova, 4.

Inquiry in to the efficacy of warm balling inpulſies. By K. CHARLETON. London, 8.

Aanmerkingen over de inentinge der kinderziekte met waarneemingen beveſtigd door PETR. CAMPER met Plaaten. Te Leuwarden, 8.

Reliqua proxime.

Contenta

Contenta in hac parte.

I Journal de médécine, chirurgie, pharmacie etc. par Mr. ROUX Tom. XXVII et XXVIII p. 195.

II Hiſtoire de maladies de St. Domingue par Mr. POUPPE DESPORTES. Tom. I. II. EIVSDEM Traité ou abbrégé de plantes uſuelles de St. Domingue Tom. III. p. 229.

III NAHUYS diſſ. de qualitate noxia aeris in noſocomiis et carceribus eiusque remediis p. 254.

IV MARTINI *Unterſuchung der Frage: ob ausgetretenes Blut wieder aufgenommen und dem Triebe des Herzens unterwürfig gemacht werden könne?* p. 259.

V Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche Maatſchappye de Weetenſchappen te Haarlem. XI. Deel I en IIde Stuk p. 262.

VI DE HAEN rationis medendi Pars XIII. et XIV. p. 280.

VII JACQUIN obſeruationum botanicarum Pars II. III et IV. p. 298.

VIII The conſtruction of timber from its early growth. By HILL. p. 317.

IX Noua

IX Noua acta naturae curioſorum Tom. III. p. 317.

X HARTMANNS *angewandte Electricität bey Krankheiten des menſchlichen Körpers* p. 339.

XI A new ſyſtem of Midwifry. By IOHNSON p. 343.

XII BÜTTNER *von einem aus dem Munde hervorgehangenen Fleiſchgewächſe* p. 350.

XIII Noua phyſico medica. p. 353.

XIV Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1770 prodierunt. p. 363.

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XVIII. PARS III.

LIPSIAE MDCCLXXIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Venetiis apud I. B. Paſcali, Pataui apud Io. Manfrè, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Medical Obſervations and Inquiries by a Society of Phyſicians in London. Vol. IV. London printed for T. Cadell MDCCLXXI. 8. mai. alph. 1. pl. 6. Tab. aen. 4.

h. e.

Obſeruationes et diſquiſitiones medicae, a Societate medicorum Londinenſium editae Vol. IV.

Societas medicorum Londinenſium ex collectis hucusque obſeruationibus nouum tradit volumen, et in poſterum lubenter accipiet diſquiſitiones medicas. Monet vero, nihil cum ea communicare debere Auctores, quod in aliis collectionibus iam impreſſum eſt. Obſeruationes de cicuta, quas Cl. WADE Vlyſſiponenſis promiſerat, nondum ei traditae ſunt.

1.) *De morbo ſingulari cruris obſervatio*, Auctore p. 1.
Cl. BALFOUR Chirurg. Edinburg. ex literis D. HOPE ad GUILIELMUM WATSON transmiſſis. *) Puella ſex annorum ſana, ſed tenerioris corporis habitus, menſe martio 1767 ſub genu in eminentia tibiae percutiebatur. Primis diebus parum in-

*) lect. d. 18. Aprilis 1768.

commodi inde percipiebat; poſtea autem, tumore nucis magnitudine excreſcente, dolor augebatur. Etſi vero cataplaſmata emollientia externe applicabantur, et interne puluis cum aethiope minerali, et ſingulis hebdomatibus lene laxans ſennatum, pro potu autem ordinario infuſum ſaſſafras propinabatur; tumor tamen menſe maio et junio, ſine cutis mutatione, lente increſcebat. Julio vero, tumore valde increſcente, dolor quoque augebatur, venis varicoſis nunc in cute conſpicuis, aegra vero interea lenta febre corripiebatur. Sub initium auguſti tumor, in magnitudinem capitis infantilis auctus, paſſim tactu mollior, paſſim durior erat: inciſione tunc in parte inferiori facta, non niſi ſanguiuolentus ichor effluebat, vulnere mox liuido facto. Tandem amputatio cruris ſuper genu ſuſcipiebatur; aegra autem, vix in lectulum repoſita, vomitu corripiebatur, laudano vix compeſcendo, et verſus veſperam moriebatur. Tumor ambitum viginti quatuor pollicum referebat, et, ſpongiae inſtar, in cellulis coagulatum ſanguinem continebat, tibia & fibula ad ſuperiorem et inferiorem articulationem vsque maſſa coagulata ex ſanguine et muco impletae erant, veſtigiis oſſis et muſculorum vix vllis.

p. 7. 2) *Tentamina ſuper analyſin et virtutes aquae Selteranae, inſtituta a* RICHARDO BROCKLESBY *Societ. Reg. et Coll. Med. Socio.**) Deſitu fontis et analyſi chemica nonnulla praemittit, quae ratione originis ſatis cognita, repetere noluimus; ea vero, quae, de analyſi copioſe proponuntur, ideo non recenſemus, quoniam non ad fontem ea inſtituta eſt: ſufficiet igitur, quaedam ex obſeruationibus de viribus annotare.

Femi-

*) lect. d. 5. Iulii 1768.

Feminae, in febrim hecticam iam procliui, p. 25.
tuſſi moleſta continua, ſudoribus nocturnis, aliisque ſymptomatibus vexatae, quae inſuper aliquoties calcaream materiam ex pulmonibus excreuerat, mederi voluit Noſter, cum diaetam inprimis lacteam et vegetabilem recte ordinaret, infuſum corticis Peruuiani in aqua fluuiatili pro potu ordinario exhiberet, ſpermatis ceti particulam et aliquot guttas tincturae ipecacuanhae vinoſae, ad excretionem ex glandulis pulmonum iuuandam, adderet. Sed aegra ne minimam quidem doſin huius medicamenti ferebat: alium itaque medendi modum elegit Cl. Auctor. Lac aſininum bis de die, aquas Selteranas pro potu ordinario ita tamen exhibuit, vt cuilibet vitro triginta vel quadraginta guttas elixirii vitrioli dulcis inſtillaret. Hac methodo cum fructu uſa eſt aegra; cum vero potum aquarum Selteranarum negligeret, calor hecticus et reliqua ſymptomata redierunt, donec uſu harum aquarum, per aliquot menſes continuato, ita conualeſceret, vt per plures annos ſine incommodo viueret.

Femina, leuiori febre inflammatoria, paulo poſt, p. 28.
excretione larga cutanea, veſiculari debilitata, nec corticis Peruuiani, nec aliorum remediorum vſu, a debilitate et lenta febre liberari poterat, donec vſu continuato aquae Selteranae penitus inſtauraretur. Cum ab initio, ob nauſeam tincturae ipecacuanhae vinoſae vnciam ſemis cum grano ſemis tartari emetici propinauerit: Noſter monet, moderatum horum medicamentorum antimonialium vſum, ſine effectu vomitus, inprimis ſi ſalia media addantur, in initiis febrium acutarum maxime conuenire. In noſtra femina largam diaphoreſin excitauit, et aliquot deiectiones alvinas. Copioſam miliarium eruptionem regimine temperato ſubfrigido excepit, cum, criticam eam non eſſe, intellexerit.

p. 34. Femina ex decubitu ad fauces viſcido, mucoſo, diu laborans, cum appetitus ciborum plenaria proſtratione, variis medicamentis incaſſum tentatis, tandem, poſt excretiones largas, vſu diuturno aquarum Selteranarum, conualuit. Concludit itaque Noſter, non ſolum ſub finem, ſed etiam in vario progreſſu morborum acutorum et chronicorum vſum harum aquarum tentari poſſe.

p. 40. 3) *Annotationes de hydrocephalo interno*, Auctore Cl. IOH. FOTHERGILL, Reg. ſociet. ſocio *) Ea, quae de hoc morbo hucusque obſeruauerat Cl. Auctor, ſtudioſe cum iis contulit, quae Cl. WHYTT propoſuerat. Ipſe vero cognouit, hunc morbum raro accidere ante tertium annum, vt plurimum inter quintum et decimum, raro tardius. Quemadmodum vero in ea aetate, et morbi verminoſi, et dentitio, moleſta ſaepe ſymptomata excitant: ſic etiam hydrocephalus internus, ſiue extrauaſatio aquae in ventriculos cerebri, iisdem ſe immiſcet, et ab initio obſcuris ſymptomatibus ſe prodit, donec, grauioribus obortis, miſeri ſine auxilio pereant.
p. 45. Cum vero varietas horum ſymptomatum medicum diſquirentem vehementer confundat, Cl. Auctor in iis iudicandis maxima cum cura verſatur, cephalalgia tamen, et dolor crurum praecipua videntur. His accedit ſomnus breuis, turbatus, pulſus irregularis, palpebrae oculorum diſtentae, vt albuginea
p. 50. tunica ſolito magis appareat. Ratione methodi medendi, ab initio, et cum ſymptomata leuiora ſunt, Noſter ſimilem ſemper, quam vermibus infantum adhibemus, curam elegit; quae vero nulla eſt, niſi omnes ſecretiones blande conſeruentur; in tam nobili parte tamen reſorptio difficulter fit. Lecta hac tractatione, Cl. HUCK commemorauit quaedam exempla hydrocephali interni.

4) *Rela-*

*) lect. d. 18. Auguſt. 1768.

4) *Relatio de ruptura veſicae, ex ſuppreſſione vrinae in grauida,* communicata a Cl. HEY Chirurgo, Cl. GUILIELMO HUNTER. *) Femina triginta octo annorum, primipara, difficili partu per aliquot dies agitata, infantem mortuum tandem enixa eſt. Etſi vero interea aluus libera erat, et parum vrinae excernebatur; imus venter tamen valde intumuit, variis ſymptomatibus, quae illo morbo propria ſunt, intercurrentibus. Venaeſectio, eaque repetita, leuamen aliquod, ſed breue attulit; lenia laxantia aluum ſatis mouerunt, aegra tamen, die nono poſt partum editum, mortua eſt. In ſectione cadaueris magna copia aquae reperiebatur, quae vrinam redolebat, et in ſuperiori parte veſicae foramen, digitum admittens, inventum eſt, cuius ora ſubnigra erant, veſica de reliquo ſana inuenta. Vterus et reliquae partes abdominales a ſano ſtatu parum recedebant. p. 58.

5) *De cura morbi iſchiadici.* Auctore Cl. IOH. FOTHERGILL, **) Vir quadragenarius ex lumbagine, non ſatis diſcuſſa, morbo iſchiadico ita afficiebatur, vt, ſine ſummo dolore, nec ſe ipſum mouere, nec ab aliis moueri poſſet: lectulo igitur ſemper affixus, opii doſibus haud exiguis ſumtis, dolorem tamen parum temperabat. Noſter ei calomel cum terebinthina, in pilulas reductum, ad granum vnum veſpere propinabat, aluo matutino tempore, ſi opus erat, leni purgante mota. Auxit poſtea doſin ad duo et tria grana, tandem ad ſex, tria veſpere, tria mane, ſic tandem, ſine ſaliuatione ſuccedente, dolor diſcuſſus, et aeger ad liberum motum idoneus redditus eſt. Cum vires mercurii, mixtione mercurii cum terebenthina, infringi viderentur, in ſimilibus iſchiadicis affectionibus ſequenti medicamenti forma cum fructu vſus eſt. Rec. Calomel p. 69.

 leui-

*) lecta die eodem.

**) lecta d. 22. Aug. 1768.

leuigatum gr. X. conſerua roſar. q. ſ. f. Pil. X. capiat vnam omni nocte, ſuperbibendo hauſtum ſeq. Rec. aquae alexit. ſimpl. vnciam vnam ſemis, ſpirituoſae drachmam vnam ſemis, vini antimoniati gt. XXX. tincturae theb. gt. XXV. ſyrup. commun. drachmam vnam, miſce. In continuata cura doſin calomel ad aliquot grana auget; antimoniatum vero et opiatum medicamentum minuit, dolore non nihil ceſſante. Etſi vero interdum ſaliua mouetur, regimine tamen apto facile ceſſat.

p. 78. 6) *Obſeruatio de hydrocephalo interno.* Auctore Cl. GUILIEKMO WATSON. *) Puella ſex annorum, vagis febris acceſſionibus debilitata, de dolore capitis potiſſimum conquerebatur, lucemque ferre non poterat. Ea vero, ante nouem menſes in terram delapſa, caput vehementer concuſſerat, ſine vllis tamen ſubſequentibus incommodis; ſymptomatibus vero obortis, anthelminticis medicamentis vſa erat, ſed ſine fructu. Noſter accerſitus in hydrocephalo interno cauſſam morbi poſitam eſſe perhibuit, et recte quidem; poſtquam enim die ſexto, ſine vero auxilio conuulſa periit, ſectione inſtituta, inter caluam et membranas nullae aquae, ſed in ventriculis quinque vnciae, et in quarto ad minimum vncia ſemis aquae pellucidae deprehenſae ſunt. Etſi vero in hac puella cauſſa in capitis percuſſione poſita eſſe videtur; refert tamen Noſter, in aliis duabus puellis nouem et quatuordecim annorum, idem, ſine vlla capitis contuſione, eueniſſe. Hydrocephalus igitur internus iunioribus magis, quam adultis infenſus eſt, et, niſi forte ſub initium per laxantia et diuretica medicamenta reſorptio, vt in aliis hydropis ſpeciebus, iuuari poteſt, haec, aucta internarum tenerrimarum membranarum diſtenſione, nunquam ſuccedit, ſed morbus ſine vllo auxilio letalis fit.

7) *Rela-*

*) lect. d. eodem.

7) *Relatio de ſpaſmo maxillae et opiſtotono, additis quibusdam obſeruationibus de vſu cicutae interno.* Auctore Cl. GUILIELMO FURR, Chirurg. Plymutenſi, communicata a Cl. WATSON *) Opium, vt optimum auxilium ſpaſmi maxillae, commendatum quidem eſt; Noſter autem arbitratur, non ſemper in ea doſi, quae requiritur, ſed in minori ſemper dari, quam rem obſeruatione ſequenti illuſtrat. Vir viginti ſex annorum, non ſolum tuſſi et dolore pectoris laborabat, ſed ſpaſmus maxillae, cum rigiditate extremitatum, morbum augebant. His ſuccedebant ſpaſmus cynicus, rigiditas ceruicis, ſpinae dorſi et extremitatum inferiorum; abdomen contractum erat, hi vero ſpaſmi, qui per minuta quinque horae durabant, decies et vltra quotidie recurrebant, leni tandem ſudore finiti. Poſt euacuationes primarum viarum, ſperma ceti cum ſale cornu cerui, et tincturae thebaicae guttis decem, praeterea pro potu ordinario decoctum pectorale, exhibebantur. p. 89.

Sic morbus a iunii primo die usque ad ſeptimum increuerat; octauo autem, ſpaſmis cum ſudore frigido auctis, maiores opii doſes, granum nimirum vnum omni hora, cum confectione cardiaca mixtum, propinabat, ita, vt verſus veſperam nonae diei quatuordecim grana cum aliquo ſymptomatum leuamine ſumſiſſet. Balnea itaque calida, emulſiones, et omni bihorio vnum opii granum non ſine fructu adhibebat. Interea tamen aluus obſtructa, et retentio urinae morbum grauiorem reddebant. Cum moſchum, opio iunctum, in aliis aegris incaſſum exhibuerat Noſter, camphorae gr. V. aſſae foetid. gr. iij. praeterea opii gr. iij. et balneum calidum veſpere ordinauit. Cum autem cura non recte ſuccederet, opii doſibus continuatis et auctis, eam ſuſti- p. 93.

*) lect. d. 17. Octobr. 1768.

nuit. Die 14. iunii gr. XX. et ſimilem doſin d. 15. die autem 16. gr. XXVI. d. 17. et 18. gr. XXII. d. 19. vsque ad 25. ſingulis diebus gr. XIV. d. 26. et 27. gr. XXVIII. exhibuit. Datum ſimul eſt iulapium, cum camphora et aceto, et alia medicamenta. Sic ſenſim, conſopitis ſymptomatibus, opii doſin imminuit Noſter, et, cum a die iunii 28. ad 30. opii gr. XXXVI. exhibuiſſet, tandem a 1. ad 6. iulii, gr. VI. quotidie, et poſtea ad 21. iul. vsque gr. iij. veſpere propinauit.

Mirum uidetur Cl. Auctori, aegrum tribus circiter hebdomatibus, numerando gr. XIV. per diem, vltra quinque drachmas opii ſine vllo ſtupore et dolore capitis ſumſiſſe: et nos magis miramur, qui profundum ſomnum ex gr. ij. et ab duabus circiter unciis laudani liquidi SYDENHAMI, intra aliquot hebdomadas omni veſperi ad ſomnum conciliandum, viginti ad triginta guttas inſcio medico hauſtis, ſomnum et ſtuporem letalem vidimus. Monet tamen Noſter, veram opii doſin, in eiusmodi ſpaſticis affectionibus, non niſi ex effectu definiri poſſe. Etſi vero epiſtotonus non rediit, tuſſis tamen, et reiectio materiae ex pectore, aliaque ſymptomata aegrum noſtrum in noſodochio retinuerant.

p. 104. Obſeruationes de effectu cicutae nunc commemorandae ſunt. Vir, tuſſi vehementi et febre tertiana affectus, in anaſarcam et aſcitem incidit, et, cum aquae paracenteſi bis ſubducerentur, tumor hepatis et lienis abunde apparebat. Rebus ſic ſe habentibus, vſum corticis Peruuiani neglexit, et primis viis ſatis purgatis, abdomini decoctum ſaturatum cicutae, vt fomentum, et paulo poſt emplaſtrum e cicuta et gummi ammoniaco applicauit; extractum autem cicutae bis de die, primum ad ſcrupulum vnum, poſtea drachmam ſemis exhibuit, et intra tres hebdomadas maximum auxilium percepit. Sequenti tamen

tamen anno, aeger demum ex noſodochio vegetus dimiſſus eſt, et ſubſequenti etiam anno, praeter conſuetum abdominis tumorem, nulla incommoda ſenſit. Tumores ſcrophuloſos paruis et continuatis cicutae doſibus ad ſcrupulum ſemis ſubinde diſcuſſit; in cancro autem non niſi apparens et breue auxilium percepit.

8) *Hemiplegiam, ſingularibus ſymptomatibus ſtipatam*, deſcripſit Collegii Socius.*) Femina ſexaginta octo annorum, paralyſi dextri lateris affecta, ab initio optimis medicamentis vſa eſt, ſed ſine fructu: ideoque illa ab omni medicina externa et interna abſtinuit. Appetitus ciborum tum auctior erat, quam antea in ſtatu ſano fuerat, et digeſtio etiam bona. Vrina inuoluntaria ſuccedebat, obſtructio alvina pertinaciſſima; quae, cum aegra auxilia vera recuſaret, purgantibus clanculum cum potu exhibitis, interdum leuabatur. p. 110.

9) *De paracenteſi in hydropicis tempeſtiue adminiſtranda*, Auctore Cl. FOTHERGILL **) Multae ſunt et efficaces medicinae, quae, aucto morbo, ſine fructu applicantur, cum citius exhibitae ſalutares fuiſſent. Inter operationes chirurgicas paracenteſis, quam timor aegrorum ſaepe iuſto longius differt, eodem modo conſideranda eſt. Si in aſcite imminente diuretica nullum effectum edunt, et purgantia fortiora crebrius exhibita, ſyſtema partium ſolidarum nimis debilitant, ab iis omnino deſiſtendum eſt, cardiacis ſolis et ſufficiente potu exhibitis, vsque dum ea plenitudo aquae adſit, quae paracenteſin admittit: qua facta, roborantia et cardia- p. 114.

ca

*) lect. d. 31. Octobr. 1768.
**) lect. d. 14. Novembr. 1768.

ea excretionem vrinae ſaepe ſuſtinent. Hanc rem variis obſeruationibus illuſtrat Cl. Auctor, et de ſcarifatione in anaſarca monet, eam tutius et melius inſtrumento conſueto, quam largioribus inciſionibus fieri: in his enim nimis cito effluit aqua, et vulnera in cute, per anaſarcam extenſa, difficilius curantur. In hac tamen ſcarifatione non opus eſt cucurbitulas cum multa flamma applicare; ſi enim non ſatis profunda efficiat vulnuſcula, lanceola quodammodo dilatari poſſunt.

p. 123. 10) *De obſtructione aluina difficillima ex fecum duritie.* *) De quibusdam aegris refert, qui, ſcybalis induratis, et in inteſtino recto, et paulo altius haerentibus, dolores et teneſmos vehementer perceperunt, etſi interdum et tenues feces per diarrhoeam quaſi excreuerint. His mechanica opera ſuccurendum erat, ita, vt concretiones durae, tandem in partes diuiſae, ſecederent. Cauſſam huius morbi in nimium corticis Peruuiani vſum coniicit, neglectis interea lenioribus laxantibus; monet enim, puluerem hunc non digeri, ſed in ſucceſſiuo tranſitu per canalem inteſtinorum, in maſſas irreſolubiles cogi, vi motus periſtaltici non expellendas.

p. 132. 11) *Relatio de putridis morbillis, Londini 1763 et 1768. obſeruatis*, Auctore Cl. GUILIELMO WATSON **) Morbillos ad exanthematicos benignos morbos referri in aperto eſt; ſi tamen epidemici fiunt, non raro malignitatem acquirunt, quod et aliorum et ſua declarat experientia. Oculi tunc lacrymantes et inflammati, tuſſis vehemens cum debilitate vniuerſali; febre aucta morbilli celerius erumpunt, ſym-

*) lecta die eodem.
**) lect. d. 9. Ianuarii 1769.

ſymptomata tamen perſiſtunt, et reſpiratio difficilis ſine expectoratione ſuccedit; cutis ſicca, fauces profunde rubicundo colore conſpicuae, lingua ſordida, pulſus celer, vix plenus, inflammatoria ſymptomata continuant. Haec in primo ſtadio eueniunt; in altero, febre remittente, ſymptomata tamen perdurant cum magna anxietate, pulſus celer, debilis et irregularis, deiectiones aluinae crebriores, deliria tandem accedentia mortem praenuntiant. In diſquiſitione cadauerum apparebat, ſphacelum varias partes occupaſſe, inprimis pulmones, in quibus ater ſanguis et ſanies ſtagnabant. Poſtquam pro- p. 146. greſſum morbi varium in nonnullis aegris deſcripſit, de remediis, et primo quidem de venaeſectione agit, quam in principio copioſam et repetitam adminiſtrabat, ſed ſine fructu; in altero ſtadio quoque nullus eius vſus eſt. Monet hic iuniores practicos, ne nimiae venaeſectioni in putridis inſiſtant, quoniam, plethora vniuerſali nimis imminuta, debilitas ſuccedit, et plethora et obſtructio in aliis partibus, praecipue pulmonibus non tollitur; ventriculus et inteſtina poſtea lenioribus doſibus tartari emetici purganda ſunt, quo methodus antiphlogiſtica ſubiungi poſſit. In altero ſtadio varia pro ratione ſymptomatum curatio eſt, quam exemplis illuſtrat.

12) *Obſeruatio de billioſis febribus, in itineribus ad* p. 156. *Indiam orientalem ſolemnibus*, Auctore Cl. BADENOCH, Cl. WATSON communicata. *) Aerem nocturnum in calidioribus climatibus cauſſam eſſe oſtendit, cum illi, qui, ſcorbuto affecti, in terram deſcenderint, hoc quidem curato, febre tamen billioſa correpti perierint. Ideam morbi non ſatis, ſed curationis modum magis definit. Sanguinis miſſio, niſi

*) lect. d. 20. Febr. 1769.

niſi in robuſtis et ſub initium fiat, minus conuenit. Euacuationes, tartaro emetico factas, magis laudat: ſpiritum MINDERERI, vel ſimilia medicamenta, poſtea exhibet, quo paroxyſmos intermittentes obtineat, quos cortice Peruuiano coercet, debilitate autem accedente, hic citius exhibendus eſt.

p. 168. 13) *Relatio de noua methodo amputandi pedem paulo ſupra malleolos, cum deſcriptione machinae, ad amputationis locum adaptandae.* Auctore CAROLO WHITE, chirurgo, Cl. HUNTER communicata. *) In laeſionibus pedis methodum, crura mox ſub genu amputandi improbat, nouam hanc et aliorum, et ſuam deſcribit, et quatuor iconibus tabula quarta illuſtrat.

p. 178. 14) *Bubonocelen cum inſolitis ſymptomatibus ortam deſcripſit, monita de vſu cataplaſmatum e radice dauci ſatiui ſubiunxit, et cum* Cl. HUNTER *communicauit,* Cl. HENRICUS GIBSON chirurgus. **) Exigua bubonocele, grauiſſimis tamen ſymptomatibus herniae incarceratae ſtipata, nullis auxiliis exhibitis cedebat; aeger vero operationem recuſabat, et paulo poſt ſubito moriebatur, etſi externae inflammationis ſigna non adeſſent. In diſquiſitione poſt mortem, inteſtina tenuia, ex parte inflammata, apparebant, ileon, in parua ab hernia diſtantia, proceſſum lateralem, digiti magnitudine, oſtendebat, et in hernia ipſa, quae omentum praecipue continebat, ſimilis paruus ſinus inteſtini, ſenſim formatus, omento inuoluebatur.

In altera huius tractationis parte variae morborum hiſtoriae recenſentur, quae vſum cataplaſmatis radi-

*) lect. die eodem.
**) lecta d. 31. Octobr. 1768.

radicis dauci ſatiui et infuſum polentae, (*Maltz*) quod in noſodochio decoctum braſii dicitur, declarant. Ex his perſpicimus, non ſemper quidem ſanationem certam; in ſummo tamen foetore et dolore vlcerum venereorum, ſcorbuticorum, ſcrophuloſorum et cancroſorum, longe ſerpentium, leuamen attuliſſe. Monet Noſter, autumni tempore cataplaſmatis vſum, radicibus egregie ſucculentis, efficacius fuiſſe, quam aeſtate, qua radices aquoſae, et hyeme, qua minus ſucculentae, reperiuntur.

15) *Tentamina cum cerumine aurium, eo fine inſtituta, vt optima methodus illud diſſoluendi detegatur, quando ſurditatis cauſſa eſt.* Auctore Cl. IOH. HEYGARTH. Cl. WATSONO communicata. *) Cerumen hoc immiſit in aquam, acidos et alkalinos liquores, ſalia neutra ſoluta, ſaponaceos liquores et inflammabilia, et ab acidis indurari, ab aliis ſaepe in granuloſam vel mucoſam maſſam diſſolui vidit. Cum vero aqua brunum vel flauum ceruminis colorem in album mutet, et poſtea diſſoluat, optimum ſoluens dicit, quae quo magis calida, ſine laeſione tamen meatus auditorii, immittitur, eo magis ſoluit. p. 198.

16) *Obſeruatio de cura haemoptoes, et de equitatione phthiſeos remedio.* Auctore THOMA DICKSON M. D. Nitrum paruis, ſed repetitis doſibus, vt remedium, haemoptoen, vel interdum alias haemorrhagias coercens, laudat, hancque virtutem ei ſoli tribuendam eſſe vrget, cum et conſerua de roſis rubris, et ſpermate ceti exceptum, ſimiles virtutes oſtendat. De equitatione in phthiſi non, niſi ea habet, quae SYDENHAMUS ſuaſit. p. 206.

17) a

*) lect. d. 4. Septembr. 1769.

p. 214. 17) a. *Monita quaedam de relationibus Londini demortuorum, et tentamen propoſitum de relationibus his annis vniuerſae nationis concinnandis.*

p. 223. 17) b. *Relatio de iliaca paſſione letali*, Auctore Cl. M. GARTHSCHORE RICHARDO HUCK communicata. Quamquam ileus morbus ex diuerſis cauſſis oritur, idem tamen ſemper progreſſus ſymptomatum eſt. Noſter morbum hunc in virgine viginti et vnius anni, die decimo ſexto morbi letalem recenſet, in qua omentum cum meſocolo concretum inueniebatur; ex hoc nexu, chorda variae craſſitiei ad ileum inteſtinum, paulo ſupra inſertionem in coecum ita accreſcebat, vt duplicata ilei pars non tantum vehementer conſtringeretur, ſed in parte, meſenterio appoſita, diſcinderetur, ita, vt contenta inteſtini in abdomen effunderentur. Varias ſimiles conſtrictiones, ex obſeruationibus chirurgorum, commemorat, et declarat, quam difficile ſit, ad eiusmodi ſtricturas reſerandas, gaſtrotomiam, vt vltimum remedium, tentare.

p. 231. 18) *Obſeruationes de vſu balſamicorum medicamentorum in cura tabidorum*. Auctore Cl. FOTHERGILL. *) Recenſet primum varia balſama natiua, et nonnulla compoſita: vires eorum breuiter definit, indeque declarat, nec in externis vulneribus et vlceribus ſanandis, quod ſtimulando et caleſaciendo agant, eorum vſum ſemper poſſe admitti; multo minus in internis partibus, ad quas vel non pertingunt, vel, ſi tandem integris viribus eo deriuarentur, plus laederent, quam ſanarent. Hoc praecipue pulmonum exemplo, in phthiſi, declarat, et iuniores practicos adhortatur, ne hanc, a multis receptam medendi methodum, ſequantur.

19) *De-*

*) lect. d. 16. Octobr. 1769.

19) *Defenſio methodi medendi* SYDENHAMI p. 247. *in morbillis.* Auctore Cl. THOMA DICKSON. Inuenit nimirum Cl. MEAD, SYDENHAMUM reprehendere, quod non in principio, ſed tandem ſub finem, ſi tuſſis cum peripneumonia moleſta fuerit, ſanguinis miſſionem adminiſtrauerit. Oſtendit autem Noſter, SYDENHAMUM ſemper, et omni morbillorum tempore ſanguinem detraxiſſe, ſi morbi indoles hoc exegerit, inprimis, ſi calidioribus medicamentis febris vltra modum aucta fuerit.

20) *Defenſio relationis* SYDENHAMI *de morbil-* p. 256. *lis, contra* MORTONUM, Auctore EODEM. Oſtendit praecipue, numerum hoc morbo demortuorum a MORTONO minus recte, a SYDENHAMO autem accuratius definitum eſſe.

21) *Deſcriptio ſectionis caeſareae.* Auctore Cl. p. 261. GUILIELMO COOPER M. D. Cl. HUNTERO communicata. *) Femina grauida, triginta trium annorum, propter ſingularem peluis anguſtiam, omnibus etiam artis obſtetriciae auxiliis adhibitis, fetum viuum eniti non poterat. Ad operationem itaque caeſaream deueniendum erat, quae, etſi recte adminiſtrata, felicem tamen euentum non habuit; magna potius in abdomen effuſi et coagulati ſanguinis copia inuenta eſt. Fetus quidem, viuus extractus, nutrimentum ſumſit et deiectiones aluinas habuit, ſed tumor, ad radicem naſi ortus, ſanguinolentus, ſeroſus paulo poſt mortis cauſſa fuit. Accuratae pelvis delineationes Tab. II. III. et IV. traduntur.

22) *Relatio de caeſarea operatione recte efficienda,* p. 272. *additis annotationibus.* Auctore Cl. HENRICO THOMSON. Noſod. Lond. Chirurg. Cl. HUNTERO D. M. com-

*) lect. 1769.

communicata. Deſcribit primum omnem operationem, quam ad normam praeſtantiſſimorum chirurgorum adminiſtrauerat. Infans viuus eductus eſt; poſt aliquot tamen horas obiit mater, in cuius infimo ventre magna copia ſanguinis coagulati, vt cauſſa mortis, inuenta eſt. Annotationes, quas ſubiungit, diuerſas chirurgorum, de operationis huius ſucceſſu, ſententias tradunt, locum inciſionis abdominis diiudicant, et difficultatem compeſcendae haemorrhagiae declarant.

p. 289. 23) *Annotationes de cura tabidorum.* Auctore Cl. FOTHERGILL *). Obſeruationes de vſu balſamicorum in cura tabidorum, No. 18. Noſtrum ad vlteriorem et ampliorem hanc tractationem deduxit. In qua praecipue in phthiſeos initia inquirit, quae in infantibus, et tenerioris habitus corporibus, poſt morbillos, ſcarlatinas aliasque febres exanthematicas, catarrhalibus ſimiles, et in catharrhalibus ipſis, acri ſero, ad pulmones conuerſo, tuſſim excitant. Ad hanc tuſſim praecipue reſpiciendum eſt, quae non, niſi exquiſita diaeta, cohiberi poteſt. Hanc diaetam, non ſolum ratione copiae, ſed etiam ſelectus, ſtudioſe diſquirit: monita praeterea de ſanguinis miſſione, opiatorum vſu, et aliis medicinis interdum exhibendis immiſcet, ita, vt lectionem huius tractationis, in vniuerſo nexu, practicis iunioribus quam maxime commendemus.

p. 305. 24) *Relatio de morbo epidemico,* ex literis, ad Cl. CLARKE datis, excerpta. Auctore GUILIELMO SANDIFORD Med. Barbadenſi, communicata a Cl. FOTHERGILL **). Menſe maio, iunio et iulio ſuperi-

*) lect. d. 11. iunii 1770.

**) lecta d. 16. aprilis 1770.

perioris anni febris putrida remittens, et albos incolas et nigritas inſulae Barbados corripiebat. Caput potiſſimum cum organis ſenſoriis, obnubilationes, ſtupores, et deliria afficiebant, et, quando, largo ſudore oborto, ſymptomata grauia ceſſabant, imbecillitas tamen ſumma, et frigus extremorum remanebant. Symptomata reliqua accurate deſcribit, et, idea morbi propoſita, de curatione agit. Venaeſectio non conueniebat, niſi forte in initiis morbi, in plethoricis et robuſtis, quo tempore etiam lene laxans non inutile erat. Vomitoria magis conueniebant, cum viridem, porraceam materiam copioſe euacuarent. Hoc facto, mox ad cardiaca et analeptica progrediendum erat, ex quibus cortex praecipuas partes habebat. Veſicatoria euacuationes ſeri acris vehementes efficiebant, ulcera excitabant, ſed imbecillitatem augebant. Sub finem vſum largiorem vini Maderenſis, vt optimi cardiaci et alexipharmaci medicamenti, commendat. Humida et calida tempeſtas praecipua cauſſa fuit: ii etiam, qui depreſſa, vmbroſa, et humida loca inhabitabant, praecipue morbo affecti ſunt.

25) *Appendix ad obſeruationes de hydrocephalo*, p. 321. No. 6. huius voluminis traditas. Auctore Cl. WATSON *). De morbo pueri refert, qui, per plures dies, vehementiſſimis, hydrocephalum indicantibus, ſymptomatibus excruciatus eſt, quae vero paulo poſt ſubinde euanuerunt, et aegri ſanitas integre reſtituta eſt. In alio puero morbus letalis fuit. Aqua, ex ventriculo educta, et in cochleari igni admota, nullum coagulum, ſed perſpirationem ſine reſiduo offerebant.

*) lecta d. 30. aprilis 1770.

p. 330. 26) *Excerptum ex literis* Cl. GUILIELMI THOMSON, M. D. ad Cl. GUILIELMUM HUNTERUM. M. D. *ſiſtens relationem, de effuſione letali ſanguinis in cauum pericardii.* *) Vir quadraginta duorum annorum, in iuniori aetate crebriores haemorrhagias paſſus, et ſaepius leni tuſſi cum palpitatione cordis, poſtea vero rheumatiſmis inflammatoriis affectus, ſub finem ianuarii 1769. ſimili rheumatiſmo vexatus, in ſiniſtra praecipue thoracis cauitate tumorem et anxietates percipiebat; venaeſectiones repetitae nullum, veſicatoria tamen aliquod leuamen afferebant: palpitatione cordis et febre vehementi poſtea ſemper affectus, ſpatio trium hebdomadum, quinquaginta ſanguinis unciae ſubinde ſubductae ſunt, febre tandem et ſymptomatibus quodammodo imminutis. Recrudeſcebat tamen morbus die decimo octauo februarii, cum ſumma pectoris oppreſſione et aucta debilitate, per interualla parum mitigatus, morte tandem die viceſimo ſecundo accedente. In ſectione cadaueris, pericardium, vehementer diſtentum, pulmones reprimebat, et ex eo eductae ſunt tres menſurae (*pint*) ſanguinis fluidi, praeter grumos coagulatos, ſat copioſos. Cor flaccidum erat, ſed nullo in loco ruptum, ita, vt tanta ſanguinis copia tantum ſubinde transpreſſa eſſet.

p. 338. 27) *Relatio, de bono ſucceſſu inciſionis aponeuroſeos muſculi bicipitis, in vulnere dilacerato.* Auctore Cl. B. WILMER, in literis ad D. HUNTERUM contenta. **) Femina contuſo et dilacerato vulnere, in flexura brachii laeſa, inſigni huius tumore doloribus inde et vehementi febre affecta, non, niſi inciſione faſ-

*) lect. d. 25. Iunii 1770.
**) lecta d. 1. Octobr. 1770.

faſciae bicipitis tenſae et dilaceratae iuuari poterat; hac tamen facta, dolor et febris ceſſabant, et, ſuppuratione blanda ſuccedente, curatio reliqui vulneris exacte ſucceſſit.

28) *Obſeruatio, de inſenſibilitate tendinum.* Auctore IOHN TECKEL Chirurgo, *cum introductione* Cl. HUNTERI M. D. *) In breui introductione controuerſia, de hac re mota, declaratur, et, obſeruationem hanc inſenſibilitatem tendinum luculenter confirmare, dicitur. Chirurgus vero partem dilacerati tendinis forfice, ſine aegri ſenſu, praeſcidit. p. 343.

29) *Relatio, de conuenienti methodo in ſanandis vlceribus crurum.* Auctore IOSEPHO ELSE, communicata a Cl. FOTHERGILL. **) Ulcera crurum, frequentiſſimum morbum noſodochiorum, pauperes magis afficere: in curatione per medicamenta varia, interdum quidem ſupprimi, ſed iterum recrudeſcere, res notiſſimae ſunt. Noſter, poſt curationem internam, et callum, emollientibus cataplaſmatibus diſcuſſum, tincturam myrrhae, vel aquam vegetabilem GOULARDI medicamentum ſaturninum applicat: ulcus plumbea lamina premit, et faſciis, crebrius circumductis, et ad genu usque continuatis munit, et haud exiguum commodum, in ſanandis ulceribus, inde promittit. Interim ſub finem monet, diu iam cognitum hoc auxilium non ſemper ſuccedere, cum ſaepe materia, ſi hic coercetur, ad pulmones ruat, et maioram noxam adferat. p. 347.

30) *Relatio, de hernia ſingulari et letali.* Auctore EODEM. ***). Tumor in inguine, cum dolore obortus, et tactu, et ex indole morbi, glandula lym- p. 355.

*) lecta d. eodem.
) lect. d. 15. Octobr. 1770. *) lect. die eodem.

lymphatica indurata eſſe videbatur, ideoque cataplaſmatibus emollientibus mouebatur, aeger vero ſubito obiit, et in diſquiſitione cadaueris, glandulam, facile ſeparandam, nullaque herniae veſtigia oſtendit, attamen laeſione, ſub ligamento POUPARTII diſquiſita, aliqua tamen pars inteſtini ilei intercepta erat, ex quo euentu cognoſcebatur, et eas hernias, quae non totum inteſtini tubum intercipiunt, letales eſſe, nec, operatione inſtituta, ſemper tolli poſſe.

p. 358. 31) *Relatio, de effectu cicutae et cataplaſmatis dauci ſatiui, in cura cancri mammae*, ex literis Cl. ARTHUR NICOLSON. M. D. ad Cl. RICHARDUM HUCK. M. D. *) Femina quadraginta quatuor annorum, teneri corporis habitus, variis rheumaticis doloribus, aliisque ſymptomatibus, crebrius vexata, ſcirrho in mamma ſiniſtra affecta, eo tamen, aliquot annorum ſpatio, ſubinde diſſipato, in dextra ſimilem contraxit. Hic grauior erat, et vehementer pectori adhaerebat. Noſter itaque, doloribus auctis, cicutam, et interne exhibuit, et in externis epithematibus applicauit, tanta etiam copia, vt ducenta et decem grana extracti quotidie deglutiret. Morbus tamen non ſanatus eſt, ſed carcinomaticum vlcus ſubinde increuit, ita, vt nono menſe demum e vita ſecederet. Etſi vero hoc in caſu vera curatio a cicuta fruſtra expectata eſt, Noſter tamen hoc medicamentum non prorſus contemnit, cum multa incommoda leuauerit, et tum etiam, cum caput ſtupore affecerit, effectus triſtes non reliquerit. Cataplaſma ex dauco ſatiuo foetorem ulceris correxit.

32) *Rela-*

*) lect. d. 5. Nouembr. 1770.

32) *Relatio, de egregio vſu decocti polentae* *) p. 367.
(Wort) in vlceribus malignis, ex literis Cl. BENIAMIN RUSCH M. D. et Prof. chem. in Philadelphia, ad D. HUCK *). Femina, venerea labe infecta, praeter alia ſymptomata, corpus paſſim ulceribus obſeſſum, offerebat. Noſter vero ſaliuationem, quae iam ſine fructu tentata erat, repetere noluit, ſed largiorem vſum decocti polentae ſuaſit, ex cuius vſu intra menſem femina vires ita recuperauit, vt ſine vlteriori medicina, poſt ſeptem menſes, ſanitas conſtans perſiſteret.

Alia femina, abſceſſu in dextro hypochondrio oborto, paulo ſuper os ileum, hic ſuppurationem quidem ſubiit, ſed, inciſione facta, non pus bonum ſed ſanguinolentum praebuit; ulcere itaque impuro relicto, vſus decocti, nunc indicati, largior, et in hoc maxime ſalutaris erat. Quanquam enim ſinus laterales vlceris aperiendi erant, tamen et hi tandem puri redditi et ſanati ſunt.

33) *Tumorem cyſticum, in orbita ortum, a chirurgis* p. 371.
Cl. BROMFIELD et INGRAM *operatione ſublatum*, deſcribit Cl. R. BROCKLESBY M. D. Tumor, ad glandulam lacrymalem natus, bulbum oculi depreſſerat, palpebra ſuperiori, parum ſurſum allata, ſed hiante et a ſuperiori remota. Non coecitas ſolum, ſed dolores aegrum urgebant, vt ubique auxilium quaereret, quod tandem nominati chirurgi praeſtiterunt. Palpebra inferiori itaque, quantum fieri poterat, ſurſum ducta, inciſio per integumenta ad

*) Praeparatur hoc ex tribus vel quatuor cochlearibus pulueris polentae, (*Maltz.*) in menſura ebullientis aquae exceptis, addito tandem vno vel altero cochleari vini, et pauxillo ſacchari bruni.

*) lect. d. eodem.

naſum tanta efficiebatur, vt digitum chirurgi admitteret, qui, tumorem diſquirens, eum ſcalpello acuto perforabat, ita, vt ex eo liquor pellucidus efflueret, vitro, ex quo vinum bibitur, vix excipiendus, quiete aliqua aegro conceſſa, ſanguineque deterſo, cyſtis hamulis protracta et tota exciſſa eſt. Etſi vero operationem hanc inſignis inflammatio excipiebat, eius tamen ſymptomatibus ſopitis, aeger recte curatus eſt. Poſt quinque enim menſes palpebra liberum motum acquiſiuerat, et oculus lucem et tenebras diſcernere poterat.

p. 377. 34) *Epiſtolae duae, de varicoſo anevryſmate*, a Cl. W. WHITE ad Cl. GUILIELMUM HUNTERUM M. D. ſcriptae, et ſocietati communicatae. Traditur in iis deſcriptio venae baſilicae pertuſae, cum vulnere arteriae brachialis ſubiectae. Coalitione enim vtriusque vaſis facta, ſanguis ex arteria in venam refluxit, vtrumque vas magis extenſum erat, et motus, pulſui ſimilis, in vena crebrius percipiebatur, pulſu ad carpum exiguo.

p. 382. 35) *Epiſtola* Cl. THOM. ARMIGER chirurgi ad Cl. HUNTER *ſuper varicoſum anevryſma*. Similis ferme arteriae et venae tumor in flexu cubiti deſcribitur: compreſſa arteria humerali, deplebatur vena hucusque turgida, mox repleta, ſi compreſſio arteriae ceſſaret: in hac aegra, arteria humeri et carpi, aequali vi pulſabant. In addito Cl. HUNTERI monito legimus, ſe hanc feminam poſtea examinaſſe, et ſequens tentamen inſtituiſſe: ligato nimirum ſub tumore brachio, ne ſanguis ab extremitate reflueret, et paulo poſt compreſſa arteria humerali, omnem tumorem euanuiſſe, ceſſante autem arteriae compreſſione, tumorem venae illico repletum eſſe.

36) *Relatio, de letali inuerſione vteri, cum ruptura veſicae in grauida.* Auctore Cl. IOH. LYNN chirurgo, communicata a Cl. HUNTERO M. D. Femina quadraginta circiter annorum, mater plurium liberorum, decima quinta circiter hebdomade grauida, prolapſum vaginae, quem ſaepius paſſa erat, denuo percepit, nunc vero difficilius, quam alias remittere potuit; partibus tamen, auxilio chirurgi denuo repoſitis, poſt decem dies in terram delapſa, ſimilia percipiebat incommoda; ſine prolapſu vaginae, ſed cum ſenſu corporis cuiusdam, ex abdomine verſus dorſum delapſi. Longius nunc recenſet Noſter diſquirendi modum et auxilia; ſed iudicium difficile erat, nec urina vllo modo per catheterem ſubduci poterat. Aegra autem interea ſenſit dolorem partis cuiusdam, in abdomine ruptae, quo facto, melius ſe habuit, et ſibi ipſi abortum praedixit, qui etiam breui ſequutus eſt, ſecundinis ſimul cum fetu ſecedentibus. Etſi vero poſtea catheter facile in veſicam admittebatur, nulla tamen urina ſubducta eſt, incommoda potius, ſine leuamine vllo, increſcebant, veſicam igitur ruptam eſſe chirurgus praeuidit, quod etiam poſt mortem, breui ſubſequentem, ſectione confirmatum eſt. In abdomine nimirum decem circiter menſurae vrinae deprehenſae ſunt, veſica flaccida, foramine rotundo, in margine gangraenoſo, verſus fundum reperto; vterus totus adeo retrorſum flexus erat, vt vix conſpiceretur, ſed inter vaginam et inteſtinum rectum impactus delitеſceret, orificio vteri verſus os pubis directo. Cl. Auctor ſub finem multa proponit, de auxilio, in ſimili caſu ferendo; ſed praeter puncturam veſicae, ſupra os pubis, quam tamen aegra noſtra admittere nolebat, nullum auxilium fuiſſet. p. 388.

In appendice Cl. HUNTER ſimilem ferme caſum recenſet, quem tamen hic indicare nolumus, p. 400.

cum ipſe moneat, melius intelligi poſſe, conſpecta icone, quam in tabula operis maioris iconum vteri dedit, quod ſplendidum et vtile opus auide expectamus.

p. 410. 37) *Relatio, de ſimplici fractura tibiae, in femina grauida, in qua callus non niſi poſt fetum editum formatus eſt.* Auctore Cl. EDWARD ALANSON chirurgo, communicata a Cl. HUNTER. *) Femina viginti duorum annorum, teneri corporis habitus, in qua ante grauiditatem femoris fractura apte ſanata erat, dum altero menſe grauidam ſe ſentiret; ſimplicem tibiae fracturam paſſa eſt, quae tamen, molli ſemper loco fracturae relicto, ſanari haud potuit, pede tandem oedematoſo reddito. Cura itaque ſanitatis in vniuerſum habita, et inprimis cortice Peruuiano crebrius propinato, vsque ad partum ſeruata eſt; fetu autem edito, oedema ſubinde diſcuſſum eſt, et fractura ipſa coaluit, vt, nona hebdomade, cruri firmiter inſiſtere, et libere obambulare poſſet.

*) lecta die 4. Septembr. 1769.

DOMI-

II.

DOMINIC. COTTUNNII regii anat. prof. de ſedibus variolarum σύνταγμα Vien. apud Rudolph. Graeffer. 1771. 8. c. f. pag. 274. ſine capitum ſumma, praefatione et iconis explicatione.

Non nuper variolas, non ſolum cutem et externam corporis ſuperficiem, ſed etiam internas partes occupare, a nonnullis medicis demonſtratum, atque exemplis confirmatum eſt. *) Cum autem, hanc rem aliter ſe habere, cadaueribus varioloſis diſquiſitis, Cl. COTTUNNIUS, quem alio tempore iam laudauimus, **) viderit, variolarum ſedem accuratius definire, ex ſectionibus eiusmodi cadaverum conſtituit. Praefatione igitur, quae ad Cl. IOANNEM PRINGLE directa eſt, praemiſſa, a Noſtro quaeritur de ſedibus variolarum: Vtrum cutem ſolam, an partes, cutis ſimilitudinem prodentes, ſubque cute ſitas, praeſertim quae ventribus includuntur, variolae occupent, ibique ſimul ſint aut eſſe poſſint; porro, qualis locus earum partium, quae variolas excipiunt, iis fouendis ſit aptus?

Ad hanc rem, eo melius definiendam, cadauerum varioloſorum nonnullorum ſectiones praemittit Cl. COTTUNNIUS. Ac primum legitur hic aegri

*) Legi hac de re inprimis meretur praeter eos, quos Cl. COTTUNNIUS collegit, diſſ. inaug. de ſede variolarum non in ſola cute Auctore CASIMIR. CHRIST. SCHMIDELIO Reſp. *Friedric. Auguſt. Lammers*, Erlang. 4. v. comm. noſtr. primae decad. ſupplem. IV. p. 694.

**) EIUSDEM de iſchiade neruoſa commentarius. Vienn. 1770. 8. comm. noſtr. Vol. hoc p. 125.

aegri adulti varioloſi hiſtoria, qui, ob variolarum malignitatem ac ſymptomatum grauitatem, mortuus eſt conuulſionibus validiſſimis. Ad cadauer hoc aperiendum, quod tantam articulorum oſtendebat flexibilitatem, quanta, in viuo corpore, aegre obſeruatur, indeque ſummam ſolidorum laxitatem ac fluidorum reſolutionem prodebat, non ſolum morbi grauitas, ſed etiam caſus ab alto, non diu ante eius mortem, Cl. COTTUNNIUM impulerunt.

p. 20. Integumenta tumebant ita, vt in oedemate, ac cuticula ſatis craſſa erat, qua inciſa, pinguedo ubique deprehendebatur. Puſtulae ichore, puri, ſeu lymphae ſublacteae ſimili et pauco, erant impletae, ideoque eas variolas refert ad cryſtallinas. Inde facile et fieri potuiſſe Noſter putat, vt, timore perculſo aegro, ob ictum capitis, nullo autem modo, vti ex ſectione patet, periculoſum et letalem, hic ichor, in ſanguinem reſorptus, neruos petierit, atque conuulſionibus his mortiferis inſeruiuerit. Id quod proficiſci a timore, nec non a variolis cryſtallinis, cuius ichor inprimis ad reſorbendum pronus, et, ad neruos male afficiendos, aptus cernitur, a Noſtro affirmatur. Nec minus ab hoc retrogreſſo ichore deriuat Noſter cadaueris flexibilitatem ac viſcerum flacciditatem. Praeterea autem ne ullum quidem miaſmatis varioloſi, in internis corporis partibus, detexit veſtigium.

p. 30. His addit, ex nonnullis adhuc aliis, quibus interfuit Cl. COTTUNNIUS, ſectionibus cadauerum varioloſorum, duo alia exempla, ex quibus pariter ac ex reliquis patet, variolas ibi ſolummodo ſedere, vbi aer externus penetret, ideoque nec in ventriculo, nec in inteſtinis, nec in viſceribus thoracis, ac abdominis variolas eſſe, etiamſi FERNELIUS, GUNTZ aliique id aſſeruerint. In inteſtinis craſſis quidem par-

paruulae rotundae glandulae apparebant, minime tamen variolae. In aliis rurſus vaporem admodum calidum Noſter animaduertit.

Ventris fluxus, in varioloſis aegris ſaepe ſalutaris eſt, non raro autem hepatis inflammationem arguit. Quod ſi vero hoc eſt inflammatum, hypochondrium oportet intumeſcere atque dolere. Ac tum ſuadet Noſter, veſicatorium latum ibi externe applicare, atque interne inflammationi obuiam ire. Interna gangraena ſaepenumero moriuntur in morbis acutis ii, qui conuulſionibus poſt ſomnum ſubito corripiuntur, ſeu alienatione mentis laborant. Porro in gangraena extremitatum inferiorum, locus, a veſicatorio exulceratus, immunis erat a gangraena. Idcirco laudat Cl. COTUNNIUS cantharidum vim, ſolida ſtimulantem, fluida reſoluentem, viresque vitales ſuſtentantem, in gangraenoſis febribus ac viſcerum inflammationibus, earumque utilitatem ſuper ſedem affectam, ad gangraenam arcendam, expendit. Porro Noſter veſicatoria, per duos tresue dies ſuppurantia, niſi ſponte exſiccant, arte ſanat, et deinde, vulnere conſolidato, nouum veſicatorium ibidem applicat. Ita ter applicauit, cum feliciſſimo euentu, veſicatoria, in pleuritici parte affecta. P. 45.

Sequitur iam pueri varioloſi, qui benignas quidem habebat variolas, nihilominus tamen a cauſſa verminoſa, conuulſiones producente, obiret, hiſtoria quarta, ex cuius ſectione iterum, internas partes corporis non variolis obſeſſas fuiſſe, apparet. Ceterum pectoris cauitatem dum Noſter disquirere, in pulmonibus ligamenta multa, morboſa, foliacea, quibus pleurae adnati eſſent pulmones, ac per quae parua vaſa ſanguifera e pleura in pulmones tranſire reperiebat. P. 54.

Inter

p. 66. Inter ſigna verminoſa in varioloſis, preſſionem circa umbilicum Noſter refert. Nam lumbrici tenuia inteſtina occupant. Porro pedum crurumque variolae, aut rarae, aut ſerotinae, aut plane nullae, in verminoſis conſpiciuntur. Quod ſi vero accidat, vt verminoſi laborent variolis, commendat Noſter lac, ac aethiopem mineralem, quem Cl. Auctor, non ſolum ad vermes necandos, et expellendos, ſed etiam ad variolas paruas, depreſſas, varieque impeditas expediendas, et ad malignas, in benignas mutandas, magno cum fructu adhibuit. Adſcribit enim aethiopi Cl. COTTUNNIUS vim varioloſi miaſmatis corrigendi. „ Vidi, inquit, nutritionem et complementum puſtularum varioloſarum feliciter promouiſſe aethiopem. „ Qua occaſione praeterea laudat aethiopis mineralis vſum, in aſthmate humorali, in tuſſi acriori, in diuturna rheumatica pectoris labe, in febribus lentis, obſtructionibus glandularum meſentericarum, tuberoſisque pulmonum affectibus.

p. 80. A mercurio, eiusque praeparatis, modicam in varioloſis exſpectat Noſter ſaliuationem, eamque ſalutarem iudicat: Nec, vti alii ſunt rati, mercurii ac potiſſimum aethiopis mineralis vſum tam in initio, quam in progreſſu variolarum obeſſe putat. Ex negligentia adſtantium aliquando factum eſt, vt vna vice drachma vna aethiopis mineralis ſine vllo aegri incommodo, ac morbi varioloſi perturbatione propinaretur, quem Noſter, cum cortice Peruuiano coniunctum, ſemper in variolis vtiliſſimum deprehendit.

p. 87. Ex horum itaque cadauerum ſectione omnino apparet, variolas internas corporis partes non occupare, ſed ſolam externam ſuperficiem cutaneam; poſſe vero inflammationes partium internarum, vt

vt pleuritidem et hepatitidem, ſuperuenire variolis, quas cum variolis nullam alere coniunctionem, ſed aliis ex cauſſis proficiſci, Noſter arbitratur. Nam, ſecundum Noſtri opinionem, facile fieri poteſt, vt duo miaſmata morboſa ſimul, ſine vnius alteriusue perturbatione, in corpore effectus ſuos prodant, nec vnum alteri officiat, aut proſit. Pari modo non negat Cl. COTTUNNIUS, viſcera apta eſſe quidem poſſe, ad variolas formandas ac fouendas, ſeque ipſum veſiculas paruas in hepate reperiſſe, quae hydatides erant; nunquam tamen veras variolas. Id quod etiam ex ſexta varioloſi adulti hiſtoria patet, in cuius cadauere praeterea inteſtinorum introſuſceptionem quoque reperit, ac de eius origine vtiliter diſputat.

His itaque probatis, variolarum venenum ad cutem ſolam adſpirat, et a locis vitalibus ac internis arcetur. Cui accedunt os, palatum, pharynx, larynx, nares et ſimilia. Omnia itaque ea loca, quae variolae occupant, libero aeri expoſita eſſe oportet. Quapropter non quaerit Noſter hanc variolarum ſedem in fabrica cutis, ſed in liberi aeris acceſſu, et inde nata exſiccatione ſuperficiei. Nam narium cauitates, ob muci affluxum, rarius puſtulis varioloſis obſeſſae, ſpectantur; rurſus et oculus, ob lacrymalem humiditatem, a variolis liber eſt. Quae loca, ſi ſicca eſſent, multo magis illis puſtulis fouendis inſeruirent. Vidit tamen Noſter palpebram inferiorem interne puſtulatam. Porro haemorrhoides coecae variolis obſeſſae erant. Menſtrua variolis accedentia mortem induxerunt, atque haemorrhagiae omnino eruptioni variolarum offecerunt. p. 121.

Vbi itaque nulla cernitur humiditas, ſed perſiccatio ſumma, ab aeris liberi acceſſu profecta, ibi variolae ſedem figunt. Id quod experimenta declarant. Ne palpebrae variolis tententur, iuuat eas p. 134.

panno

panno humido, in eruptionis ſtadio, madefacere. Quapropter reiicit quoque Noſter, et maximopere reprehendit balnea, eaque ſumme noxia, ac potius omittenda, quam admittenda iudicat, et eligit loca, quae aer perflat, humiditateque ſunt deſtituta, ac tempeſtatem ſiccam, borealem, erumpentibus variolis amicam, humidam auſtralem inimicam fuiſſe expertus eſt. Omnis enim humiditas impedit variolarum eruptionem. Contra humiditatem igitur, inter praeſidia refert Cl. COTTUNNIUS omnia omnino, quae cutem refrigerant atque exſiccant, vt ſunt tegumenta leuia, lectus puluinariaque non adeo mollia, quae perſpirationem augent, liberi aeris acceſſus, in conclauibus magnis ſiccisque, et id genus alia.

p. 147. Veris huius regiminis frigidi commodis monſtratis ac ex DIMSDALIO aliisque probatis, expendit Noſter, quousque hoc regimen tenendum ſit. Aliud enim eruptionis ſtadium, aliud maturationis, aliud denique perſiccationis exigit regimen. Quapropter humiditatem aliaque auxilia, ad tuenda loca, ne variolas capiant, inter eruptionis ſtadium ſolummodo concedit; dein veneno varioloſo a ſanguine ſegregato, et ad cutem translato, puſtularum maturatio non eſt turbanda, ſed fouenda. Id quod fieri putat Noſter, libero ſanguinis, ad tubercula cutanea, acceſſu, et vi vitae minime minuta. Atque tum hoc regimen vitandum eſt.

p. 151. Cauſſa itaque, cur interiores corporis partes a variolis ſint immunes, ponitur a Cl. COTTVNNIO in vapore, qui vbique interne exſudat, ac interiores corporis partes humectat. *) Cur autem perſiccatio ſuper-

*) v. eiusd. de iſchiade neruoſa, p. 50. comm. noſtr. Vol. hoc p. 127.

ſuperficiei cutaneae, per aerem liberiorem inſerviat variolarum ſedi, nullam ſe poſſe reddere rationem Noſter fatetur.

His itaque praemiſſis, Auctores, qui variolas internarum corporis humani partium obſeruarunt ac affirmarunt, examinat, eorum errores detegit, atque eos refutat tredecim his obſeruationibus, quas antea colligit Noſter, indeque probat, non in partibus internis puſtulas variolosas efflorescere. Deriuat hanc controuerſiam primum a FERNELIO, quem dein MEAD, BOERHAAVIUS, GUNTZ, LIEUTAUD aliique ſunt ſecuti Dum porro Noſter conſiderat Auctores, qui aſſeruerunt, fetus in vtero variolas pati, eos refutat, ac demonſtrat, hoc plane non fieri poſſe, ob nimiam humiditatem, quam ferre oportet fetus, innatantes liquoribus in vtero. p. 157.

Iam vidit Noſter, quis locus in ipſa cute eſſet, quem venenum varioloſum ſibi eligeret. Atque eſt illud, vti Noſter cum Cll. ASTRUCCIO et GUNTZIO arbitratur, mucoſum, cuti ac cuticulae intermedium, corpus Malpighianum. Tumet enim, variola formata, corpus reticulare MALPIGHII, craſſum fungoſumque fit gelatinae ad inſtar, atque cuticula immutata. Varioloſi veneni natura atque indoles quamquam latet, pluries tamen corripi poſſe hominem variolis negat. Aluiductiones variolarum eruptioni non officiunt, ac, ob vim ſedatiuam ac anodynam ſalis Anglici, mauult illud aliis laxantibus praeferre, atque exhibuit hic cum felici ſucceſſu. In pulſu Noſter reperit ſingularem frequentiam, quae variolas annuntiaret. Per vrinae vias, ſudorem aluumque varioloſa lues non poteſt expelli, ſed abſcedere eam oportet in cute. Acetum aliter atque p. 202.

aliter temperatum conuulſis, aut ad conuulſiones pronis, expertus Noſter eſt ſemper inimicum.

p. 235. Multum autem iuuant varioloſos veſicatoria, quorum vim, a Noſtro iam declaratam, non diu ante commemorauimus. Solet ea brachiis et cruribus applicare, ac laudat eorum vtilitatem magnam in omnibus ſtadiis variolarum. Pari modo ea quoque morbillorum ferociam moderantur, ac pectus praecipue in morbillis tuentur. Ad variolas eleuandas laudat fotum recens mactatorum animantium iteratum.

p. 245. Tres ſunt, ſecundum Noſtri ſententiam, varioloſae febres, nimirum febris eruptionis, maturationis ac tandem perſiccationis. Eruptionis febris, quo mitior eſt, eo tutior. Reliquae enim duae pendent ab hac prima, quae mitior reddi poteſt, ſi opus eſt, ſanguinis miſſione, alui purgatione, libero regimine, et acidorum vſu.

p. 250. Variolarum conſtituit duo genera, atque diſpeſcuit variolas in vmbilicatas, et veſiculares, quarum icones quoque adiecit, et octo figuris habitum interiorem et exteriorem ab origine ad perſiccationem oſtendit. *Vmbilicatae ſunt, quae ab ipſis initiis, cum ſunt aciculae aſſimiles, verticem habent retuſum et veluti decurtatum, atque lenticulae propiores ſunt, quam coni figurae, vti pleraeque ſolent, non varioloſi generis puſtulae.* Dein ad lenticulae magnitudinem accedunt variolae, ad quarum turgeſcentiam, plenitudinem, ac viuum colorem, Noſter magis reſpicit, quam ad magnitudinem, quae ſaepenumero variat. Hae vmbilicatae a Noſtro idcirco nominantur, quoniam vmbilicum, ſiue foueolam in centro habent. Quod ſi itaque vmbilicatae degenerent, in quatuor ſpecies mutari eas vidit Noſter, in reſides nimirum ſiue gangraenoſas, in corruptorias, cryſtallinas, et in verrucoſas. Cryſtallinae ſummam produnt malig-

nita-

nitatem, inde iis laborantes iecur et lienem gangraenoſum in cadaueribus monſtrarunt, nec non gangraenoſos pulmones. Alterum genus variolarum cernitur in veſicularibus, quae vmbilico carent, acrioris ſunt indolis, quam vmbilicatae, ac quibus non raro petechiae ſeſe iungunt. Earum autem degenerum vnam ſolummodo ſpeciem Noſter vidit, purpuraceam ſcilicet, qua tandem violaceae ac nigrae fiunt variolae.

Ad benignas igitur variolas pertinet, vt ambi- p. 266. tus earum eleuatus, circuli forma, circa vmbilicum in purulentum abſceſſum mutetur. Atque has appellat Noſter naturales. Quapropter purpuraceas, gangraenoſas, verrucoſas cryſtallinasque non ad eas refert, ſed ab alterius morbi, aut veneni conſortio, in corpore affecto latente, deriuat. Inflammatione enim perfecta, in benignis vmbilicus eleuatior, planior ac plenior fit. Dein circa eum albidus annulus apparet. Putat namque Cl. Auctor, puſtularum varioloſarum ſuppurationem incipere a vertice, et ad puſtulae baſin ſenſim ſenſimque deſcendere. Benignas porro variolas nec cicatricem, nec foueam relinquere oportet. Etenim pus varioloſum bonum cutem tuetur, pruritumque, a bono pure ortum, indicare putat variolas aperiri. Id quod tum aegris quoque concedit. Tandem Noſter et inter obſcuras refert res, cur eueniat, vt mater, variolas iam paſſa, fetum edat variolis obnoxium, atque vt quis ſemel variolis tantum laboret, nec pluries.

Hactenus naturalem variolarum ſedem ad cutem p. 271. extimam pertinere, et puſtularum fabricam extra vias ſanguinis elaborari, h. e. extra animal eſſe Noſter oſtendit, eumque medicum optimum praedicat, qui a vitalibus organis citiſſime variolas ex-

 pellat.

pellat. Atque fieri hoc putat Cl. COTTUNNIUS, impedimentis, quae ex ſuperioribus patent, potius ſublatis, quam remediis. His enim ſublatis, curat ſe ipſum varioloſus morbus.

III.

Traité des accouchêmens en faveur des éleves; dans lequel ſont traitées les maladies des femmes groſſes et accouchées, et celles des petits enfans: Par M. F. A. DELEURYE, Membre de l'Acad. roy. de chir. Conſeiller-Chirurgien ord. du Roi en ſon Châtelet. à Paris chez M. Lambert et P. F. Didot 1770. 8. 1 Alpb. 6 pl.

i. e.

Tractatus de arte obſtetricia, in vſum diſcipulorum conſcriptus, in quo etiam de morbis grauidarum, puerperarum, et infantum agitur. Auctore F. A. DELEURYE.

Syſtematicum hoc artis obſtetriciae compendium praecipuas artis obſtetriciae regulas complectitur, a celeberrimis noſtri aeui huius artis magiſtris propoſitas, quae Auctor Cl. in ordinem ſatis commodum redegit, variasque paſſim annotationes addidit, quarum nonnullas ſpeciminis loco hic adduxiſſe ſufficiet. In introductione breuiter artis obſtetriciae fata enarrat, nimium Gallis tribuens, ad quos fere omnia, ad exteros vero parum vel nihil refert. Sic enim v. c. forcipis inuentionem breuiſſime tantum indicat cet.

In

In duas vero partes totum hoc ſyſtema diuiſum
eſt, in quarum priore de partibus, generationi in-
ſeruientibus, grauiditate et morbis grauidarum agit.
In poſteriore autem de partu naturali et praeter-
naturali, atque puerperarum et infantum morbis
differit. Cartilagines, quibus oſſium pubis ſymphy- p. 8.
ſis fit, in omni partu diduci, contra Cl. SMELLIUM
defendit, qui hoc in praeternaturali tantum fieri
aſſerebat. Fit autem haec dilatatio ope humoris
ſeroſi, qui in telam celluloſam cartilaginum, vi vteri
turgidi vaſa comprimentis, effunditur. Carunculae p. 19.
myrtiformes in feminis, quae ſaepius pepererunt,
ſenſim delentur. Antagoniſmum inter fundum et p. 28.
orificium vteri, a Cl. LEURETO propoſitum, nec non p. 32.
ligamenta vteri rotunda poſteriora, quae nonnulli
ex recentioribus Gallis deſcribunt, aſſumit. Idem
hoc quoque de ſitu capitis fetus, et deſcenſu eius p. 36.
in partu, ad mentem Cl. OULDII, valet. Peculiari capi- p. 38.
te Cl. Auctor modum exponit, quo puellae gibboſae,
num fetui geſtando pariendoque aptae ſint, exami-
nari poſſint, ſine explorationis proprie ſic dictae
ope. In grauiditate diiudicanda minime exploratio p. 65.
tantum inſtituenda eſt per digitum in vaginam im-
miſſum; cum nec ex loco, quem collum vteri occu-
pat, nec ex longitudine eius, nec ex aperto vel
clauſo eius ſtatu, nec ex altitudine vteri in pelui,
nec ex pondere cet. de grauiditate certum ferri
iudicium poſſit. Plurima enim haec ſigna incerta
et fallacia ſunt. Hinc aliam methodum Cl. Auctor
commendat, qua vero tertio tantum grauiditatis
menſe vti poſſumus. In hac femina in dorſo cu-
bante, digitum in vaginam eius immittit, et orificio
reperto, parti poſteriori, ſeu corpori vteri digitum
fortiter apprimit, alteram vero manum regioni
hypogaſtricae imponit, et ita, vtero ſurſum preſſo
impetum vteri grauidi volae manus, hypogaſtrio in

p. 89. cumbentis, ope perſentiſcit. Circa nutritionem fetus ita ſentit, vt doceat, illum modo triplici, per funiculum, per os, et per inhalationem cutaneam nutriri; nullum verum circulum humorum inter vterum et placentam exiſtere, ſed placentam ſanguinem ſpongiae in modum ſugere, atque ex cellulis eius per venas funiculi hunc ſanguinem reſorberi. Qui vero per arterias funiculi ad placentam iterum defertur ſanguis, non ad matrem redit, ſed nouam in placenta
p. 96. praeparationem ſubit. Venaeſectionem, quam ſine vllo fere diſcrimine in grauidis inſtituere ſolent, ſi nulla neceſſitas vrgeat, reiicit. Quae circa finem grauiditatis fit, partum quidem accelerat, ſed felici euentu, cum partus, qui ante finem noni menſis contigit, felicior ſit eo, qui poſt periodum partus naturalem fieri ſolet.

p. 208. In verſione vnicum pedem tantum attrahit, neque alterum quaerit, niſi obſtaculo ex eius retentione nato; brachia autem ſemper ſoluit, niſi in eo caſu, vbi fetus paruus, abortiuus vel putredine affectus eſt. Facies fetus in verſione abſoluenda, non verſus os ſacrum matris, ſed verſus os ilium eiusdem conuertenda eſt. In vniverſum laudandus
p. 226. eſt Cl. Auctor ex eo, quod neglectis, ſubtilioribus illis diſtinctionibus ſitus peruerſi, quae tirones confundunt, praecipuas tantum regulas, quae, tum in omni verſione, tum in variis ſpeciebus ſitus peruerſi
p. 230. obſeruandae ſunt, proponat. Si, vno brachio prolapſo, non in vterum penetrare poteſt Cl. Auctor, alterum brachium quoque in vaginam trahit, quo artificio vt plurimum ſitus fetus ita mutatur, vt nunc facilior aditus manui pateat. Ea partus ſpecies, qua facies fetus orificium vteri reſpicit, non mala iudicanda eſt, ſi modo facies non obliquum ſitum habeat, cum plurimi eiusmodi partus naturae

tan-

tantum ope terminentur. In ſitu vero faciei, aut p. 238.
capitis obliquo, vbi dimidia tantum faciei, vel 240.
anterior colli pars orificio obuertitur, ſtatim verſio
inſtitui debet, cum capitis in rectum ſitum directio,
quam multi commendant, vix vnquam fieri poſſit.
Si ex capite incuneato occiput fetus ita ſe offert, p. 246.
vt pars eius inferior os ſacrum, ſuperior os pubis
reſpiciat, femina genubus et cubitis innixa, forceps
a poſteriori eius parte introduci debet. Hac enim
cautione adhibita, inſtrumentum hoc caput fetus
melius comprehendit, et perinaei ruptura euitatur.
Capite abrupto, ad eius extractionem forcipe p. 250.
Auctor Cl. vtitur, et vnco infixo caput figit, quo
forcipem applicare poſſit; eandem quoque, ſi in ver-
ſione caput retineatur, adhibere iubet. Si placenta p. 279.
in abortu remanet, et iniectiones adhibentur, eae
ita dirigendae ſunt, vt in ipſum vterum, nec in va-
ginam tantum penetrent. Nimis vniuerſalem vſum p. 306.
arcani duplicati, quod ad metaſtaſin lacteam prae-
cauendam in omnibus fere puerperis, ſine vllo diſcri-
mine, in Gallia adhibent, Cl. DELEURYE taxat. Dolo- p. 342.
res poſt partum non ſemper, vt Cl. LEURETUS
aſſerit, a fruſtulis ſanguinis coagulati, ſed ex ipſa
vteri dilatati contractione oriuntur. De morbis, ex p. 354.
metaſtaſi lactis (*depôts laiteux*) oriundis, fuſius hic
Cl. Auctor ex Cl. PUZOS, LEURETI aliorumque
obſeruationibus explicat. Febrem puerperarum
miliarem in ſymptomaticam et idiopathicam diſtin- p. 368.
guit. In priori caſu eruptio exanthematis morbum
ſoluit, et benigniſſima eſt. Atrophia infantum, p. 412.
quae ab obſtructione viſcerum (qui morbus Gallis
carreau dicitur) et glandularum meſenterii (*chartre*)
oritur, a rhachitide diſtinguendus eſt. Commendat
in atrophia Cl. Auctor decoctum ſcrophulariae,
vſum internum ſaponis, et ipecacuanhae in refra-
cta doſi. Adhibuit quoque in fine morbi p. 413.

 oleum

oleum lini interne felici cum ſucceſſu. In rhachitide lac noxium eſt. Rubia vero tinctorum, ipecacuanha, purgantia amara, balnea frigida cet. omnem curationem abſoluunt.

IV.

An enquiry into the nature, riſe, and progreſs of the fevers moſt common in London, as they have ſucceeded each other in the different ſeaſons for the laſt twenty years. With ſome obſervations on the beſt method of treating them. By WILLIAM GRANT, M. D. London: Printed for T. Cadell. 1771. 8. mai pagg. 463. cum introductione pagg. 15.

i. e.

Diſquiſitio naturae, originis ac progreſſus febrium, quae Londini frequentiſſimae ſunt, prout in diuerſis temporibus annorum viginti nuperrimorum ſe inuicem exceperunt. Accedunt obſeruationes quaedam ſuper optima eas tractandi methodo. Auctore GUILIELMO GRANT, M. D.

Poſtquam in introductione Cl. Auctor neceſſitatem attendendi ad influxum, quem variae tempeſtates aeriſque viciſſitudines in morbos habent, demonſtrauit, variaſque inde cautelas, in praxi obſeruandas, collegit, primo loco *de febribus intermittentibus* exponit. Ampla ſatis ea eſt tractatio, ex qua quae-

quaedam potiora momenta, num breuiter tradere
queamus, nunc diſpiciendum eſt.

Febres iſtae fere epidemicae ſunt, inſigniter p. 1.
tamen pro anni tempore climatiſque diuerſitate
variant, ad quae accedunt diuerſus corporum habi-
tus et variae cauſſae, ex rerum non naturalium va-
rietate pendentes. Exacte notat ſigna, quibus febris
intermittens anomala (*unformed ague*) a febribus p. 3.
aliis continuis ac remittentibus diſcernitur. Mul-
tum differt febris noſtra vernalis, ab auctumnali:
prior facile in continuam, auctumnalis contra re- p. 6.
mittens facile in intermittentem tranſit, prout vel fri-
gus hibernum calore intenſiori, vel calor aeſtiuus fri-
gore acriori excipitur: quare mirum non eſt, mor-
bos auctumnales minus exitioſos eſſe vernalibus,
quod mortuorum numerus Cl. Auctorem docuit.
Auctumnales igitur morbi, quo propius ad ver, p. 7.
et vernales, quo propius ad iulium accedunt, eo
facilius curantur. Auctumnalium morborum ſedes
fere eſt in primis viis, vernalium contra in diſpo-
ſitione humorum putrida, quae ſaepe cardiacorum
ipſiusque adeo corticis vſum non admittit. Febres
auctumnales in auſtralibus Europae regionibus ra- p. 9.
riores ſunt vernalibus, neque ſanguinis miſſio et
purgantium vſus, aduerſus has tam efficacia reme-
dia, in borealibus aeque proficua cenſenda ſunt.

Sequitur deſcriptio decurſus paroxyſmi p. 10.
febris tertianae, eaque accuratiſſima: ſedimen-
tum lateritium vrinae in ea auctumnali ſaepius ob- p. 12.
ſeruauit Noſter, numquam in vernali. Criſin eam
demum completam dicit, quae, omnibus colatoriis
liberis redditis, contingat, cum febris ſit vniuerſalis
ſpaſmus et conſtrictio. Differentiam febris inter-
mittentis exquiſitae ſimplicis, et extenſae ſeu pro-
ductae: item febris hemitritaeae et duplicatae
exponit: vltima in Belgio frequens eſt, non aeque p. 15.

Londini, et a quotidianis diſtinguendae ſunt febres
p. 16. hecticae, quarum tres ſpecies adducit, nempe commu-
nem Anglorum, iunioribus tempore veris infeſtam:
eam, quae a magnis euacuationibus, et eam, quae a
reſorpto pure, vel poſt febres inflammatorias oritur.
p. 17. Febris intermittens auctumnalis, diutius ſubſiſtens,
periculoſa eſt; neque tamen minus conſultum pu-
tandum, febres iſtas intempeſtiue reprimere. Fu-
ſius nunc, de cauſſis febrium iſtarum, exponit, et
plurimum, vti iam ſuperius, aeris conſtitutioni tri-
buit: haec tamen aeque, ac ſymptomatum explica-
tionem, repetere breuitas nos prohibet.

p. 32. In intermittentibus ſudorem copioſum euacua-
tionem optimam efficere, et hac, liquoribus tenuio-
ribus copioſius hauſtis, adiuta, omnem dyſcraſiam
ſanguinis, ipſumque adeo venereum contagium, tolli
exiſtimat.

p. 36. Succedit diſquiſitio diuerſae rationis paroxyſmo-
rum, quam vero itidem tranſire cogimur, quo ali-
qua ad prognoſin ſpectantia adducendi locus ſuper-
p. 38. ſit. In febribus anomalis ſaepius peccat medicus
nimium, quam nihil agendo: exſpectandum ergo
eſt, ad quam indolem morbus ſe inclinet. Inter
p. 40. regulares tertiana ſaluberrima eſt, et medium tenet
inter quartanas auctumnales, et quotidianas verna-
les. In curatione notari oportet, febrem anoma-
p. 41. lam adhuc, neque typos regulares ſeruantem, vix
vmquam eſſe ſimplicem, ſed plerumque cum alio
quodam fomite morboſo coniunctam, v. c. verna-
lem, ex diſpoſitione inflammatoria ſanguinis et ſyno-
cho non putri; auctumnalem contra, ex febre bilioſa,
p. 43. ſeu atrabiliaria et intermittente oriri. Iterum de
praepoſtera repreſſione febrium intermittentium agit
Noſter, et, ad eas reuocandas, vna cum euacuatione
primarum viarum extractum fuliginis commendat.
p. 46. Ex altera vero parte ſaepius proficuum, imo neceſ-
ſarium

ſarium eſt, roborantibus vti, quum ſolida nimis re-
laxata ſunt, aut debilitas viſceris alicuius ſubeſt.
Praeclara omnino et egregia ſunt monita, quae de
curandis his febribus proponuntur. Quotidianam p. 54.
veram in auctumno numquam vidit Cl. Auctor:
quae in hoc anni tempus incidunt febres, in prin-
cipio plerumque duplicatae ſunt, cum tertianae, tum
quartanae: ſed multum intereſt ſcire, ad quamnam
harum ſpecierum referri debeant. Copioſe ergo
et exacte differentiae inter quartanam et tertianam
recenſentur. Generatim frigus in illa vehemen- p. 55.
tius eſt, quam in hac: praeſertim rigoris maior
gradus ſignum characteriſticum conſtituit, ſpaſmo
in quouis muſculo, et rheumatiſmo in quouis arti-
culo ſimilis. Ex vtraque hac febris ſpecie, inter ſe
collatis, concludit Cl. Auctor, febrem tertianam p. 56.
caeteris paribus, vt inflammatoriam; quartanam
contra vt neruoſam, tractandam eſſe. Inde rurſus
tranſitus fit, ad veram ſpecificam vim febrifugam
medicamenti huius vel illius, in dubium vocandam.
Cephalalgia, ſymptoma febrium auctumnalium, po-
tiſſimum duplicatarum, vel ſpaſtica eſt, ſub hor- p. 58.
rore; vel inflammatoria, ſub calore accedens. Vlti-
ma venaeſectione indiget, quae tum etiam ſaepe
duplicatam febrem in ſimplicem vertit. Strangu-
latio, ſub horrore, ſolo veſicatorio tollitur. Reli-
qua febrium curatio, admodum prolixe hic enar-
rata, penitus ad mentem SYDENHAMII p. 63.
directa eſt.

Omnibus conſideratis, quae de viribus corticis
Peruuiani dici poſſunt, vero ſimilius eſt, illum p. 71.
effectus febris infringere, quam cauſſam eius remo-
vere. Valentius ac citius eodem, in quartanis, quam
in reliquis febribus, vtendum eſt, quia illae reme- p. 73.
diis aliis obſurdeſcere fere ſolent, neque vmquam
ſalubres, vti tertianae, dici poſſunt: et ſi quoque a
cor-

corticis vſu obſtructiones exortas videret Cl.
p. 75. Auctor, ſemper tamen eas ope mixturae deobſtruentis SWIETENII ex oxymelite ſcillitico, ſalibus mediis adiuncto, et ſuperhauſti decocti radicum graminis et taraxaci cum melle, reſoluit, febre in tertianam mutata, et tunc ſuo modo curata. Sed caute monet, nonniſi optimae notae corticem in vſum vocari oportere. Poſtquam amplum locum, ſuper modis, hoc remedium eiuſque praeparata exhibendi, ex Cl. ALSTON tranſcripſit, tandem ſpecifici cuiuſdam, ſibi communicati, ad febres intermit-
p. 86. tentes regulares meminit, nempe aranei maioris conquaſſati, et cum gelatina ſimplici in bolum formati, poſt paroxyſmum ſumendi, et octaua quaque hora, donec nouus paroxyſmus exſpectetur, repetendi: quod remedium numquam fefelliſſe traditum eſt, et plerumque tribus doſibus, numquam vltra ſex, febrem profligaſſe.

p. 88. 2) *De conſtitutione inflammatoria.* Sanguis in hac, ex vena emiſſus, cruſtam, non a cauſſis externis induit, ſed haec, ab ipſa textura ſanguinis, certum gradum adepta, vna cum accedente gradu quodam
p. 90. motus ſanguinis in vaſis, oritur. Differentia quoque, inter varias qualitates ſanguinis, tactu detegi poteſt. Sanguis phlogiſticus admodum elaſticus
p. 91. eſt, et magnae extenſionis capax: vnde ſaepe iteratae venaeſectiones turgeſcentiam eius vix ſatis cohibent. Duplicis generis inflammationes ponit Cl.
p. 92. Auctor, nimirum ſimplices, quae in corpore plethorico, ceteroquin ſano: et complicatas, quae in eodem, iam morbo quodam affecto, eueniunt, qui
p. 101. tamen, vel a contagio externo cum corpore communicato, vel a deprauato ſtatu fluidorum corporis ipſius oriri poteſt.

Nunc

Nunc paucis de differentia cauſi inflammatorii p. 103. et bilioſi praemiſſis, veram notionem methodi anti- phlogiſticae Cl. Auctor exhibet, et eos arguit, qui medicamenta antiſeptica, loco antiphlogiſticorum in vſum ducunt: ſiquidem vel acida mineralia aliena p. 105. eſſe euincit, multo magis corticem ac alia adſtringentia, refrigerantia. Cum febris iam eo uſque deducta fuit, vt lentoris phlogiſtici copia generata ſit, p. 107. numquam Cl. Auctor perfectam criſin obſeruauit, quam non primo ſenſus frigoris alicuius, poſtmodum incrementum caloris, ac deinde ſigna coctionis, in hoc vel illo colatorio antecefſerint. Rurſus de noxiis effectibus corticis Peruuiani, ſub ingreſſu ſignorum coctionis exhibiti. Cum depoſitionem puris in loco minus apto timemus, reſolutio venaeſectione, euacuantibus, diaeta tenui, cet. omni modo p. 108. tentanda eſt; cum vero nihilominus pus in hoc illove loco colligitur, natura non turbanda, ſed ſimulac excretionem moliatur, in eadem ſuſtentanda ac iuvanda: inde venaeſectionis et antiphlogiſticorum limites conſtituendi. Ad febres inflammatorias compoſitas tractandas, magis prodeſt nutrimenti paulo largior quantitas, ſimulac periodus ſuppuratoria p. 111. incipiat, quam medicamenta ſtimulantia, quibus nonniſi tunc, quando natura torpeſcere videtur, locus eſt: imo ne cortici quidem Peruuiano Noſter fidit.

3) *De conſtitutione catarrhali.* Haec, ex obſer- p. 117. uationibus plurium annorum, ab Auctore noſtro factis, verſus finem ianuarii conſtitutionem inflammatoriam excipit, et ſub quadruplici morborum ſpecie apparet: nimirum tuſſis, rheumatiſmi, eryſipelatis, ac dyſenteriae. Cauſſae, quae hos morbos Anglis pernicioſiores reddunt, quam aliis populis, in ſubitis frigoris et caloris viciſſitudinibus, vernali humi-

humiditate, et abuſu victus animalis, fermentatique
p. 119. potus quaerendae ſunt. In eorum curatione, ad
gradum inflammationis, et ſtatum ſolidorum et fluidorum reſpici oportet, hiſque rite conſideratis, medendi methodum accommodari.

p. 128. Iuniores ſemel hunc morbum paſſi, fere ſemper, redeunte vere, ab eodem rurſus afficiuntur, niſi per auctumnum et hyemem, remediis roborantibus, et antiſepticis idem praeuertatur, aut, quod optimum eſt, febre intermittente rite tractata, fomes eius eradicetur: alias recurſus hic vſque ad vigeſimum quintum aetatis annum durare ſolet. Febris autem intermittens, intempeſtiue ſuppreſſa, phthiſin pulmonalem inducit, quod exemplo maxime notabili, proliximſſime enarrato, Cl. Auctor confirmat. Tu-
p. 144. tiſſimum remedium, ad praecauendas iſtas recidiuas, in itinere in Americam inuenit, vbi eiusmodi aegros commorari oportet, donec vigeſimum quintum aetatis annum ſuperauerint. Tandem de auxiliis,
p. 145. quibus ii ipſi per tempus aeſtiuum iuuandi ſunt, et in acquirendo robore firmandi, differit.

p. 148. 4) De *ſynocho non putri.* Copioſa et prolixa comparatione ſententiarum, ex ſcriptoribus antiquis et recentioribus inſtituta, apparet, hanc febrem eandem eſſe cum humorali, ſeu neruoſa noſtri aeui
p. 165. auctorum. Lentorem morboſum humorum, hanc febrem producentem, non in inteſtinis ipſis ab indigeſtione natum putat Noſter; ſed potius pituitam excrementitiam arbitratur, ex ſanguine ſeparatam,
p. 166. et illuc delatam, quae forte, durante vere, non ſatis euacuata, a natura verſus glandulas faucium, et oeſophagi, muco ſecernendo dicatas, determinetur, quum eundem morbum phlegmaticis corporibus ſollemniſſimum eſſe, et euacuationibus prophylacticis, quibus Angli vti ſolent, ſaepe verti

con-

conſtet. Praecipuum auxilium in vomitu et pur-
gatione aluina poſitum eſt; quibus adminiſtratis,
ſudores critici, quos leuis frigoris ſenſus praecedit, p. 174.
ſequuntur: euacuantia vero neglecta, febrem pro-
longant, et anomalam reddunt, et ſi illorum loco
medicamenta calida adhibentur, ſymptomata febris
miliaris, petechialis et putridae; ſin autem me-
thodo antiphlogiſticae iuſto diutius inhaeretur, ſigna
debilitatis vniuerſalis, morbum aegre ſuperaturae,
ſequuntur. Optimum eſt, rite purgatis primis p. 177.
viis, ab omni medicina deſiſtere, et, quod ſupereſt
febris, naturae ſoli relinquere. Fuſiorem horum
omnium pertractationem, cui praeter hiſtorias mor-
borum, multa quoque praeter ordinem v. c. de abu-
ſu medicamentorum calidorum, potiſſimum che-
mica arte paratorum, de venaeſectione euacuantibus
praemittenda, de vera notione virtutis cardiacae, in
victu et medicamentis, de febre miliari potiſſimum
puerperarum, immixta ſunt, nunc omittimus.
Quam diu, remittente febris violentia, ſigna p. 207.
coctionis in vrina non apparent, neque antiphlogiſti-
cum regimen, neque purgantium, neque corticis
vſum aegri commode ferunt: vltimum praeſertim
medicamentum non, niſi in inſigni debilitate, non
pro ſcopo febrem fugandi, ſed tamquam cardiacum
exhiberi debet. Rurſus obſeruationes quaedam de
febribus intermittentibus vernalibus. Hemicrania
frequentior eſt in hoc anni tempore, quam in reli-
quis: quodammodo ad indolem ſynochi non putris p. 212.
accedit, et vomitorio adhibito, typum vere inter-
mittentis morbi aſſumit; febris nonniſi ſymptoma-
tica eam comitatur aeque, ac inflammatio, et aucta
ſenſilitas oculorum: venaeſectio, ſub principium
morbi adminiſtrata, tempore verno proficua eſt,
auctumnali inutilis; vomitoria morbum mitigant,
purgantia exaſperant: in auctumno infuſum florum
cha-

chamaemeli cum elixirio vitrioli: in vere contra cortex Peruuianus morbum leuat, vtrumque tamen remediorum genus in oppoſito anni tempore noxium eſt. Hirudinum et veſicatoriorum vſus parcus eſt: liquorum fermentatorum noxius. Diaeta tenuis vegetabilis, et electuarium ex radice valerianae ſylveſtris, cortice Peruuiano, theriaca, ſale abſinthii, rheo, ſyrupo croci, pro re nata variandum, maximam vtilitatem exſerunt.

p. 222. 5) *De conſtitutione putrida.* Humorem flauum, in ſanguine praeſentem, et bilem, ex eo ſecernendam, praebentem ſupponit Cl. Auctor, quem ſuccum biliarium dicit, et ex eo ſucci atrabiliarii, ſique hic ad inteſtina deferatur, humoris melancholici notionem declarat: humorem iſtum quauis aeſtate et auctumno copioſiorem generari, ob varias cauſſas in victu et potu potiſſimum, et prodere ſe vrina intenſius flaueſcentis coloris, halitu fetido, cet. et inde originem morborum, quos nunc vberius pertractat, repeti oportere.

p. 228. 6) *De ſynocho putri.* Primo de notione putredinis in corpore viuo, apud veteres vſitata, diſſeritur, et Cl. SYDENHAMI HUXHAMIQUE doctrina
p. 243. cum iſtis comparatur: poſtmodum varios putredinis gradus, a diuerſa conditione fluidorum induci oſtenditur, ſimulque de acrimoniis varii generis, inprimis de alcalina, ſermo fit. Inter ſcorbutum, qui
p. 253. in mari, et eum, qui in terra continente graſſatur, eam differentiam ponit Noſter, quod in vtrouis quidem ſanguis diſſolutus adſit, ſed in illo, a commiſtione putridi; cum acrimonia ſalina, in hoc au-
p. 255. tem, cum rancida. Mercurium et regulinam partem antimonii ſanguini etiam quemdam putredinis gradum conciliare putat. Diſquirit porro cauſſas,

cur

cur morbi putridi Londini nunc neque adeo fre- quentes, nec violenti ſint, quam olim. p. 257.

Prima periodus conſtitutionis putridae, maio et iunio ſe manifeſtans fere a peruerſe tractata ſyno- p. 259. cho non putri priorum menſium oritur: SYDENHAMIUS huic periodo generatim nomen febris variolofae impoſuit, licet non ſemper variolae eidem iunctae ſint. Varia curationis exempla Cl. Auctor p. 263. adducit, et cum SYDENHAMII obſeruatis comparat. Signum pathognomonicum huius morbi, in dolore ad ſcrobiculum cordis adeo exquiſito, vt tactum non ferat, ponit. Venaeſectio et vomitoria, protinus administrata, ptiſanae acidulae, fructus horaei, ſerum lactis, mel cet. hiſque interpoſita laxantia, ex manna et tartaro ſolubili, curationem abſoluunt. Putrida iſtius morbi indoles, adeo contraria eſt acidis, vt nonnumquam acidam acrimoniam in corpore praedominantem inuertiſſe ac ſuſtuliſſe, obſeruata ſit.

Secundum ſtadium conſtitutionis putridae ſiſtit p. 275. colica bilioſa SYDENHAMII: haec non adeo venaeſectionibus, quam acidorum vſu indiget: opiatis non, niſi poſt debitas euacuationes, vtendum eſſe, ſerio monet Auctor noſter. De aliis colicae ſpeciebus, hyſterica ſeu ſpaſmodica, pictonum, damonienſi, flatulenta, cet. et de ſignis earum diagnoſticis, curandique modo fuſe differit, praecipue quod vſum opii ſpectat.

Tertium ſtadium dyſenteria putrida conſtituit, p. 288. vel ſimplex, vel cum febre. Vomitorio in hoc morbo tunc demum Auctor noſter vtitur, quum de- p. 291. iectiones ſeroſae, nec adeo multum leuantes, bilis effluxum impeditum eſſe monſtrant; in genere illud magis ſeptembre et octobre, quam iulio neceſſarium putat, quod in hoc bilis nondum adeo craſſa ſit, et a maturis tunc temporis fructibus horaeis facilius reſoluatur. Vt in omnibus morbis tractandis

SYDENHAMII veſtigia premit: ſic etiam in hoc,
p. 295. omnia experientia confirmata ſe vidiſſe, aſſerit, quae ille de eo tradiderit. Frequenter dyſenteriae aphthae ſuperueniunt, magiſque, quam aliis morbis, quarum communiſſima cauſſa, in neglectis ab initio morbi purgantibus, aut intempeſtiuo vſu opii et adſtringentium poni debet.
p. 304. Quartum ſtadium cholera morbus efficit. Opium in ea tunc demum exhibendum eſt, quum materia morboſa potu diluente et clyſteribus, vel penitus, vel maximam partem eliminata fuit: neque eo opus eſt, vbi vomitus per ſe ceſſauit, licet alui profluuium adhuc ſubſiſtat. In America ſpaſmum vniuerſalem, cum hoc morbo coniunctum, ſaepe miram quantitatem opii requirere referunt. Mo-
p. 309. nita quaedam generalia, et annotata in varios errores, in curandis his morbis commiſſos, huius tractationis finem faciunt.

p. 321. 7) *De conſtitutione biliosa.* Origo eius in auguſtum incidit, et tranſitus ex conſtitutione putrida fit
p. 327. per choleram, de qua iam dictum eſt. SYDENHAMII deſcriptionem febris bilioſae repetit, ſuisque annotationibus illuſtrat Cl. Auctor. Quum corpus tenerioris habitus eſt, fluidis tenuibus et acribus,
p. 340. ſolidiſque laxis, corticis vſus conducit, qui in ſubiectis aliis robuſtioribus, vbi debilitas a violentioribus euacuationibus, et defectu diaetae conſuetae inducitur, non adeo conuenit. Sudor profuſus vtilis
p. 341. non eſt, niſi materia bilioſa prius cocta, et maximam partem expulſa; purgantia autem vel ante ſigna verae coctionis adhibenda ſunt, modo prius ſanguinis miſſione circulus eius liberior redditus
p. 342. fuerit. De differentia inter febrem bilioſam ſimplicem, inflammatoriam, et inflammatorio peripneumonicam, ab anni tempore, ventorumque varie-

rietate pendentem, et de curatione, ſingulo morbo accommodanda. Pulſus, paruus licet, ſi corpus iunius et valde plethoricum fuerit, venaeſectionem tamen requirit, qua oppreſſio leuatur, eiusque effectus vel ſub ipſa operatione, ſeſe exſerit. Veſicatoria in principio febrium omnium, maxime autem putridarum et biliofarum, aliena ſunt, quia inflammationem augent, humores acriores reddunt, procliuitatem in ſudores ſymptomaticos promouent, et excretionem aluinam impediunt. Alia res eſt, cum febris decreſcit, et tuſſis ſicca nec ſanguinis miſſioni, nec euacuantibus repetitis cedit. Sic etiam opiatis non niſi in declinante morbo, cum diaphoreſis requiritur, vtendum eſt. Catameniorum eruptionem, ſolito citiorem, in hoc morbo non timet Noſter, ſed pro ſigno coctionis cognoſcit, et ſaepe criticam fuiſſe obſeruauit.

p. 343.
p. 344.
p. 345.
p. 347.

Debilitatem neruoſam, quae poſt praegreſſas euacuationes cardiaca exigit, melius parco vino, vel aliis potus fermentati generibus, quam opio ſuſtulit. Acidis mineralibus nonniſi tunc vtitur, quum ſigna ſanguinis diſſoluti, ſeu petechiae adſunt; de reliquo acida vegetabilia, ſaponacea ſemper praefert. Cortex non, vt febrifugum, ſed vt tonicum adhiberi debet, niſi febris biliofa in intermittentem tranſeat: hoc enim accidere ſolet, niſi eadem per gradus imminuatur, et nunc vndecimo die, nunc prius, nunc decimo quarto, et tunc febrem auctumnalem intermittentem anomalam ſiſtit, duplicatam, vel tertianam, vel quartanam. Quum in febre bilioſa, poſt longas et frequentes purgationes cutis admodum dura, et ſicca redditur, extremitates aqua calida lauandae, et poſtmodum, ad mentem veterum, oleo inungendae ſunt. Opiata in parciori doſi veſperi danda ſunt, cum febris longius durauerit, et aeger euacuationibus et diaeta tenui multum exhau-

p. 350.
p. 351.
p. 353.
p. 358.
p. 360.
p. 361.

ſtus eſt: neque tunc purgante opus eſt, niſi
vrina cum ſedimento eſt, et tunc rheum ſufficit.
p. 362. Pauca demum de eryſipelate auctumnali addun-
tur, a vernali diſtincto, quod magis flaui coloris
eſt, ſanguinis miſſionem non adeo facile fert; ſed
e contrario melius purgantibus cedit, iiſque poſt-
habitis, facile in gangraenam tranſit, et, poſt tertiam
ab eruptione diem, eamdem curandi methodum,
quam febris bilioſa exigit.

p. 364. 8) *De conſtitutione atrabiliaria.* Hanc ad men-
tem veterum Cl. Auctor, lentori bilioſo auctumnali,
verſus hyemem tenaciori reddito, et obſcuriorem
adepto colorem, adſcribit. Conſtitutionem hanc
in duas partes diuidit; nempe in morbum hypo-
chondriacum, et hyſtericum, cum materia, ſeu me-
lancholiam veterum; et peripneumoniam notham
p. 367. SYDENHAMII. Ille corporibus ſtrictioribus,
haec laxioribus frequentior eſſe ſolet. Arthritis et
haemorrhoides, hoc anni tempore magis, quam
reliquis ſolemnes, vtrique morbo ſe adiungunt, et
curationem eius adiuuant: poſt ſuperatum paroxyſ-
mum vltimorum horum morborum, exhibitum
purgans crebro feces piceas educit, pariter ac
cum morbus hypochondriacus miteſcere incipit:
facile etiam ex priorum genere in morbum alterius
tranſit v. c. peripneumonia notha in arthritidem
vagam cet. et vice verſa. Morbus autem hypo-
p. 370. chondriacus, et hyſtericus cum materia, caute di-
ſtingui debent ab eo, qui ſine materia eſt, et fere a
vitio cerebri neruorumque proficiſcitur; ne, cauſ-
ſarum ſcrutinio neglecto, neruina adhibeamus, vbi
deobſtruentibus vtendum erat. Inde varia illius
morbi ſtadia vſque ad delirium chronicum deſcri-
buntur, cauſſaeque mutationum harum indicantur.
p. 377. Optima curatio morbi, a ſuperueniente febre inter-
mit-

mittente, exſpectanda eſt. Morbo hypochondriaco p. 379.
ſublato viſo, ſaepe colica bilioſa, imo cholera ipſa,
licet mitior, accidit, diutius tamen durans, et cre-
bro recurrens : quae tantum abeſt, vt antiſpaſmodi-
cis et antihyſtericis cedat, vt potius iis exaſperetur.
In quouis morbo atrabiliario primarium momentum
curationis in diaeta poſitum eſt: euacuato humore
morboſo, balnea frigida, ex aqua marina, imo inter-
nus quoque eius vſus conducunt, quae etiam erup-
tiones criticas, quas interdum natura per cutim
molitur, iuuant. Curatio autem quaecumque diu-
turna eſt, numquam minor quadraginta diebus, p. 382.
et interdum ſuper vigeſimum primum menſem ex-
tendenda. In tranſitu diaeta eorum, qui in eccleſia
romana vitae monaſticae ſe dedunt, aeque, ac mo- p. 384.
nachorum inter Turcas, ad praecauendos morbos
atrabiliarios, et procurandam longaeuitatem aptiſſi-
ma, laudatur. Curationis momenta eo redeunt:
ſi plethora adeſt, venaeſectio commoda eſt; ſin p. 385.
materia in ventriculo turget, vomitus aeque ac in
febre bilioſa ciendus; ſin in canali inteſtinorum,
apozema purgans per vices ingerendum; diaeta
opus eſt vegetabili, ſaponacea, reſoluente, prorſus
exulantibus victu animali, potu fermentato, acidis
auſteris; quouis mane tartarus tartariſatus, ad di-
midiam vnciam in aqua roſarum ſolutus, addita
conuenienti doſi mannae, vt aluus bis ſoluatur, ex-
hibendus; vel ſi flatus vrgeant, aquae roſarum
aqua menthae ſubſtituatur, et progreſſu temporis,
loco mannae mel addatur; exercitium, viribus cor-
poris adaequatum, ſed ſemper per gradus augen-
dum, quotidie ſuſcipiatur, et demum, curatione ex
voto ſuccedente, aquae cuiuſdam mineralis, qualem
Cheltenhamenſem commendat Noſter, vſus exter-
nus et internus iungatur. Patientia autem et tar-
ditate in curando vti oportet, ne praecipitato reme-

diorum vſu recidiuae occaſio praebeatur. Simili curationis methodo, in gutta roſacea inueterata, ipſaque arthritide, radicaliter ſublatis, Cl. Auctor
p. 389. vſus eſt. Difficillimus ſtatus eſt, ſi materia haec atrabiliaria ope febris in ſanguinis circulo agitatur. Nonnumquam tamen eam per vrinae vias excerni
p. 390. Noſter conſpexit, adeoque vrinam nigram, non ſemper pro ſigno lethali habendam eſſe, ſed interdum tantum morbum atrabiliarium indicare, monet.

p. 391. Morbus niger HIPPOCRATIS plerumque incurabilis eſt, ſpem tamen aliquam curationis facit ſapor ſanguinis, per vomitum reiecti, ſi is acidus fuerit, non vero, ſi fetidus, vel admodum acris.

A febre atrabiliaria tranſitum facit Cl. Auctor,
p. 403. ad tractationem vltimam, quae ſtrictius *de peripneumonia notha* exponit, quae, nunc cum febre atrabiliaria coniuncta, nunc ſeorſim, deprehenditur. In hiſtoria morbi tradenda SYDENHAMII verbis vtitur, eorumque commentarium quaſi addit. In duo
p. 414. ſtadia eum diuidit, nempe in ſtatum cruditatis, vbi reſoluentibus et euacuantibus vti oportet, donec inteſtina depurata, et atra bilis eliminata fuerint; et coctionis ſeu ſuppurationis, vbi reſiduum morbi in pulmonibus impactum haeret, et expectoratione educendum eſt: noxiis tum temporis omnibus reliquis euacuationibus, ſolo forte clyſteris vſu, ſi neceſſitas poſtulauerit, excepto. Veſicatoriorum autem in hoc ſtadio eximius vſus eſt. Quae vero expectorationem iuuant remedia, vt ſcillitica, antimonialia, mel, oxymel, ſerum lactis cum aceto vini paratum, halitus calidi, pulmonibus excepti cet. non-
p. 416. niſi eouſque continuanda ſunt, donec expectoratio rite ſtabilita fuerit, ne, euacuando materiam crudam, febremque nouam accendendo, aegro noxa inferatur. Eadem quoque cautio in reliquis auxiliis diaeteticis ceteriſque obſeruanda eſt. Balſama, anodyna, opi-

opiata, ad ſedandam tuſſim exhibita, maxime no- p. 417.
cent: ſi iis expectoratio ſublata fuerit, protinus vena ſecanda, veſicatorium amplum dorſo imponendum, kermes minerale et oxymel ſcilliticum crebro, vſque ad leniorem vomitum interdum ciendum, exhibendum, ſero lactis ſupra memorato, cum melle remixto, loco potus vtendum, et halitus ex aqua calida, vel oxycrato frequentius pulmonibus applicandus eſt; donec expectoratio iterum ſuccedat. Verſus finem morbi tranſpiratio largior interdum ſalubris eſt: ea autem ſponte eueniat, neque vllo modo extorqueatur: febris intermittens, nonnumquam morbo huic ſuperueniens, ex ſolo effectu in morbum primarium diiudicari debet: nonnumquam enim eum ipſum, miro modo leuat, nonnumquam ſymptomatica eſt, expectorationem quocum- p. 421.
que paroxyſmo intendit, ſed puris non laudabilis, tenuis potius et deprauati, viribus corporis interim ſenſim magis magiſque imminutis: tunc corticis vſus neceſſarius eſt, qui in priori caſu noxius fuiſſet. In conualeſcentia ſinapi, et armoracia crebrius vtendum Cl. Auctor praecipit, vna cum exercitio cor- p. 422
poris, praeſertim equitatione, et diaeta refrigerante, ſaponacea, vegetabili, pauca carne, neque eadem pingui addita, cet.

In fine praecipua momenta, ex toto libro colliguntur, varia inde adduntur, ac denique medicamentorum quaedam formulae ſubiunguntur.

V.

De phaſco obſeruationes, quibus hoc genus muſcorum vindicatur atque illuſtratur. Auctore D. IOH. CHRISTIANO DANIELE SCHREBERO. Ser. Marchioni Brandenb. Onolzb. et Culmb. a Conſiliis. Aul. Med. Botan. et Oecon. Prof. Ord. in Academ. Erlangens. Acad. N. C. Hiſt. Goetting. atque Socc. Oecon. Lipſ. et Vdinenſ. Sodali. Lipſiae, apud Sigfr. Lebr. Cruſium. 1770. 4. pl. 3. Tab. aen. 2.

Singulari induſtriae Cl. Auctoris, omnibus hiſtoriae naturalis cultoribus notae, in ſtructuram partium minimarum plantarum inquirendi, quam rem opus praeſtantiſſimum eius de graminibus, aliaque ſcripta luculenter teſtantur, debemus iterum nouum ſpecimen diſquiſitionis, quam maxime accuratae et difficilis, generis cuiusdam muſcorum, quod hucuſque non ſatis ſuccincte eſt deſcriptum atque traditum a ſcriptoribus, hoc in genere claris. Non itaque ſuperuacaneum, imo maxime vtilem nos ſuſcepturos eſſe putamus laborem, ſi breuiter ea, quae in hoc libello continentur, cum Lectoribus communicamus. Occaſionem vero ei edendo dedit oratio, qua aditum, ad profeſſionem ordinariam botanices, in vniuerſitate Erlangenſi, clementiſſime ei conceſſam, ſibi patefaceret; cui praemiſit hanc ſcriptionem, quam deinde, vt ad omnes perueniret, ſub forma ſingularis libelli, publici iuris fecit. Laudat ſub initio eius diſquiſitiones microſcopicas, et exterorum et Germanorum, quorum opera factum eſt, vt in plantis minima, antea incognita, eſſent detecta, quibus adhibitis, Cl. Auctor etiam eo peruenit, vt vaſcula ſic dicta muſcorum clarius videret,

deret, et inde accuratius reliquis determinare poſſet.

Omnia vero vaſcula muſcorum, vt vocant, dupli- p. 3.
ci vt plurimum theca compoſita ſunt, altera externa, altera interna, vtraque vrceolata, apice demum aperta. Illius ſubſtantia craſſior eſt, et apertura ciliis, ſeu corona e denticulis diſtinctis, iuxta ſe poſitis, conſtructa, ornatur, qui, dum hument, introrſum conniuent, exſiccati dehiſcunt et diuergunt. Haec multo tenerior, apice ſaepius in lacinias, ſiue fimbrias plures tenuiſſimas, diuiditur, inferius cohaerentes, ab impreſſione ciliorum quaſi plicatas, pedicello breuiſſimo ſupra fundum vaſculi eleuari ſolet, qui intra thecam continuatur in columellam longam, puluere tenuiſſimo vndique circumdatum. Vaſculi oſculum obtegitur operculo conuexo, cilia occultante, tandem deciduo, cuius apici inſidet membrana tenuis, conica, in longitudinem fiſſa, calyptra dicta, quae a maturo capitulo deinde decutitur. Haec in pluribus muſcis obſeruantur; ſunt tamen quaedam varietates ratione ciliorum, quae autem rarius occurrunt. Merita inprimis hac in re Excell. SCHMIDELII praedicat, qui primus muſcorum ſtructuram diſquiſiuit, et exacte explicauit. Notas deſcriptas eximios exhibere characteres genera et ſpecies diſtinguendi, adeoque ad nouam methodum muſcorum viam quaſi aperire putat: qua in re etiam Ill. DE LINNE, vt ex litteris eius, ad Cl. Auctorem a. c. 1767. datis, apparet, conſentientem habet. Genus vero elegit phaſci, quod deſcripſit, vbi ſynonyma et ſpecies a veteribus traditas, enarrat, et docet, eos ac recentiores ſpecies huius generis, ſub variis nominibus, ad diuerſa genera amandaſſe, cui rei exemplo ſit Ill. LINNAEUS, qui antea ad ſphagnum retulit phaſcum, nunc generi Bryi annumerari id poſſe putat, in Syſt. N. ed. XII.

Examinatis vero accurate capitulis ſpecierum huius generis, omne dubium ſoluit Cl. Auctor, et proprium genus omnino conſtituendum eſſe, euincit.

p. 8. Diſtinguit vero quinque ſpecies, omiſſis cauleſcentibus Americanis, ſoli DILLENIO notis, et reliquis, ab aliis adſcitis, plane tamen ab hoc genere alienis. Quas pro genuinis habet, ſunt 1) Phaſcum ſcilicet *ſubulatum*, caulеſcens, foliis lanceolato lineari patulis; 2) *piliferum*, caulеſcens foliis oblongis piliferis erectis; 3) *cuſpidatum*, caulеſcens, foliis ouatis, cuſpidatis patulis, terminalibus, erectis, conniuentibus. 4) *muticum*, acaule, fol. ouatis, muticis, concauis, conniuentibus: 5) *ſerratum* acaule, fol. ouato lanceolatis, planis, ſerratis, erectis. Primam et tertiam ſpeciem LINNAEUS in Sp. Pl. Phaſcum acaulon nominat, quartam, vt varietatem eiusdem conſiderat: ſecundam vero, et quintam ſpeciem Cl. SCHREBER primus deſcripſit, et inde etiam eas Tab. I. f. 6. 7. et Tab, II. f. 1. 2. naturali magnitudine, atque etiam per microſcopium auctas, viuis coloribus depinxit. Iconem porro exhibuit, *cuſpidati* et *mutici*, Tab. I. f. 1. 2. et 11. 12. Cuſpidatum vulgatiſſimum eſt, per omnem fere Europam in agris, hortis, ad foſſas etc. creſcens; praecipue tamen in arena naſcitur. *Piliferum* et *muticum* in muris argillaceis, circa Dreſdam et Lipſiam; *ſerratum* vero Lipſiae, in pratis pinguibus, limoſis reperit Noſter. Prima et tertia ſpecies magnitudine, et habitu admodum variant, ita, vt ſaepius nouas mentiantur ſpecies; altitudinem tamen octo linearum geometricarum, prima numquam ſuperat: ſecunda paulo humilior eſt, quam tertia, minima quarta ſecunda porro caeſpitulos conuexiores format, vaſculisque granorum ſinapis aemulis, flauis, aut rubicundis, minus occultatis, facile ſe prodit.

Quod

Quod ad partes ſingularum ſpecierum, earumque mutationes attinet, obſeruauit, radicem baſi caulis annexam, nec foliis intertextam, ſimulque fibroſam eſſe. Caulis ob paruitatem, minus con- p. 10.
ſpicuus omnibus phaſcis a Botanicis denegatur; ſed eum diſtincte vidit in *ſubulato*, ſex lineas longum, in *pilifero* et *cuſpidato* multo minorem; *muticum* vero, et praecipue *ſerratum*, vere acaulia eſſe, invenit. Caeterum ſunt caules erecti, teretes, firmi, glabri, coloris ab initio viridis, demum fuſci; cortex cuiuslibet reticulum ſiſtit, ſubſtantia interiecta membranacea, craſſa, rigida. Folia pauciſſima ſunt, in *ſerrato* et *mutico*, infimam tantum partem plantulae cingunt, in reliquis totum cauliculum; reticulum ſiſtunt, ex multis venis, inter ſe anaſtomoſi iunctis, contextum, longitudinalibus et transuerſalibus, quarum areolas replet membrana valde tenuis. Figura foliorum vt plurimum quadrata eſt, admixtis pentagonis, et hexagonis, in oblongum extenſis.

Accedit nunc ad partes, fructificationi inſeruien- p. 14.
tes, quas conſtituunt ſeta, ſeu pedunculus perbreuis, et capillo, fere tenuior; fila, bulbulo ſetae adiacentia, a Cl. SCHMIDELIO obſeruata, a Cl. SCHREBERO autem non viſa: calyptra porro, quae, vt videtur, cum vaginula bulbilli cohaeret: vaſculum deinde gracile, filumque tenue aemulans; capſula, grani nomine etiam nota, ex meditullio ſetae orta, ſucco viſcido immatura ſcatens, matura puluere, ex innumeris granis conſtante, plena; ſtylus denique, ſeu columella, baſin capſulae intrans, tenera cylindracea. Com- p. 18.
parationem vltimo loco inſtituit, inter partes fructificationis muſcorum, et antheras piſtillaque plantarum perfectarum; ac tempus, quo phaſci ſpecies inprimis vigeant, definit, quod nempe eſt, vernale et auctumnale. Addita demum eſt explicatio figurarum valde accurata.

VI. D.

VI.

D. IOH. CHRIST. DAN. SCHREBERI. Ser. Margr. Brand. Onolzb. et Culmb. Conſil. Aul. Med. Bot. et Oecon. P. P. O. in Acad. Erlang. Acad. N. C. et Hiſt. Goetting. Soc. Bot. et Georgoph. Florent. Oec. Lipſ. et Vdin. Sod. Spicilegium Florae Lipſicae. Lipſiae, apud Dyck. 1771. 8. pl. 12.

Quem ante viginti et duos iam annos in ſe ſuſceperat operam digerendi ſtirpes, circa Lipſiam ſponte prouenientes, et quam, magnorum in ſcientia botanica virorum egregiis ſubſidiis auctam et ornatam floram, Lipſiae indigenam, ediderat olim Noſter Cl. BOEHMERUS: eam tamen nondum ex omni parte perfectam, atque recenſione ſingularum plantarum abſolutam eſſe, et cognouit, aſſidua ſua perueſtigatione Ipſe, et alii, florae deliciis capti amici, ex quibus nunc, quae in expolienda illa praeſtiterit, publice propoſito, docet Cl. SCHREBERUS ſpicilegio. Erat enim Boehmerianum tentamen, plantas ſponte creſcentes, ad methodum diſpoſitas exponendi primum, labore pleniſſimum, et difficile, et intra vnius milliaris diſtantiam, ab vrbe occurentes plantas tantum continebat, quum vero variae mutationes, vt notum eſt, plantarum prouentui nouo et faueant, et deleant alias, mirum eſſe non poteſt, intra longinquum tempus faciem quoque aliam botanices redditam fuiſſe, quo partim nouae, et nunc detectae demum accederent; partim aliae melius diſtinguerentur, in primis, quod Cl. SCHREBERUS limites florae Lipſicae vlterius proferre, et ditioni eius ſubiicere, non dubitabat. Ad quod accedit, quod in minimis etiam plantulis perſcrutandis, ille ſtudium poſuerit, valde laborioſum, quod con-

confirmat magna plantarum, nudo flore inſtructarum, cohors, hic larga admodum copia adiuncta.

In vniuerſum eandem retinuit methodum Cl. SCHREBERUS, quae a Cl. BOEHMERO fuerat adoptata, id eſt, Ludwigianam, eademque nomina generum et numeros, vt ſuo quaeque planta loco facile poſſet inſeri. Inter has autem, quae non ſatis erant determinatae, vel nondum accurate deſcriptae, ſtudioſe diſtinxit, tum Linnaeanis, Hallerianis, tum propriis additis nominibus ſpecificis, quae vbi acceſſerunt, breuem et aptam ſimul ſecum habent plantae deſcriptionem, quoad eas nempe partes, quae differentias indicant. Nouae denique additae vltimum plantarumBoehmerianarum numerum ſerie ſua ſequuntur, ita quidem, vt acceſſionis ratio pateat. Erant nempe a Cl. BOEHMERO octingentae octuaginta et quinque deſcriptae, a Cl. SCHREBERO nunc in ſpicilegio his accedunt tot, vt numerus ad mille centum et ſexaginta ſeptem adſcendat, hincque augmentum flora noſtra, trecentarum et vltra nouarum acceperit plantaram. Ex his aliquae ante, non animaduerſae ſunt, ex rarioribus quidem Vtricularia, et Orchis coriophora, nec non, quae ad ſalinas creſcunt, et inter marinas ſolent referri: porro nouum eſt Potamogeton heterophyllum n. 928. quod *foliis ſubmerſis linearibus ſeſſilibus, natantibus lanceolatis petiolatis* ſeſe diſtinguit, nec cum *natante* conuenit, ob teneritudinem ſuam, et Potamogetonis graminei latiuſculi, foliis et ramificationibus denſe ſtipatis, RAII varietas eſſe iudicatur. Inter Alſines *viſcoſa* occurrit n. 945. *caule puniculato foliisque pubeſcentibus*, *petalis capſulisque calyce pubeſcente breuioribus*, quae, ob habitum villoſo - viſcoſum, ab aliis ſimilibus, et tenuifolia LINN. recedit. Auenae duae adiiciuntur, ſpecies nondum alibi deſcriptae, nempe ſtrigoſa n. 988. quae, *paniculam*

culam oblongam, contractam ſecundam, floſculis geminis, apice biariſtatis, dorſo ariſta geniculata oſtendit, cuius mentionem in botanicorum ſcriptis nullam inuenit Cl. SCHREBERUS, et orientalis, n. 987. quae cum hac quodammodo conuenit, paniculis autem denſioribus, et craſſioribus ſpiculis differt, quamque *panicula coarctata ſecunda, ſpiculis bifloris horizontalibus parallelis, ſeminibus laeuibus* inſtructam eſſe ſcribit, et quae nuper demum innotuit. Vt alias taceamus, quarum aliquae, in accurata graminum deſcriptione Cl. SCHREBERI iam propoſitae, et delineatae habentur. Nouis quippe deſcriptionibus inter alias, agroſtis vniualuis, triticum caninum, feſtuca ſpecioſa, carex praecox, flacca, cet. illuſtrantur.

Specierum denique nouarum numeroſa admodum grex addita reperitur, inter quas ſi referantur, quae ad aliud genus pertinent, quam cui plerumque annumerantur, illas etiam nunc ſeiunctas fuiſſe obſeruamus, vt v. c. Sphagni quaedam ſpecies DILLENII n. 777. 779. 780. ad Phaſca deuenerunt, quorum hiſtoriam tradidit ſingulari ſcripto Cl. SCHREBERUS. *) Elatine, foliis oppoſitis n. 932. acceſſit ad Elatinem, foliis ſtellatis BOEHMERI; Sium anguſtifolium, vmbellis alaribus n. 505. ab Sio eiusdem numeri BOEHMER. ſeu nodifloro LINN. ſolis pedunculis vmbellarum differt, in quorum longitudine tamen nobis videtur ſolum natale, aut incrementum differentiam facere. Phalangio ramoſo ſubſtituitur Liliago n. 526. Antherici ſpecies LINN. quod folia latiora, multo maiora, corollas patentes, piſtillum denique declinatum, vt diſcrepantes notas, offert. Chamaenerii ſ. *Epilobii* LINN, tres nouae ſpecies hic recenſentur, n. 1164. ſequ. parviflora, roſea, et obſcura, quae habitu caulis glabro, villo-

*) vid. ſupra p. 440.

villoſo, foliis ſeſſilibus, petiolatis et decurrentibus, diſtinguuntur.

In plantis denique nudis, ſingula fere genera ingenti ſpecierum nouarum copia inſtruuntur, egregiis ſimul characteribus additis, in quibus detegendis aliorum etiam amicorum ſubſidia laudat Cl. SCHREBERUS, ſingulas quum hic recenſere nequeamus, libet aliqua ſpecierum nomina adiungere, quae ſingulari cura emendatae ſunt, vt Polypodium molle n. 1027. Polytrichum commune n. 733. piliferum n. 1031. Bryum vnguiculatum n. 1037. deinde criſpum, purpureum, pallidum, ſtellatum, nutans, crudum. Hypni variae ſpecies, ex quibus variae ſpecies, quae ad Mnium LINNAEUS retulerat, quoque emendatiores apparent, vt complanatum, trichomanoides, rutabulum, ſtriatum, piliferum, ſtellatum, nitens, polyanthos, ſerpens, intricatum, attenuatum. Ex Iungermanniis eminet varia, bidentata, bicuſpidata, reptans, barbata, puſilla, tamariſcifolia. Porro additur Anthoceros punctatus. In fungis notari meretur, Eluela ceratoſpermum, in Lycoperdis multifidum, in Lichenibus, quibus cruſtaceorum et filamentoſorum HALLERUS nomen dedit, radiatus, aculeatus, granoſus, puluerulentus, muralis, pullus, pallidus, ſcrupoſus, ſabuletorum, orbiculatus, anguloſus, croceus, flauus, incanus, viridis, roſeus; in Byſſis coriacea.

Sed ſatis haec notata ſpecimina probant laboris adhibiti aſſiduitatem, et florae noſtrae in minimis quoque diuitias, id quod ad continuandam induſtriam, in poſterum quoque alios allicere queat debeatque.

Conſpectus plantarum florae Lipſicae ordine Linneano, et indices, quibus nomina generum et ſpecierum, tum latina et methodica, tum germanica pro-

proponuntur, faciliori vſui, totum hoc eximium adaptant opus.

VII.

Syſtema morborum ſymptomaticum ſecundum claſſes, ordines et genera cum characteribus propoſitum, a IOANNE BAPTISTA MICHAELE SAGAR, circuli Iglauienſis in Morauia phyſico Regio. Impenſis Io. Pauli Kraus bibliopol. Viennens. 1771. 8. plag. 4.

Praemiſit Cl. SAGAR clauem claſſium, ſyſtema ſuum morborum externorum ac internorum ſymptomaticum ſiſtentium, quam et nos hic breviter tradamus: dein harum claſſium ordines et genera, cum caracteribus proponit, ex quibus, vti ſolemus, ſingula ſolummodo ſeligamus. Claſſis *prima* continet vitia, ſeu morbos chirurgicos; *ſecunda* exanthemata; *tertia* cachexias, absque febre; *quarta* dolores, ad febres aut phlegmoſias non referendos, *quinta* fluxum ſ. exitum inſoliti cuiusuis ſolidi vel fluidi e corpore; *ſexta* ſuppreſſiones ſ. meatuum impeditionem, hinc excretionum conſuetarum in ſanitate impedimentum, manu chirurgica non curandum; *ſeptima* anhelationes, motus ſpaſmodicos iteratos, defatigantes pectoris, cum reſpiratione ſonora, moleſta ſine febre notabili; *octaua* ſpaſmos, contractionem vel conſtantem, vel interpolatam, inuitam, muſculorum motum localem efficientium; *nona* debilitates, impotentiam, ſentiendi, appetendi, imaginandi, organa artusque mouendi, more ad ſanitatem neceſſario; *decima* phlegmaſias, febres cum pulſu duro, dolore topico, inflammatione partis; *vndecima* febres, frigus, calorem, pulſum frequentem, reſpirationem auctam, viribus artuum imminutis, depra-

prauatis; vel ſolam virium artuum notabilem imminutionem, ſine pulſus mutatione, ſine euacuatione notabili etc. *Duodecima* et vltima claſſis complectitur veſanias, errorem mentis in imaginatione, appetitu, iudicio.

His claſſibus conſtitutis, genera et ordines morborum Noſter perſequitur. Atque, cum omnia hic repetere inſtituti noſtri ratio non ferat, in vniuerſum monemus, Cl. Auctorem in hac ſymptomatica noſologia conficienda imitatum eſſe Cl. SAUVAGES, inſuperque nos viginti, et quod excurrit, morbos graecis nominibus, a Noſtro iis impoſitis, nec in Cl. SAUVAGES noſologia methodica repertis, apud Cl. SAGAR deprehendiſſe. p. 5.

Exempli loco ſit haematapoeia, ſeu macies ex inopia ſanguinis, quae ita a Noſtro deſcribitur: ſucceſſu accedens, virium debilitas, pertinacior aurium ſibilus, appetitus languens, facies lurida, epidelio tecta pallidiſſima, alui fluxus, diabetes, ſudores ſubinde profuſi, lipothymiae, tibiae tumidae, quandoque hydrothorax his ſuccedens, vigiliae, ſuſpiria, animi abiectio, moeror, mortis timor, pulſus vacuus, vti Cl. LIEUTAUD ac DE HAEN quoque obſeruarunt. p. 16.

His praemiſſis, de ſingulis videamus. Inter exanthemata contagioſa numerat aphthas, ac quaerit: num eae in pudendis obſeruatae ſint, dum in ore exſtant? Vidit hoc Noſter in ſuis infantibus. p. 15.

Ordo *primus* cachexiarum eſt macies. Atque huc refert phthiſin, ſeu maciem cum amphimerina lenta, tuſſi et anacatharſi purulenta, cuius vnam medicinam forſan dulcamaram Noſter iudicat. p. 16.

Ordo *ſecundus* fluxuum continet inter aluifluxus ſanguinolentos melaenam, ſeu fluidi atri per ſuperiora, vel inferiora reiectionem, quam Noſter p. 28.

ſaepius vidit. Porro inter ſeri fluxus pyuriam, ſeu purulentam, albeſcentem, aut viſcido mucoſae materiae mictionem. *Phyſice*, inquit, *caſtis bonis auibus ſubin accidit.*

p. 39. *Ordo quartus* ſpaſmorum, ſpaſmos clonicos generales complectitur, ac huc pertinent epilepſia ac hyſteria. In hac laudat Noſter inprimis oleum deſtillatum eſſentiale vuluariae; ac in illa oleum ſtillatitium radicis valerianae.

p. 43. In *ordine quinto* debilitatum, vbi comata pertractantur, catalepſis ita deſcribitur, vt ſit ſtatus ſoporoſus, cum artuum flexilitate, et ad quosuis nouos ſitus retinendos aptitudine: Facies tum rubet, oculi fixi aperti, ſudor frigidus, reſpiratio parua, lenta. Quinquies hunc morbum vidit apud mulieres, ac vltima vice apud ſuam uxorem.

p. 45. Phlegmaſiae duos ordines conſtituit, nimirum phlegmaſias diuidit, in membranaceas, vt in phrenitide, atque in parenchymatoſas, vt in myoſitide ſ. rheumatiſmo acuto, peripneumonia, hepatitide etc.

p. 48. Febres diſpeſcuit Noſter in tres ordines, in continuas ſcilicet, remittentes et intermittentes.

p. 52. Noſtalgiam Cl. Auctor ad veſanias refert. *Carniolis*, inquit, *patriotis meis, innatus morbus; junior Criſii ipſe hocce malo laboraui, anima vix corpori adhaeret, commercium huius cum corpore fere eſt ſublatum.* Pari modo huc pertinet hydrophobia, in Cl. Auctoris vxore obſeruata, ex metritide typhode h. e. inflammatione vteri, recurrente catalepſi ſupra deſcripta. Quaerit propterea: an rabies diſtinctum ſit genus, vti Cl. LINNEO videtur?

Summa igitur generum eſt 340 in hoc ſyſtemate ſymptomatico, in vltima vero editione III. de SAUVAGES 315 conſtituerat; addidit ergo genera 25. Eſt itaque hic libellus non ſolum imitatio operis SAUVAGEI, ſed et augmentum. Si

vero

vero nobis liceat dicere, quid nos ſentiamus de hoc libello ac de Cl. SAUVAGES, omnibusque eiusmodi libellis, hac methodo conſcriptis, intelligimus quidem inſignem huius rei difficultatem, ſummamque in ea ſtudii aſſiduitatem, potiſſimum in b. SAUVAGES noſologia methodica; tamen non poſſumus non fateri, has nimias ſymptomatum diuiſiones plus confundere, quam erudire, atque vero diuiſionis fundamento talia ſyſtemata deſtituta nobis videri.

VIII.

Mirum inter caput et viſcera abdominis commercium, gradum doctoris medici ambiens, diſſertatione, die VIII. iunii 1771. publice defendenda, expendit IOANNES HENRICUS RAHN. Helv. Tigur. Goetting 4. Typis Barmeieri. pl. 16. ſine dedicatione.

Poſtquam in eleganti atque vtiliſſima hac diſſertatione inaugurali, quae quidem multarum rerum nouitatem non prodit, ſummam tamen Cl. Auctoris ſtudii aſſiduitatem, optimorumque profecto Auctorum cognitionem, nec non accuratam eorum lectionem prae ſe fert, partium conſenſum in corpore humano perſecutus eſt, ac cum Ill. HALLERO expoſuit; ad miram inter caput et viſcera abdominis contagionem, ex praeſtantia viſcerum abdominalium, et ex inſigni humorum, qui ibi praeparantur, mutantur, ſecernuntur et eliminantur, diuerſitate oſtendendam, progreditur, adeoque quosuis capitis morbos, in et externos, ex abdomine ortum ſuum ducentes, ita pertractat, vt inquirat in conſenſuales, dolores capitis, oculorumque morbos, narium affectus ſympathicos, affectus faciei conſenſuales, dentium morbos ſympathicos, glandularum ſaliva-

lium, linguae affectus conſenſuales, ſpaſmum maxillae inferioris conſenſualem, vertiginem, agrypniam, aſtheniam, affectus ſoporoſos atque paralyſes conſenſuales, deliria paronoicem, maniam, melancholiam, enthuſiaſmum conuulſionesque: ac omnium hic enarratorum ſymptomatum cauſſam quaerit Cl. Auctor in abdomine, eamque monſtrat, ac multis egregiisque Auctorum exemplis illuſtrat. Nos vero, quibus per inſtituti huius rationem non licet omnia excerpere, quaedam ſolummodo annotemus, caeterum Lectores ad ipſam diſſertationem amandemus.

p. 4. Ita Cl. Auctor incipit a morbis, qui externum caput afficiunt, ac primum quidem dolores capitis conſenſuales contemplatur. Quorum licet diuerſiſſimae ſunt cauſſae, tamen in eo conuenire videntur Noſtro, vt, aut circulum ſanguinis in vaſis abdominalibus impediendo, ſtricturis ſpasmodicis ac congeſtionibus inſeruiant, aut ſtimulo ſuo ipſos neruos, per viſcera abdominalia diſtributos, proxime afficiant. Quapropter refert inter cauſſas has obſtructionem aluinam, quamcunque vitioſam primarum viarum colluuiem, vermes, praeternaturalem ſenſibilitatem ac irritabilitatem ventriculi et inteſtinorum, quae ſpaſmis ac conuulſionibus producendis inſeruiunt, plethoram vaſorum abdominalium ſanguiferorum, exulcerationes ſenſibiliorum viſcerum abdominalium, ac tandem, ſi earum cauſſa non in cerebro latet, febres phreniticas, paraphreniticas ſeu neruoſas acutiores, vel malignas, de quarum vlteriori origine a Noſtro diſſeritur. Ex his omnibus Cl. Auctor denique concludit, dolores capitis magis eſſe ſympathicos, quam idiopathicos, eorumque cauſſas tunc in abdomine eſſe quaerendas.

Inter oculorum morbos conſenſuales numerat p. 20.
Noſter inflammationem, aliasque ophthalmiae ſpecies. Nec minus vero hic conſenſus cadit in interiores oculi partes, variaſque viſionis laeſiones ac coecitatem ipſam inducit, e. c. mydriaſin, quae ſaepe vermes, in inteſtinis latitantes, indicat; amblyopiam, ſcotomiam, nyctalopiam, hemeralopiam, amauroſin aliasque viſionis laeſae ſpecies. Saburra enim primarum viarum euacuata, ſeu irritabilitate ac ſenſibilitate nimia per corticem Peruuianum inprimis imminuta, ſeu ſpaſmis abdominalibus ſopitis, priſtina oculorum acies redibat.

His omnibus ex neruorum communicatione ex- p. 31.
plicatis, atque exemplis declaratis, narium conſenſum cum abdomine oſtendit Noſter, ex odoratus vitiis, narium pruritu, ſternutatione, haemorrhagiis narium, a cauſſa verminoſa pariter, ac ab aliis praecordiorum vitiis pendentibus. Porro huc pertinet grauedo et coryza, vbi Cl. Auctor, dum de curatione quaedam addit, multa habet contra diaphoreticorum vſum in eis.

Cum membrana tubae EUSTACHII conti- p. 46.
nua ſit membranae internae oeſophagi, ventriculi, et inteſtinorum, praetereaque nerui aurium atque abdominis in conſenſum rapiantur, facile Noſter intelligi poſſe arbitratur, quomodo ex viſcerum abdominalium laeſione auditus organon laedi queat. Aurium itaque ſuſurrum atque tinnitum, varias otalgiae ſpecies ſurditatesque inde declarat, atque exemplis confirmat.

His perpenſis, ad enarrandos conſenſuales affe- p. 48.
ctus faciei Cl. Auctor venit. Inter quos praecipue ſunt conuulſiones muſculorum faciei, ac potiſſimum quidem riſus Sardonius, quem non ex diaphragmatis ſolum, vti eius inflammationis ſignum a nonnullis commemoratur certum, ſed ex cuiuslibet viſce-

ris, quod a neruo intercoſtali ramos habet, vitiis, ſpaſmum illum per conſenſum oboriri poſſe, multis demonſtrat exemplis. Nec minus huc pertinet, tremor labiorum, praeſertim inferioris, circuli liuidi circa palpebras, faciei rubores, narium rubor, variae maculae, rubor alterius genae in feminis quibusdam, tempore debiti lunaris, genarum pallor; facies naeuis, lentigine, baronibus deturpata, nec non et faciei eryſipelas, quae omnia praecordiorum vitioſorum certa ſunt ſigna.

p. 52. Iam dentium morbos ſympathicos cum Noſtro tradamus. Eſſe et inter dentes abdomenque contagionem, apparet ex puſionibus dentientibus, vbi non raro acrimonia, in primis viis collecta, eruptionem dentis retardat. Pariter res ſeſe habet, cum adultorum odontalgiis, ſaepius ex abdomine ſuam originem ducentibus, vti ex Auctorum exemplis, a Noſtro collectis, elucet.

p. 57. Tum glandularum ſaliualium affectus conſenſuales a Noſtro examinantur, ac inprimis quidem ſaliuationes ſympathicae, quae ex ſtimulo quodam nervi intercoſtalis, ramis abdominalibus applicato, ad neruum quinti paris et eius ramos glandulis ſaliualibus proſpicientes propagato, humorum in ipſis circuitum et ſecretionem accelerante, oriri videntur. Caeterum de ptyaliſmis, vt criſi acceſſoria, aliis morbis ſeſe adiungente, hic diſſeritur.

p. 60. Linguae affectiones ſympathicae, ex abdominis laeſione profectae, ſunt diuerſiſſimae. Eſt enim non ſolum inter eam et ventriculum conſenſus, ſed et inter reliquas abdominis partes. Hinc tremores linguae, balbuties, aphoniae conſenſuales conſiderantur, et ſitim ipſam interdum eſſe affectionem conſenſualem, demonſtratur. In ſignis linguae autem ad reliqua quoque ſigna eſſe reſpiciendum monet; fuſca enim et nigra lingua etiam in

in peripneumonicis, et ingratus oris ſapor in phthiſicis occurrunt.

Porro huc pertinet ſpaſmus maxillae inferioris conſenſualis, infantibus recens natis maxime ſolemnis, in calidioribus terrae regionibus frequentior, neque tamen in noſtris locis adeo rarus, pariterque e vitiis praecordiorum ortum ſuum trahens. Atque ita ad finem perducta eſt tractatio morborum, ex imo ventre conſenſualium, qui in externas capitis partes caderent. p. 65.

Iam progreditur ad internos morbos cerebri ſympathicos, ac incipit a vertigine conſenſuali, mutuoque capitis cum abdomine, et huius cum illo conſenſu e. c. vomitio excitata, ex capitis vulnere perpenſo, atque exemplis probato, ad agrypniam conſenſualem tranſit. Quam omnia irritamenta, ſanguinis ac ſpirituum neruoſorum motum augentia, iuſtamque inde in encephalo circuitum ac ſomnum turbantia producunt. Hoc autem efficit nimia ingurgitatio in coena, aliaque praecordiorum vitia, a Noſtro collecta. p. 68.

Vires in iis vigent, quibus venter infimus purus eſt, ideoque aſtheniam conſenſualem, ab eius impuritatibus aliisque vitiis profectam, contemplatur Noſter, ac ſedulo ad hanc debilitatis cauſſam eſſe reſpiciendum putat, antequam ad cardiaca aliaque confortantia confugiamus. Porro et eadem cauſſa, morbis ſuperatis, refectionem virium interdum retardat, ac tunc omnia roborantia nocent, niſi, cauſſa hac ſublata, propinentur. p. 73.

Pertractat hic Cl. Auctor affectus ſoporoſos conſenſuales, quos ſaepe, illaeſo cerebro, et cauſſa in infimo ventre quaeſita atque reperta, curatos fuiſſe, exemplis multis docet; etiamſi modum, quo ſympathi- p. 78.

pathici hi ſoporoſi affectus oriantur, ſe neſcire fatetur. Vtrum colluuies inteſtinales ſanguinem viſcidum reddant, vt facilius vaſis cerebri inhaereat, an eaedem et aliae cauſſae, vt ſuppreſſa menſtrua, haemorrhoides, arthridis anomala, mittimus reliquas, quas Noſter hic collegit, ſpaſmis excitatis, congeſtionem noxiam ad caput deriuent, diſquirit; ac putat, poſſe hoc in quibusdam, non tamen in omnibus fieri. Hyſtericarum enim apoplecticarum, ac febri intermittente ſoporoſa demortuorum aliorumque, hac ex cauſſa defunctorum, cerebrum ſanum abſque vlla laeſione eſt inuentum. Num ergo a nimio liquoris neruei, per irritamenta abdominalia, deriuato flumine, vel ex impedito ſanguinis verſus cerebrum affluxu, vel ex neruorum conſenſu communicato minimis medullae cerebri fiſtulis ſpaſmo, qui ſpirituum per illos motum difficiliorem reddit, deriuandi ſunt? Sed nimia obnubilata eſt caligine morborum neruoſorum theoria, quam vt certi aliquid atque indubitati poſſit in iis ſtatui.

p. 90. Cauſſis, a quibus conſenſuales apoplexiae proficiſcuntur, eae prorſus occurrunt ſimiles, quibus paralyſes ſympathicae adſcribuntur. Quapropter, breuiter his a Noſtro conſideratis, ad deliria conſenſualia accedit.

p. 93. Atque hic aſſentitur Noſter Cl. TISSOT, qui inter viginti deliria, tam acuta, quam chronica, octodecim ex hypochondriis eſſe contendit. Quapropter multa a Noſtro hic collecta ſunt exempla, ex quibus, ipſa phrenitica deliria chronica ac acuta ſaepiſſime oriri poſſe patet, illaeſo cerebro eiusque partibus. Caeterum autem minime dubitat de idiopathica illorum cauſſa, poſt inflammationes, metaſtaſin, inſolationem, variasque externas capiti illatas violentias, inducta. Porro et chronica ac periodica deliria ſympathica non raro pendent a ſola harum

par-

partium debilitate, ac nimia ſenſibilitate, ſpaſmiſque inde excitatis, ex acrimonia ſanguini admixta, neruos irritante aliisque cauſſis.

Multas tandem et diuerſiſſimas conuulſionum confenſualium cauſſas, in abdomine latentes, Noſter pertractat, nec non exemplis optimis, ex Auctoribus depromptis illuſtrat, atque cum Cl. BAGLIVII voto huic diſſertationi finem imponit: „vtinam medici omnium aegrorum hypochondria in morbis attenderent, pauciores certe committerent errores, quam ſpreta hypochondriorum obſeruatione. Qui bene nouerit hypochondriorum ſtatum in morbis, quam bene curare nouerit, quam bene praeſagire.„ p. 110.

IX.

Mémoires de l' académie de Dijon. Tome prémier. à Dijon chez Cauſſe. 1769. 8. Alph. 16. pl. Tab. aen. 2.

i. e.

Commentarii Academiae Diuionenſis. Vol. I.

Vti fere in omnibus primariis Galliae vrbibus ſocietates et Academiae, ad modum regiae Academiae ſcientiarum Pariſinae inſtitutae ſunt, ita etiam Diuionum capitalis Burgundiae eiusmodi Academia ſuperbit, quae vero non ſcientias tantum, ſed liberales etiam artes colere, ſuisque laboribus augere, in ſe ſuſcepit.

Praemiſſa eſt primo commentariorum huius Academiae volumini, quod nunc indicamus, hiſtoria eiusdem, ex qua patet Cl. POUFFIER, Decanum (*Doyen*) ſupremi magiſtratus Diuionenſis, anno huius ſeculi viceſimo quinto, legato in hunc finem facto, academiam et praemia, quotannis ab ea diſtribuen-

buenda fundaſſe. Mortuo vero, anno huius ſeculi trigeſimo primo Cl. POUFFIERIO, academia haec, variis in inſtituto fundatoris mutationibus fa-ctis, erecta eſt. Primum vero conuentum habuit, anno quadrageſimo primo, variisque, quae praemiis condecorauit, libellis ſeorſim in lucem editis, nunc commentariorum in ea praelectorum volumen pri-mum, variarumque obſeruationum ſibi communica-tarum ſummam publicare conſtituit. Cum vero in hoc volumine plura contineantur, quae artes ſpe-ctant, quae ab humanitate nomen habent, iis omiſ-ſis, ex eo tantum praecipua indicabimus, quae propius ad nos pertinent.

Ex obſeruationibus hiſtoriae Academiae annexis ſequentia notamus :

Hiſt. p. 42. Meteori ignei hiſtoria hic traditur, quod a. 1761. d. 11. nou. in variis comitatus Burgundiae locis apparebat. Bolidem illud referebat, cum in-ſigni fragore in plura fruſtula minora tandem diſſi-lientem, ex quorum fragmentorum igneorum vno, in domum delapſo, incendium ortum eſt. Qua oc-caſione commemoratur, ſtellam lambentem, in qua vulgo nil igniferi eſſe putatur, domum quoque ante aliquot annos accendiſſe. In comitatu Bur-gundiae (*Franche-Comte,*) ad locum, qui *Lous-le-Sau-*
p. 47. *mier* dicitur, inſignis copia ligni foſſilis, ad lithan-traces colore et odore, ſi accenditur, accedentis, ad trium quatuorue pedum altitudinem in terra reperitur. Compoſita vero eſt haec ligni foſſilis fodina ex truncis arborum, in fruſta minora ſerrae ope diuiſis, et faſcibus, ita, vt probabile ſit inſignem aceruum lignorum ad vſum ſalinarum, quae ante ſeculum octauum poſt C. N. in his locis floruerunt, collectum, neglectis his ſalinis, exterioribus lignis in

in terram mutatis, mineraliſatum eſſe. Cl. NADAUT probare annititur, argillam ex arenae fruſtulis vel terra vitreſcibili componi, et vice verſa ex argilla arenam vel ſilices (*grais*) oriri poſſe, *) In Campania Galliae, vbi nulli fere lapides reperiuntur, ruſtici ſilices minores in foſſas profundas colligunt, in quibus per aquam pluuialem in paſtam argillaceam rediguntur, ex qua deinde maſſas lapideas formant, quibus ad ſolem ſiccatis, ad aedificiorum exſtructionem vtuntur. Cl. LENOIR fungos non ex ſeminibus oriri, ſed gallarum ad inſtar ex euolutione ſecundaria ſeminum frumenti oriri poſſe, aliqua obſeruatione, in ſpicis ſecalinis facta, probare annititur. Cl. CHARDENON interſectionibus tendineis muſculorum rectorum abdominis eundem fere vſum, quem Cl. BERTINUS iis adſcripſit, adſignat. Eodem fere tempore hic commentarius in conuentu Academiae lectus eſt, quo Cl. BERTIN ſuum academiae Pariſinae communicauit **). Cl. MARET probat etiam *Diuioni* decimam partem eorum, qui variolis laborant, vi huius morbi interire. Idem veſicatoriorum in pleuritide et peripneumonia vſum commendaturus, monet in ſpuriis illa, ſine praegreſſa venaeſectione, applicari poſſe, quae in vera neceſſario requiritur. Egregios quoque effectus ei in dolore inguinis pedumque, ex metaſtaſi lactea orto, praeſtiterunt. Cl. CHAUSSIER morbum epidemicum, qui a. 1763. Nouierii (*Noyers*) graſſatus eſt, deſcribit. Cataractam radiatam, in qua filamenta alba, radiorum inſtar, ex nuclei centro oriebantur, Cl. HOIN obſeruauit. Cum in cataractae

p. 51. p. 59. p. 84. p. 86. p. 93. p. 97. p. 104.

*) Argillam ex terra vitreſcibili conſtare, magis adhuc probatum eſt per experimenta Cl. BAUMÉ vid. EIUSDEM *Mem. ſur les argil.* Conf. Comm. noſtr. Vol. XVII. p. 436.

**) Anno 1746 vide Cl. BERTIN. Comment. in Mém. de l' acad. des ſcienc. 1746. p. 393. Comm. noſtr. Vol. I. p. 300.

raſtae depoſitione lens adhuc mollis, acus ope diuideretur, aeger per aperturam, hac diuiſione factam obiecta videre per aliquot dies potuit, ſed, poſt decem circiter dies, haec duo fragmenta iterum vniebantur, et aeger iterum coecus reddebatur. Poſt aliquot menſes rurſus lentis, olim diuiſae, fragmenta ſecedebant, vere autem ſequente concreſcebant, et cataracta, nunc firmiore facta, depoſitio ſe-
p. 107. cunda vice tentata, optime ſuccedebat. In corde ouis in abſceſſu ibidem nato, acus quaedam reperta eſt.
p. 109. Cl. HORN ſingularem metaſtaſin puris, poſt ictum, in capite acceptum, ad abdomen vidit. Poſt vehementes enim dolores, in capite ortos, ſubito frigidae quaſi aquae deſcenſum a capite ad pectus, et ex hoc ad abdomen aeger ſenſit, et deiectione purulenta
p. 110. facta optime conualuit. Iuuencula quaedam, quae menſtrua experiebatur, ad coitum vi adacta eſt, ex qua re tanta indignatione commouebatur, vt in delirium et hydrophobiam incideret, et tertio die, omnibus remediis fruſtra tentatis periret.

Iam ad ipſos commentarios accedimus, ex quibus ſequentes hic commemorandi ſunt.

Comm. p. 1. Cl. BARBERET, *de natura et formatione grandinis.*

p. 95. Cl. MARET Chir. *de vtilitate extractionem calculi in lithotomia differendi.* Cum Cl. Auctori, in calculi per ferramenta curatione, aliquoties accideret, vt calculum, quem in ſectione ipſa extrahere non poſſet, elapſis aliquot diebus, facillime eximeret, in cauſſam huius phaenomeni inquirens, cognouit, ſaepius calculi extractionem aliquot dies differendam eſſe.

Iam PETRUS FRANCO, poſt ALBUCASEM et CYPRIANUM propoſuerat, vt plaga facta, ſi cal-

calculus non in eam incideret, vulnus turunda immiſſa, per aliquot dies apertum ſeruetur, quo ex eo calculus vel ſponte exeat, vel inſtrumento protrahatur. Haec vero methodus ab eo tempore penitus fere neglecta eſt; cum tamen ex Auctoris Cl. opinione ſaepe extractionis dilatio neceſſaria ſit. Cauſſae vero dilationis huius, quas Cl. Auctor vrget, ſunt: difficultas extractionis calculi in ipſa operatione, et inflammationis periculum, quod ex fruſtra tentata extractione, vulneris labiis et veſica contuſis oritur, cet. Si vero inciſio ſimplex tantum inſtituitur, nec labia vulneris aut veſica forcipum immiſſione laeduntur, ſuppuratio bona oritur, et calculus vel ſponte per vulnus exit, vel in illud incidit, et digito, vel cochleari paruo facillime extrahitur. Raro enim in operatione, hac methodo facta, forcipe opus eſt. Haec de omni lithotomia valent; repe- p. 101.
riuntur vero ſingulares etiam caſus, in quibus haec extractionis dilatio abſolute neceſſaria eſt. Talis vero eſt in aegris, qui proſtatam ſcirrhoſam, vel fiſtulas in perinaeo, vel veſicam vrinariam calloſam, (*racornie*) vel irregulariter figuratam cet. habent: aut vbi calculus veſicae adhaeret (*pierre enkiſteé*); nec non in iis omnibus, qui dolorum vehementia iam multum debilitati ſunt, vel quorum veſica plures calculos continet, aut in quibus plaga nimis parva pro mole calculi facta eſt. His in vniuerſum propoſitis, pluribusque argumentis illuſtratis, varias operationum hiſtorias Cl. Auctor addit, quae praeſtantiam methodi illius vberius probant.

Diſſertatio de febribus epidemicis, cum hiſtoria p. 125.
febris malignae petechialis, quae anno huius ſeculi ſexageſimo primo et ſecundo (in Burgundia et Divioni inprimis) *graſſata eſt.* Auctore Cl. MARET D. Med.

Con-

Conuenit ea cum febre, quae a HOFFMANNO, et medicis Wratiſlauienſibus a. 1699. a HUXHAMO vero a 1734. obſeruata eſt. Ad febres malignas petechiales putridas, ſeu neruoſas contagioſas HUXHAMI pertinebat, et poſt tempeſtatem pluuioſam et calidam oriebatur, atque, vel putrida inflammatoria, vel neruoſa erat. Cl. MARET obſeruationes in ſuis aegris factas, cum obſeruationibus Auctorum hic allegatorum in tabulis adiectis comparat, et exacte cum iis conuenire oſtendit. Symptomata vero, ab aliis non annotata, ſunt: immobilitas, nec non iactura odoratus et guſtus, quam aegri Cl. Auctoris inter 4 et 14 diem ſaepius experiebantur. In nonnullis ſola corporis ſuperficies dolebat, ita, vt leuiſſimus attactus inſignes cruciatus excitaret. Venaeſectio in plethoricis tantum profuit: Vomitoria in inflammatoria et neruoſa febre in initio ſemper vtilia erant, atque in neruoſa etiam, ſub reliquo decurſu, repeti poterant, vbi purgantia aliena erant. Corticis quoque et camphorae inſignes in hoc morbo virtutes expertus eſt Noſter; inprimis vero camphora in diarrhoeis putridis, quae poſt decimum quartum morbi diem accedebant, vtilis fuit. Veſicatoria raro, et tantum in neruoſa febre, adhibuit.

p. 193. *Commentarius de lithotomia, in quo dilatatorium huic operationi aptum* (dilatatoire-lithotome) *deſcribitur, et methodus illud in lithotomia mulierum, nec non virorum quoque adhibendi, indicatur, variaeque annotationes circa effectus eius communicantur.* Auctore Cl. HOIN. Cum in calculi curatione, in mulieribus adminiſtranda, ſaepe ſola dilatatio vrethrae et colli veſicae ſufficiat; nonnunquam vero inciſione ſimplici vel duplici quoque opus ſit, Cl. Auctor de inſtrumento cogitauit, quod vtrumque vſum praeſtare poſſet. Conſtat hoc ex duobus brachiis quo-

rum

rum vnum conducens, alterum dilatatorium vocat, et lamina ſecante, quae ad ductum horum brachiorum immitti poteſt. In dilatatione lente verſatur, eiusque ope calculos inſignis magnitudinis protraxit. Si dilatatio incifioni iungitur plaga parua, qua collum vrethrae tantum diuiditur, iam ſufficit. In calculo inſignis magnitudinis, duplex parua ſimplici maiori inciſioni praeferenda eſt. Hoc vero p. 254. inſtrumentum etiam in lithotomia virorum adhibere poſſumus, ſi ſcilicet inciſione exteriore vrethram ſupra bulbum eius aperimus, et ita vrethram eorum ſimilem feminarum vrethrae reddamus, quo facto reliqua Auctor Cl. vt in mulierum lithotomia peragit. Cum inſtrumentum, Cl. Auctoris quodammodo ad illud accedat, quod Cl. POVTEAU deſcripſit, *) monet Noſter ſe iam anno 1760. hoc inſtrumento vſum eſſe.

EIUSDEM, *obſeruatio de tumore carcinomatico in collo mulieris.* Ambitus huius tumoris pedem p. 295. vnum aequabat. Cl. Auctor, inciſione circulari facta, pediculum ligauit, et deinde tumorem ſcalpelli ope penitus exſtirpauit. Quamquam per tredecim iam annos femina hoc malo laborauerat, tamen cicatricem perfectam, inprimis vſu emplaſtri de cicuta, obtinuit.

Commentarius de incremento ponderis metallorum p. 303. *calcinatorum*, Auctore Cl. CHARDENON. Inter omnes, quas de miri huius phaenomeni cauſſis attulerunt celebres viri, opiniones, duae potiſſimum vero maxime conſentaneae videntur: prima, qua putant, particulas igneas moleculis metallicis accreſcere, et

*) Memoir. ſur la taille au niveau. Lyon 1765. Conf. Comm. noſtr. Vol. XVI. p. 490.

et fixas ab iis retineri; altera, qua affirmant, ſub calcinatione metallorum, varias heterogeneas moleculas ex atmoſphaera ambiente in poros eorum intrare. Vtramque vero hanc opinionem multis, quae fuſe recenſet Cl. CHARDENON, argumentis conuictus, dubiam exiſtimat et reiiciendam, atque aliam huius phaenomeni cauſſam commemorat, quam firmis rationibus roborare annifus eſt: qua ſolide comprobat, vnam ac veram cauſſam, per quam, vel calcis metallicae, poſt inflammationem maius pondus, vel calcis eiusdem, poſt factam eius reductionem chemicam, minor grauitas efficiatur, in principii inflammabilis vel abſentia, vel praeſentia quaerendam eſſe.

p. 335. *Obſeruationes de arte vaſa porcellana ſpuria,* (Fayence) *parandi.* Auctore Cl. BOSC' D' ANTIC. Obſeruationibus his declarat modum, quo in Gallia vaſa haec parantur, inprimis curioſiore terrarum electione et praeparatione multum emendari poſſe.

p. 367. *De vſu ex cultura apocyni ſyriaci* (ſoyeuſe) *capiendo.* Ex pappo ſeminum aſclepiadis Syriacae LINN, cum lana, goſſypio vel ſerico mixto, panni varii hucusque in Gallia parati fuerunt. Cl. vero Auctor detexit filamenta quoque, in caule plantae huius reperiunda,
p. 375. cannabis loco adhiberi poſſe.

Commentarius de inoculatione variolarum. Auctore Cl. GVENAUD. Cl. Auctor eam in vnico filio inſtituit, et hic argumenta, quae illum ad hanc rem commouerunt, et ſucceſſum inſitionis ipſius deſcribit.

p. 403.

Obſeruationes de inſecto, quod myrmeleon formicarium, (Formicaleo) *dicitur.* Auctore Cl. BOULLEMIER. Hiſtoriam ſingularis huius inſecti, quod in

foſ-

foſſa conica in arena excauata, habitat, inſectisque in hanc foſſam praecipitatis victitat, quam Cl. REAUMUR dedit, variis obſeruationibus Noſter auget. Eae potiſſimum ad exuuiarum depoſitionem ſpectant, quam aliquoties fieri obſeruauit. Reliqua omnia nota ſunt, cum ea, quae Auctor Cl. addidit deſcriptioni REAUMURII, a ROESELIO iam longe accuratius obſeruata et deſcripta ſint.

Commentarius de phaenomenis, quae aer in corporum combuſtione oſtendit. Auctore Cl. DE MORVEAU. Neminem phyſicorum et chemicorum fugit, plura adhuc in ignis theoria obſcura eſſe, quamvis ea inter praecipuas chemicae artis doctrinas omnino referenda ſit. Aerem ab igne pabuli loco conſumi Cl. MACQUER in *Lexico chemico* (*), et ante eum iam Cl. HALES in *ſtatica vegetabilium* docuerunt, illudque inprimis comprobarunt extinctione candelae accenſae ſub campana vitrea, quae aëre non renouato, aut, vt illi volunt, ex parte conſumto et vacuo ſub campana nato accidit. Experimenta vero Auctoris Cl. probant, aërem non conſumi, et hanc extinctionem etiam aëre nouo admiſſo fieri, atque a rarefactione et condenſatione aëris ſub campana pendere. Combuſtio enim tantum in fluido, quod perpetuo cedit, et in focum ſuum reagit, fieri poteſt, quo undulatorio aliquo motu excitato, euolutio phlogiſti, adhuc cum corpore accenſo combinati, facilitatur, applicatione et actione immediata phlogiſti iam euoluti, i. e. fluidum neque minus neque magis elaſticum iuſto eſſe debet. Ex eodem principio phaenomenon, quod carbo in vaſe clauſo igni expoſitus praebet, qui, vti notum eſt, non conſumitur, Auctor Cl. explicat. Cl. MEYERUS qui-

p. 416.

p. 432.

*) *Diction. de chymie.*

quidem in egregio ſuo *de calce* ſcripto aſſeruit, carbonem ideo non conſumi, quia acidum pingue non interſtitia paruae copiae aëris in clauſo vaſe contenti, recipi poſſit. Auctor autem Cl variis argumentis contrarium probat, docetque acidum pingue, cum vaſa intret, etiam ex iis exire poſſe, et cum ſemper aliqua aëris portio in vaſe reperiatur, etiam decrementum ponderis in hoc caſu fieri debere.

X.

IOACHIM FRIDERICI BOLTEN, Med. Doct. et Phyſici Hamburgenſis ad Illuſtrem Syſtematis Naturae Auctorem CAROLUM A LINNE. Equitem auratum, epiſtola de nouo quodam zoophytorum genere. Hamburgi ſumptibus Viduae Cl. Heroldi 1771. in quarto mai 1½. plag. tab. aen. viuis coloribus diſtincta I.

IOACHIM FRIEDRICH BOLTEN *der Arzeneygelahrtheit Doctors und Hamburgiſchen Phyſici Nachricht von einer neuen Thierpflanze. Hamburg in der Heroldiſchen Buchhandlung.*

Nouam zoophytorum ſpeciem hic Cl. Auctor deſcribit, quae ſtructurae ſimplicitate a reliquis huius generis animalibus maxime differt. Tria vero huius plantae animatae ſpecimina in freto ſic dicto Dauidis, ſub gradu ſexageſimo nono cum haſta, qua balaena vulnerata fuerat, e fundo maris protrahebantur. Extracta, varia vitae ſigna corpus ſuum contrahendo, et hauſtam aquam euomendo dederunt, mox tamen rigida facta vitaque priuata ſunt. Quamquam autem exſiccata tantum in Auctoris Cl. muſeum deferebantur, in aqua tamen macerata, in priſtinam formam reſtituta ſunt. Duo ex iis lapi-

lapidi duriſſimo inhaerent, tertium vero, a lapide ſeparatum, ſed illaeſum eſt. Externa forma maxime ad *Vorticellam oviferam* LINN. quam Cl. EDWARDS *) p. 5. depinxit, accedunt. Conſtant autem *corpore coriaceo, colore lateritio, et caule cartilagineae duritiei, qui in duas partes commode diuiditur. Harum inferior caua eſt, et ex annulis minutiſſimis componitur; ſuperior vero ſinditur, et in formam verae ſpathae mutatur, ex qua corpus originem ſuam ſumit. Hoc in modo dicta ſpatha apice acuto incipit, veſicamque oblongam aemulatur, quae extremitate obtuſa terminatur. Habet vero hocce corpus os prominens patulum, anum prominulum, ſphinctere radiato clauſum, nec non inteſtina ori, ano et extremitatibus ſuperiori aeque ac inferiori adhaerentia.* Diametri corporum vnum digitum vix excedunt, caules vero admodum tenues ſunt, et duas lineas craſſitie ſua non ſuperant. Longitudo totius animalis in maiore 13, in minore 12 digitorum eſt. In maiore corpus $5\frac{1}{2}$ digitos, in minore 3 digitos habet, ex qua menſurarum et habitus quoque differentia, nec non diuerſa ani orisque diſtantia, ad diuerſitatem ſexus forte concludi poſſe, Cl. Auctor ſuſpicatur. Corpore inciſo, Cl. Auctor p. 8. reperit, cutem e duabus laminis componi, viſceraque in corpore contenta *eſſe canales perpendiculares albicantes, ab imo ad ſummum apicem extenſos, cum intermedio corpore glanduloſo flaueſcente fibris nerueis circumuoluto, cui plurimae fibrillae capillares adhaereant. Ex canalibus duo, qui primum par faciunt, (per paria enim diſpoſita ſunt,) acuminato et incuruo principio in ipſa oris vicinia incipiunt, deſcendunt anum extremitatemque inferiorem verſus, adſcendunt tunc ante corpus glanduloſum, cui hi et reliqui omnes incumbunt, ad ſummum apicem usque, laterali-*

*) EIUSDEM gleanings of natur. hiſt. Part. III. p. 303. v. Comm. noſtr. Vol. XIII. p. 124.

ter iterum deſcendunt, atque pone modo dictum corpus glanduloſum recurrunt, et materia nigra repleti, in vnum truncum intermedium deſcendentem, (qui inteſtinum rectum ſine dubio eſt,) mutantur. Hi poſteriores ſtructura teneriores, illi ante corpus glanduloſum poſiti compactiores, et ex hiſce poſteriores duo nodoſi ſunt, anteriorum autem extremitates, quae verae ſunt proboſcides, extra os producere animal poteſt, cibum capiendi et ingerendi cauſſa. Viſcera non totum cutis, vtris inſtar formatae, cauum implent.

XI.

H. D. GAUBII aduerſariorum varii argumenti liber vnus. Leid. apud S. et I. Luchtmanns 1771. 4. c. f. pag. 146. ſine prooemio et tabulae figurarum explicatione. *

Conſtituit Cl. Auctor ſecum, vti ex inſcriptione huius libri patet, varia e hiſtoria naturali, chemia, et medicina, in quibus conſiderandis adhuc Noſter a quadraginta et vltra annis verſatus eſt, deprompta, proponere. Atque hic initium fecit libro vno, qui decem capita complectitur, quorum ſummam hic cum Lectoribus communicemus.

p. 1. 1) *De aqua maris ſeptemtrionalis orae Belgicae.* Cl. RÜSSELIO **), qui iam diu vſum aquae marinae in morbis glandularum declarauit, Noſter excitatus eſt, ad chemicam analyſin huius aquae inſtituendam. Ponderis ratio ad aquam pluuialem erat men-

*) EIUSD. *Entwürfe von verſchiedenen Innhalt. Aus den Lateiniſchen ins Deutſche überſezt von* D. A. M. SIEFFERT. *Herausgegeben und mit Anmerckungen begleitet von* D. WILLH. HEINR. SEBAST. BUCHOLTZ. *Iena* 1772. 8. *mai m. K.*

**) v. Comm. noſtr. Vol. XI. p. 670.

menſe maio, atmoſphaera ad gradum 55. thermometri Fahrenheitiani calente, vt 1026. ad 1000: menſe octobri, calore aëris 56. vt 1021. Vtriusque aquae depuratae decem libris euaporatis, ſupererat materies ſalina ſicca, alba, pondere vnciarum quinque et aliquot granorum.

Quinquaginta libris huius aquae deſtillatis, in vaſe excipiente collecta aqua cryſtallinae claritatis, nec vllius odoris erat atque ſaporis, nec non ſimplici et pluuiali plane ſimilis. Huius aquae viginti et quatuor libris exſtillatis, vidit Noſter in fundo cucurbitae puluiſculum, ex luteo albidum, quo abluto atque ſiccato, ſubasper ille erat, miculiſque veluti ſalinis nitens, duas propemodum drachmas ponderabat. Atque hac aqua exſtillata, in aliam cucurbitam a Noſtro transfuſa, et quiete nec calide per aliquot dies ſepoſita, apparebant in fundo cryſtalluli diaphanae, ſubflaueſcentes, priſmaticae, partim hexagonae, abſciſſis extremis, partim irregularis figurae, vix ſapidae, ex parte, aegre tamen, ſolubiles, ſub dentibus durae, ſcabrae, pondere drachmarum trium. p. 3.

Quae vlteriore examine videbantur eſſe ſal ſelenites ex acido vitrioli, et terrae quadam ſpecie concretus, quocum tamen minime hoc ſal eſt confundendum. Etenim experimenta, a Noſtro inſtituta, edocent, ſalem hunc acido terreum eſſe, cuius terrea baſis vtrumque et vitrioli, et ſalis acidum in ſe contineat. Quapropter hoc ſal appellatur a Noſtro alumen muriaticum, ac videntur ei omnia omnino ſalia, quae ex acido et terra ſunt compoſita, aluminis nomine inſigniri, eaque, pro terrae et acidi diuerſitate, in genera ac ſpecies diſtingui poſſe. Atque ita hoc ſal a ſelenite differt. p. 4.

Eius cryſtalli cum borace pingui, quem Noſter ex Indiis accepit, ac paulo inferius conſiderat, quodam- p. 7.

dammodo conueniunt, ideoque vtriuſque cryſtallos in icone addita exhibet.

p. 13. Elicit itaque ex hac aqua marina, analyſi chemica diligenter inſtituta, ac aliquoties a Noſtro repetita, aquam puram; ſalem acido terreſtrem duplicem: vnum ſeleniticum, in quo acidum vitrioli erat, alterum et hoc, et aliquid acidi muriatici continebat; ſalem rurſus cibarium, maximam partem ſincerum et qualis eſſe debet, parte blandiorem, et adhaerente plure materie terrea obtuſum; tandem ſalis mirabilis GLAUBERI veri modicum, quibus et accedebat perparum materiae pinguis, quae non alio indicio, niſi poſtremi craſſamenti, fuſco colore, apparebat. Praeterea autem nec vllam pinguitudinem vel bitumen Noſter deprehendit. Cl. RUSSELIUS enim aquae maris tribuit ſaporem ſalſum, amarorem, nitroſitatem et vnctuoſitatem; Noſter vero praeter ſalſum ſaporem, reliquas qualitates, a Cl. RUSSELIO commemoratas, vel plane non, vel admodum obſcure detegere potuit, in ſuo huius aquae examine chemico. Quapropter et putat Cl. GAUBIUS, huius aquae marinae vim medicam non cerni in reliquis qualitatibus, ſed ſolummodo in ſalſedine, quae comparari poteſt cum ſale communi, multa aqua ſoluto. Quod ideo, addito pauco ſale mirabili GLAUBERI aqua dilutum, aquae marinae ſubſtituit.

p. 16. Ex quinquaginta libris aquae marinae accepit ſalis cibarii, et meracioris, et terreſtris, vncias viginti, drachmas quatuor; ſalis ſelenitici et aluminis muriatici vnciam vnam, drachmam vnam; ſalis mirabilis GLAUBERI vncias duas; drachmas quatuor. Singula itaque libra in ſe continet ſalis cibarii drachmas tres, et propemodum grana ſeptemdecim, ſalis vtriusque ſelenitici grana decem, mirabilis GLAUBERI grana viginti quatuor. Atque ſalium acceſſoriorum quantitatem tam paruam, virtutes mari-

nae

nae medicatas magnopere intendere, non putat Noſter.

Quamquam Cl. Auctor fatetur, poſſe ſibi obiici, hoc examen fortaſſe non cadere in aquam marinam omnium orarum; tamen non adeo aquas marinas, ratione ſalinae earum indolis, inter ſe differre poſſe credit. Interea autem optat Noſter, ne quis hoc ſuum examen nimis extendat, Angloſque et Gallos, inter quos praecipue Cl. POISSONNIER DESPERIERES *) nominatur, cum Noſtro conſentire de indole aquae marinae, aſſerit. Quod vſum huius aquae attinet, putat quidem poſſe eisdem morbis conducere, quos Cl. RUSSEL **) vult; mauult tamen praecipuos eius aquae effectus, a facultate ſeptica deriuare. Pro vario igitur ſalſitudinis gradu aut ſepticam exſerit, aut antiſepticam vim. Mentionem hunc in finem iniecit Noſter hic experimentorum Cl. PRINGLE cum ſale communi, atque arbitratur, diuturnum vſum ſalſamentorum poſſe ſcorbuti geneſi ſeruire, licet ille non ab hac re ſolum prouenire Noſtro videatur. P. 18.

2) *Sal aromaticus, natiuus ex oleo corticum mali aurei Curaſſauici.* De oleo cinnamomi ſponte, et aromate ſuo immutato, in ſal conuerſo, iam in philoſophicis tranſactionibus dictum, et a Cl. BOERHAAVIO repetitum eſt. Simile exemplum hic Noſter deſcribit, quo ex cortice mali aurei oleum poſſe elici, teſtatur, quod ſponte nulloque plane artis adminiculo, in genuinum ſalem abiit. P. 27.

Eſt autem huius ſalis indoles plane ſingularis, nec cum vllo profecto ſale cognito comparari poteſt. Semiuolatilis quidem eſt, atque hac ex parte cum ſale ammoniaco videtur conferri poſſe; habet praeterea tamen nullam, cum eo communionem. Sed eſſentialis ſui corticis, cuius aroma lingua ſentit, P. 34.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 95.
**) vid. l. c.

tit, ſali huic ineſſe videtur; caret tamen acrimonia, quae in oleo ſe prodit. Inde elucere Noſtro videtur, igneum illud, quod olea aromatica plus minusve continent, non ad aroma ipſum, ſed ad principium phlogiſton, quo inuoluitur, pertinere. Ac miratur profecto Cl. AUCTOR, in ſuo ſale, ex mero oleo nato, tam parum phlogiſti fuiſſe, vt alendo igni minus inſeruiuerit, quam ſaccharum.

p. 35. Variis de ſalis huius origine ſententiis allatis, hoc notat Cl. Auctor, oleum mali aurei recenter preſſum, excolor et fluidiſſimum, vetus illud fuſcum et balſami ad inſtar craſſum fuiſſe, facile alcohole vini et aqua ſolui potuiſſe, nec aqua turbidum redditum fuiſſe.

p. 36. 3) *De nuce aromatica, vulgo moſchata.* Nucibus his, aqua digeſtis, ac reiteratis vicibus deſtillatis, Noſter elicuit oleum aethereum, bene olens, ac communi plus minus volatile. Oleum enim huius nucis expreſſum, rectius Noſtro videtur butyrum appellari. Qua occaſione ſuccorum vegetantium pinguium, vt olea, fluida, balſama natiua, pices, butyra, cerae, concretiones camphoratae, et reſinae ſunt, reddit rationem.

p. 38. Ineſt huius nucis oleo deſtillato materies, camphoram referens tactu quidem, non tamen odore, quae ſeparata butyri ſimilitudinem prodit. Scatet haec materies aromate nucis, aqua non ſoluitur; alcohole autem vini facillime ſoluta, aquam affuſam ſine vlla turbatione fert. Prunis impoſita primum quidem ſuauem nuciſtae odorem ſpirauit; denique tamen butyrum, ſub cinere calido fumans, oluit. Butyrum igitur volatile nucis myriſticae dici poſſe, Noſter exiſtimat, ac miratur Cl. HOFFMANNUM, in obſeruationibus phyſico chemicis, hoc non attendiſſe. Quapropter quoque in eum locum, vbi ille de

de oleo deſtillato nuciſtae differit, breuiter eſt commentatus.

Hac a deſtillatione materie reſidua frigefacta, denſa in ſummo liquoris membrana conſpiciebatur, griſeo lutea, qua ſeparata et ſiccata, luteola quaſi adeps, friabilis, igne liquens, et inſtar ſeui animalis, male olens, omni prorſus aromate, tam quoad guſtum, quam quoad olfactum deſtituta. p. 39.

4) *De inſtrumento clyſmatico, ad fumum nicotianae in anum impellendum.* Cum conſtat fumum nicotianae per anum immiſſum, colicis ſpaſmodicis, hernioſis et aliis atque aliis morbis neruoſis, praecipue autem aquae merſis, valdopere conducere, inſtrumentum ſimplicius minuſque ſumtuoſum, quam Cll. SCHAEFFERI et HAEN, hic deſcribit. Conſtat folle communi eoque duplici vel compoſito, qui fortius, in et exſpirando fumum agitat. Cum vero ſine icone, quam Noſter addidit, vix perſpicue poſſit deſcribi, praeterimus hoc inſtrumentum, ac hoc vnicum addimus, nos ſimile, eidem vſui accommodatum, in Harlemenſibus commentariis *) vidiſſe. p. 45.

5) *Seminum piperis nigri examen.* Cum pleraque aromata non ſolum ſpiritu rectore, qui olfactum et guſtum afficit, ſed aliis etiam doſibus, inter ſe multum differant, Noſtro placuit inueſtigare, num grana piperis Indici prae caeteris ſingulare quid contineant? p. 55.

His ſeminibus itaque digeſtis primum, dein deſtillatis, oleum fere excolor recens, vetus tamen in aureum vergens colorem, totum fluidum, nec in p. 56.

 cam-

*) VIII. Deel II. St. p. 252. v. noſtr. Comm. vol. XVII. p. 139.

camphoram, nec in butyrum concreſcens, forti piperis odore ac ſapore quidem ſimili, blandiore tamen, nec tam diu linguae inhaerente, ac ſi piper maſticatur. Ex vna piperis libra, non vltra drachmas duas olei accepit. Quod ſi vero loco ſimplicis aquae deſtillatam huius olei adhibuit, tres ex libra drachmas olei nactus eſt. Ad libram vnam piperis contuſi, ſapida materia priuandam, debuit vltra quingentas et quinquaginta aquae libras impendere in coctionibus, et cuiusque coctionis liquor ad quadrageſimam uſque tanto erat acore, vt piperis ſaporem per plures horas lingua ſentiret.

p. 60. Cineres piperis ſalem fixum alcalinum, qui a Noſtro ſiccus appellatur, et aliquid ſalis continere, Noſtro videntur. Alcali fixum humens vegetabile certo non cognoſcere potuit, ob materiae paucitatem.

p. 63. Id, quod piperi ſaporem conciliat, tum ſpirituoſo, cum aquoſo ſoluitur menſtruo. Hoc difficile, illud non ſolum facilius, ſed et melius deprehenditur. Reſina itaque ineſſe videtur piperi, gummoſae ac inſipidae materiae immixta, cuius interuentu aqua ſoluit piperis ſemina. Nec minus inde explicat Noſter, cur tanta aquae copia, et tam crebrae coctiones requirantur, ad piper omni ſuo ſapore priuandum.

p. 67. Piper differt a ceteris omnibus Indicis aromatibus. Horum vis ignea, ſapida et ſimiliter odorata, tota eſt calore aquae ebullientis volatilis, huius e contrario fixa. Omnium horum olea eſſentialia particulas eas, quae guſtum et olfactum afficiunt, concentratas produnt; piperis oleum leniſſimum cernitur. Immerito igitur ſoli ſpiritui rectori, qui oleis eſſentialibus potiſſimum ineſt, odor ſaporque debetur.

Pipe-

Piperis oleum, ob eius lenitatem, non inter cale-facientia et ſanguinem exaeſtuantia eſſe referendum, nec ventriculo aeſtum conciliare; ſed potius inferre vim refrigerantem, quam et Indi piperi tribuunt, aſſerit Noſter.

6) Radix Indica, a IOANNE LOPEZ *denominata, praeſtantiſſimum ad alui profluuia remedium* Haec appellatur *rais di* IUAN LOPEZ ac commendatur ab Indis in alui profluuiis. Cuius effectum Cl. Auctor quoque ſalutarem inuenit, in fluxibus ventris fere omnibus, imo in diarrhoea colliquatiua tabe pulmonali affecti, ac hic exemplis confirmat. Alio atque alio modo eam propinauit aegris, optime autem in puluere ad drachmas duas. p. 78.

Eius arbor eſt incognita, item locus natalis. p. 88. Alii Goae indigenam eſſe perhibent, alii Malaccae inſulae propriam hanc arborem volunt. Radix, quam Noſter accepit, erat exſiccata, non vltra pollicem et minus craſſa, aridaque. Lignum erat albidum, perquam leue in minoribus ramulis aequabiliter compactum, in maioribus mollius, qua proxime ſubeſt cortici, atque ſpongioſum et albidius, medullam complectitur duriorem, denſiorem ex albo ſubrufam. Cortex rudis, rugoſus, fuſcus, mollis, quaſi tomentoſus, ſatis craſſus, tenui cuticula pallidiore extrinſecus obductus.

Balſamus reſinaue, nec in cortice, nec in ligno p. 90. erant. Odor nullus ſingularis neque ſapor. Aqua eius erat flaua et quodammodo amara; oleum eius, nec ſaporem, nec odorem prodebat, et ſalis eſſentialis portio erat tam parca, vt vix examinari poſſet.

Alcohol vini fuſco colore tingebatur, praeterea p. 91. nihil extrahebat. Aqua affuſſa turbabat liquorem, et materiam oleoſam indicabat. Spiritu hoc, deſtil-

lan-

lando abſtracto, ſupermanebat aliquid balſami ſimile, igne tumens, bulliens, ardens, ſaporis opio ſimilis, leuiter amaricantis. Vnde et vim huius medicamenti in ventris fluxibus, quaerit Noſter in facultate torpefaciente. Nam aliam vim huic radici non adſcribit.

p. 92. Cineres huius radicis erant albiſſimi, quibus elixatis, alcali fixum remanebat, cum pauxillo ſalis cibarii. Alcali fixum erat illius indolis, quod cum acido vitrioli ſalem mirabilem GLAUBERI exhiberet, natum forſan ex ſale cibario, per vim ignis ſuo acido priuato. Simaroubae anteferendam putat Noſter hanc radicem, eamque valentiorem iudicat. Praeterea ramulos radicis graciliores craſſioribus praefert, quod minus ſpongioſi, nec carie obnoxii ſunt.

p. 99. 7) *Camphora Europaea menthae piperitidis.* Non in omnibus plantis Europaeis, e quibus camphora elici fertur, camphoram ineſſe cum Cl. NEUMANNO aſſerit Noſter. E mentha autem piperitide veram camphoram deſtillando Noſter elicuit, quae odore, ſapore, volatilitate ad ignem, conſiſtentia fragili potius, quam molli, butyracea, veram camphorae indolem prodebat. Quamobrem thymum et mentham piperitidem ſolummodo inter plantas camphoriferas refert.

p. 104. Mentha vero piperitis debet maturrima eſſe, riteque exſiccata. Deſtillatione enim recentis peracta, aqua erat valde aromatica, olei aetherei multum, concretae camphorae nihil. Cuius aqua et oleum, per annum conſeruata, nihil camphorae oſtenderunt. Atque hoc quaerit in viriditate recentis plantae, indeque eueniſſe putat Cl. Auctor, vt nemo chemicorum de hac menthae ſpecie, cuius

vſus

vſus medicus per aliquot tempus inclaruit, aſſereret, camphoram ei ineſſe.

Plures in Indiae regionibus plantae campho- p. 106.
riferae creſcunt, inter quas arbor cinnanomaea Ceylanenſis principatum tenet, ex cuius radice vera camphora emanat, quae rarius ad vſum communem adhibetur, potius muſaeis curioſorum inſeruit. Duae autem ſunt camphorae ſpecies, communi vſui ab Indis dicatae, quarum vna eaque praeſtantiſſima eſt *Sumatrana*, altera pretio longe inferior *Iaponica*. Haec Indico commercio in Europam defertur, camphoraque rudis vel bruta dicitur, hodieque Amſtelaedami depurata, et in panes formata, venditur. Illa ad nos non peruenit, ſed ad Iaponenſes, et ab iis in vſum minime notum conuertitur.

Arbore, camphoram Sumatranam ſeu baros fe- p. 109.
rente, deſcripta, haec ei tribuitur indoles. Poſtquam nimirum per plures annos floruerit, in ramis ſponte fiſſurae apparent, e quibus liquor ſtillat oleoſus, qui appellatur camphora. Id quod indicat maturitatem, ideoque oleum hoc colligunt in vaſculis, ex Bamboes paratis, quo collecto, ritibus quibusdam ſuperſtitioſis praemiſſis, rami finduntur, et id, quod non exſtillare potuit, abraditur et colligitur. Tum hanc camphoram, in tres veluti ſpecies ſeparatam, ad Belgas deferunt venalem. Prima ſpecies dicitur Malaice *Pikkol*, *Copalla*, Luſitanis *Cabeſſa*, quod caput quaſi denotat; altera granis minoribus *Poeoret* Malaice, Luſitanis *Bariga*, quod ventrem ſignificat, ramenta tandem tertiae ſpeciei impura *Cacki* i. e. pedes, nominantur. Haec ad naturalem hiſtoriam camphorae pertinentia, ab amico Cl. Auctori ſunt tradita, atque hic inſerta.

8) *Luna fixata* LUDEMANNI. Qui erat ſu- p. 113.
tor, dein medicus aſtrologus ac chemicus, apud

Amſte-

Amſtelaedamenſes clarus, dum hoc arcano multos ſanauit. Erat puluis, quem, poſtquam examinauerat, ac flores zinci eſſe viderat Noſter, aegro permiſit, qui Noſtrum ideo conſuluerat, ſumere. Licet enim Noſter, nec quidquam de vſu interno florum zinci audiuerat atque legerat; tamen ex chemicis fundamentis iam dudum cognouerat, hos non eſſe cum arſenico comparandos.

p. 118. In morbis ſpaſmodicis profuit hic puluis, ideoque ſingularis ei tribuitur antiſpaſmodica vis. Epilepticos autem non iuuat. Inter multa exempla, ex quibus huius pulueris vis antiſpaſmodica eluceſcit, a Noſtro hic tradita, puellae decem annorum, inſigni neruorum debilitate affectae, et multis morbis neruoſis vexatae, mentionem faciamus, quae, omnibus propemodum antiſpaſmodicis remediis fruſtra adhibitis, hoc puluere prorſus ſanata eſt. Poſſit floribus zinci ſubſtitui nihilum album. Vtrumque autem raro pharmacopaei habent genuinum. Noſter itaque confecit flores ipſe, ex Indico zinco potius, quam ex germanico ac methodum ſuam hic addit. Acidum infringunt flores zinci, ac de externo eorum vſu in ophtahlmiis conſtat, eos adſtringere vaſa, indeque nimium affluxum humorum coercere. Quapropter infantibus, ob acidum primarum viarum conuulſis, vtilitatem attulit et, dentitione laborantibus plus flores praeſtiterunt, quam liquor cornu cerui ſuccinatus a SYDENHAMO laudatus. Granum integrum non ferebant, ſed vomitus excitabatur. Igitur per partes, et aliquoties de die, propinabat hoc remedium.

p. 124. *9) Nonnulla de oleo vitrioli.* Oleum vitrioli vulgo venale peregrinis rebus inquinatum eſt, a quibus nullo modo, niſi deſtillatione liberari poteſt. Quapropter eam commendat, et hic deſcribit facilem, ac minus periculoſam deſtillandi olei vitrioli methodum.

10) De

10) *De ſale ammoniaco Indico et borace quaedam.* p. 138.
Proprium habent Indi ammoniacum, ac quidem natiuum et factitium. In regione Napal, ad ſeptentrionem Pattenae ſita, locus eſt, cuius aquae ſpumam eructant, quae, in litore congeſta, aere areſcit, ac induratur, natiuumque exhibet boracem. Quod ſi vero haec ſpuma coquitur, ſal ammoniacum obtinetur. Cl. Auctor, cui hoc amicus tradidit, non intelligit, quomodo ex vna eademque materia, hi duo inter ſe plane diuerſi ſales educi queant? Putat igitur, coctionem ſaltem hic ſublimationem ſignificare debere. Vtut vero haec res ſeſe habeat, illud Noſtro, teſte amico, certum videtur, boracem ex illa regione ad Europam nauibus Indicae ſocietatis deferri, ac huius iconem in figura decima dedit. Hoc eſt natiuum Indorum ſal ammoniacum, iam de factitio videamus.

Hoc natiuo minus carum, ac facilius paratu, in p. 142.
eodem imperio Indoſtano habetur. Nimirum ex ſtercore humano, cui admiſcent vaccinum aliorumque animalium ſtercora, paratur, ita, vt, ſtraminibus interpoſitis, placentas in furno, lateribus coquendis deſtinato, vrant. Tum reperiuntur glebae ſalis ammoniaci (*Nouſadder*) ab incolis dicti, ac praeter vſus rei metallicae, ad pertinaces capitis dolores compeſcendos illud adhibetur bono cum ſucceſſu. Sumunt nimirum ſalis particulam piſi magnitudine, cum aequali pondere calcis viuae, quibus in tenuem puluiſculum tritis, hunc naribus attrahunt, et, humoribus prolectis, promptum ſentiunt leuamen.

Hae duae ſpecies ſalis ammoniaci, Noſtro miſſae, p. 143.
et ab eo examinatae, oſtenderunt naturam ſalis ammoniaci veram, nec inter ſe differunt, niſi quod factitium natiuo minus tranſpareat, impurius ac minus compactum videatur. Addit tandem et Ger-

Germanicum ſal ammoniacum, Aegyptiaco autem maiore pretio, ac putat Noſter, fuliginem vbique materiam dare, ammoniaco ſali parando idoneam.

XII.

Seltene und hoechſtmerckwürdige Wahrnehmung von einer ſamt den Kinde ausgefallenen Gebährmutter, nach einer neun monathlichen Schwangerſchaft, nebſt gehörig angewandter Geburtshülfe, wodurch Mutter und Kind beym Leben erhalten worden von WOLFGANG IACOB MÜLLNER. *Nurnberg bey George Peter Monath* 1771. 8. *m. K. Seiten* 32.

i. e.

Rara atque notatu digniſſima obſeruatio de deſcenſu vteri cum fetu etc. Auctore WOLFGANG IACOB MÜLLNER.

Auctoribus nominatis, qui partim prolapſum vteri affirmarunt, partim negarunt, Cl. Auctor exemplum commemorat, quod ſibi differre videtur quodammodo ab iis, quae in Auctoribus reperit. Bis omnino Noſtro data eſt occaſio procidentiam vteri obſeruandi. Primam obſeruationem inſeruit actis nouis naturae curioſorum *), alteram hic tradit. Erat deſcenſus vteri cum fetu, qui ſequebatur poſt dolorem inſolitum, in abdomine exortum tum, cum aegra ex profundo fonte hauriebat aquam. Repoſitio huius cum fieri nequiret, fomentationes ſuadebat, ac, doloribus ad partum apparentibus, et aquis ſiſtentibus, manum tumido collo vteri deſcendenti immittebat ſubinde, ac manu

*) Tom. II. p. 538.

manu fetus, qui collo vteri inerat, repoſita, verſioneque facta, partum Agripparum feliciter inſtituit, ita, vt vita fetus, licet breuis, et matris ſeruarentur. Fetus enim paulo poſt obiit. Secundinis ob adhaeſionem extractis, fomenta iterum applicabantur, ac repoſitio vteri ex voto Noſtro ſuccedebat, et adhibitis dein remediis, aegra ſanitati prorſus reſtituebatur.

Notatu dignum itaque Noſter iudicat hoc exemplum, quod cum aliis ſimilibus comparauit, ideo, quoniam in tam prolongato ac tumente vteri collo, vti ex addita figura patet, nulla opus fuit inciſione, ſed manu hic partus praeternaturalis abſolui potuit; dein, quoniam, ſitu fetus non naturali, verſionis ope partus Agripparum ita feliciter ſucceſſit, vt infantis vita atque matris, licet illius breuis erat, conſeruarentur; tandem, quod, ſecundinis ob abhaeſionem extractis, vterus reponebatur, et aegra priſtinam nanciſcebatur ſanitatem. p. 29.

Vteri deſcenſum ac polypum ita Noſter diſtinguit, vt polypi repoſitio prorſus fieri nequeat, cuius et tentamen quoque aegrae valde eſt dolorificum, vteri e contrario repoſitio facili negotio atque ſine vllis doloribus praeſtari poteſt. Polypo porro antecedit haemorrhagia, interdum et fluor albus. p. 30.

XIII.

Examen chemicum doctrinae Meyerianae de acido pingui, et Blackianae de aere fixo reſpectu calcis, auctore NICOLAO IOSEPHO IACQUIN, I. C. R. et A. Mai. in re metallurgica et monetaria a conſiliis etc. Vindobon. 1769. 8. pl. 6.

Acriter hoc libello impugnat Cl. IACQUIN, Blackianae cauſſae induſtrius defenſor, ſententiam Cl. MEIE-

Cl. MEIERI de acido pingui; quod ſumptum ipſi potius, quam probatum videtur. Contendit nimirum, calcareum crudum mutari in calcem viuam, neutiquam per ingreſſum acidi pinguis, ſed per egreſſum aeris fixi, igne excuſſi; calcemque viuam recrudeſcere, reddito aere, quem auidiſſime ob affinitatem attrahat; omniaque, tum calcis crudae, tum viuae phaenomena, interque haec cauſticos, quoque effectus, tum proprios viuae calci, tum ſalibus alcalinis mutuo datos, aeris abſentiae tribuit.

p. 17. Deuenit vero in hanc ſententiam ſuſcepta calcarei deſtillatione, in vaſis terreis valido igne peracta, haud bene, vt vult, a MEIERO neglecta. Vidit de calcarei crudi vnciis triginta duabus ſurgere aquae inſipidae, ſubodoratae, ſale alcalino volatili pauco praegnantis vncias circiter duas; adaucto vero igne expelli materiam elaſticam, quae, excepta lagenulis, excipulo roſtrato appenſis, ſolutiones in illis contentas acidas, alcalinas, metallicas non turbaret, purus igitur aer elaſticus eſſe videre-

p. 23. tur. Reſiduae in retorta glebae, penitus in viuam calcem mutatae, pondus erat vnciarum ſeptendecim, vt adeoque, ſi duae vnciae aquae egreſſae ſimul computentur, tredecim vnciae materiae iſtius elaſticae ſupra dictae calcarei portioni inhaeſerint.

p. 25. Quae quidem ingens aeris moles, volumen calcarei hoſpitis ſexcenties et quadragies ſexies ſuperans, ne mira videatur nimis, vindicatur ab Auctore enarratione breui doctrinae de aere fixo et elaſtico, corporibus inhaerente, quam hic repetere non licet.

p. 40. In alia deſtillatione, neque tamen ad aeris vſque eruptionem protracta, calcareus in retorta crudus remanſit; poſt egreſſum vero aeris, neque tamen omnis, interrupta fruſtula calcarei extus veram calcem viuam, intus crudam obtulerunt. Vnd

con

concludit Auctor, aeris abſentia fieri calcem viuam, minusque ponderoſam; faſſus, ſe non intelligere, cur acidum pingue, ſecundum MEIERUM largiter calcem ingrediens, pondus eius non augeat?

Vlterius vero confirmare ſatagit ſententiam p. 43. ſuam Noſter ex eo, quod, aere reddito, calx viua recrudeſcat, abſque vllius heterogenei egredientis documento. Viua enim calx, in atmoſphaera diu locata, rurſus cum acidis feruet, et deſtillata elaſticum vaporem dimittit, inſimulque reuiuificatur. Hinc, quum aqua calcem nonniſi viuam, crudam nunquam ſoluat, patere dicit cremoris in aqua calcis aeri expoſita geneſin; naſci nimirum cremorem, qui eadem offert cum crudo calcareo phaenomena, ex redeunte per attractionem in affinem calcem aere.

Sub aqua detenta calx viua manet, quia aqua p. 51. arcet aerem atmoſphaericum; cauſſam vero, cur calx aerem aquae elaſticum non in ſe trahat, reperire Cl. Auctor nullam potuit.

Si aer fixus, qui per efferueſcentiam commixti p. 55. ſpiritus nitri et ſalis tartari cum reſtituta elaſticitate puriſſimus excutitur, inque lagenulam, aquam calcis continentem, deriuatur: aut ſi in deſtillatione glebae calcareae fugiens in vaſculum, aqua calcis plenum, et exciPulo roſtrato alligatum, ingreditur, aqua calcis turbatur, cremor naſcitur, neque acidum pingue hic vllas edit praeſentiae ſuae notas.

Cauſticam indolem conciliare calcem ſalibus al- p. 61. calinis contendit Cl. Auctor, non addendo illis acidum pingue, ſed demendo illis aerem inhaerentem. Habet enim tum lapis cauſticus, tum ſpiritus ſalis ammoniaci cauſticus omnes alcalinorum dotes; vnica deeſt cum acidis efferueſcentia, quae nimirum ob aeris, a calce attracti, defectum fieri non poſſe videtur. Reddito vero per ſuperiores encheireſes p. 71.

aere, ſal vterque cauſticus mitior fit, cumque acidis rurſus feruet.

p. 75. Porro oſtendit Cl. IACQUINUS calcareum crudum ex ſale ammoniaco abigere alcali volatile, adeoque acidum pingue neutiquam eſſe illud, quod ſalem ammoniacum in ſuas reſoluat partes conſtituentes: aerem ad cryſtalliſationem facere plurimum, rationemque, cur ſal alcalinus, vrinae additus deſtillandae, expellat volatilem microcoſmici ſalis partem ſub forma ſolida, cauſticus ſub fluida, in eo latere, quod cauſticus attrahat aerem, ad cryſtallos neceſſarium.

XIV.

HENR. IO. NEPOMUC. CRANZ, S. C. A. mai. Conſil. Inſtitt. medd. et Mat. Med. P. P. O. etc. examinis chemici doctrinae Meyerianae de acido pingui, et Blackianae de aere fixo, reſpectu calcis rectificatio. Lipſ. impenſ. Io. Paul Kraus. A. MDCCLXX. 8. pl. 13¼.

Retorquet Cel. CRANZIUS Cl. IACQUINII tela, MEIERO infenſa in Auctorem, multoque cum ſale, facundia potenti, et numeroſis experimentis oſtendit, falſo poſtulari, MEIERUM negligentiae et ignorationis elenchi; contra vero Blackium eiuſque aſſeclas fingere, quae probari nequeant, male cohaereant, mutuo ſe tollant, ridiculaque confectaria inuoluant; celare et negligere, quae in ſuas trahere non poſſint partes, loqui saepiſſime multa alia, quam quae loquantur ipſorum experimenta; explicare facilia, et ne haec quidem recte; relinquere inexplicita, quae ſine MEIERI cauſtico exponi nequeant; diſſentire inter ſemetipſos, tueri denique opinionem, cuius ne verbulum quidem verum

verum ſit. Cuius quidem grauiſſimae reprehenſionis argumenta, quandoquidem cuncta, integro niſi libro deſcripto, tradi haud poſſunt, pauca modo paſſim delibata afferamus.

In efferueſcentia calcarei cum nitri acido, praeter fumum album aeremque, eiiciuntur quoque ſimul globuli acidi ſaporis, in faciem mordaces. Conclaue odore acidi repletur. p. 7.

MEIERUS non negauit aeris in calcareo multi praeſentiam; deſtillationem omiſit, vt nil noui docentem, vt fallentem magiſtram. p. 9.

Ad mentem Cl. IACQUINII deſtillans Noſter obtinuit phlegma limpidum, cum alcalinis quidem non feruens, ad linguam tamen et ſyrupum violarum acidum. Materies elaſtica copioſe erumpens, non habenda ſtatim eſt pro aere calcareo fixo, quum poſſit etiam eſſe aer aquae lapidi inhaerentis: aer cauſtico exturbatus, aut, quod videtur inprimis Cl. Auctori, aqua in vapores reſoluta; a vaſis vero candentibus auide abſumta. Vacillant ergo Iacquiniani calculi. p. 11.

Calcarei lapidis cum aere nulla eſt affinitas. Nil trahit ex atmoſphaera, nil ex mixturis efferueſcentibus, nec aerem trahere viſus eſt vnquam ſtalactiti, ex aqua ſepoſito, affatim inhaerens. p. 17.

Calx viua ſonora, et adſperſa aqua crepitans, aeris expers non videtur. Eius cum aqua affinitas, IACQUINIO neglecta, aerea euidentior eſt. Extincta in aere fatiſcit in puluerem, quod ab aere affini, conglutinante, vix expectares; cum aqua porro incaleſcit, datque ſpiritum cauſticum, ſecus ac in aqua extincta et dein ſiccata. Alcalina ſalia, multo aere referta, tamen edunt effectus cauſticos. p. 19. p. 24.

Ab aeris in calce viua abſentia non repeti poteſt explicatio ſibili calcis viuae, in aquam proiectae, neque efferueſcentiae cum bullulis, perperam p. 29.

 ab

ab aduerſariis negatae: neque inde pendere poteſt vis noxia, neruisque inimica fumi, emergentis, aut vaporis recentium murorum, neque ebullitio, ab adverſariis ſilentio praetermiſſa; omnium minime incaleſcentia, vicinarum rerum inflammabilium incendium et flamma. Neque patet exinde calcis viuae
p. 49. in aqua ſolubilitas, nec aquae calcis facultas ſoluendi ſulphur, camphoram, gummireſinas.

p. 53. Calx in aqua extincta, quam aere orbam volunt, madida ſeu ſicca, recens annoſaue fuerit, cum nitri acido tamen feruet.

p. 61. Ponit Cl. IACQUINIUS acida aeque, ac lixiuium ſalis cauſtici fixi, aere expertia, concreſcere tamen in ſalem medium. Is deberet idcirco itidem eſſe ſine aere, et per hypotheſin cauſticus. Eſt vero nec hoc, nec illud.

p. 78. Solutum in acido nitri calcareum, et lixiuio cauſtico fixo praecipitatum, in calcem viuam abire IACQUINIUS aſſeruerat, aere per efferueſcentiam expulſo. Quum vero calx iſta in aqua nec extinguatur, nec cum ſibilo ferueat, neque ebulliat, neque incaleſcat, aut inflammabilia accendat iocoſo nomine a Cl. Auctore dicitur calx viua frigida BLACKII, a calce viua cauſtica MEIERI probe diſtinguenda.

p. 109. Ad experimenta, quibus aer, efferueſcentia enatus, methodo Cl. MACBRIDII in cauſticos liquores intruditur, iisque cauſticam vim adimit, regerit Cl. Auctor: primo incertum eſſe, num iſti liquores vere careant aere, quum, ex qua obtinentur, calx viua per experimenta aerem habeat: dein fermentatione, putrefactione, efferueſcentia non merum aerem, ſed et alia expelli; dum calcareus cum acido nitri feruet, abripi vapores acidos, quos oſtendat odor, ſapor et nitrum regeneratum, quod adhaerebat vitro, oleo tartari illito, quum in ciſta bilocu-

lari

lari vapores hos coerceret, et ex vno loculamento in alterum, iſtud vitrum continens, abire Cl. Auctor cogeret. Porro obiicit, latere adhuc aeris elaſticum illud, et forte eſſe ex igne; male quoque ſupponi, nusquam probari, aerem ſalis tartari attrahi a calce, calcemque ſic impraegnatam praecipitari; denique non dici poſſe ſalia alcalina, aere a calce attracto priuata, propterea magis fieri cauſtica.

Enimvero experimentis euincit Cl. Auctor, calcem, alcalico ſali iunctam, inſidere lapidi cauſtico, lixivio cauſtico fixo, pulmento eius oleoque tartari ſupra calcem digeſto: indeque eſſe vim cauſticam, non a tranſitu aeris in calcem, vt pote ne argumenti quidem ſimulacro, nedum experimento comprobato. p. 127.

Salis alcalini volatilis cauſtici prouentus itidem non poteſt repeti ab aere, qui ex ſalis ammoniaci alcalina parte demigret in calcem viuam, quum ſal ammoniacus fixus, a deſtillatione reſiduus, nulla aeris attracti documenta in experimentis edat. p. 137.

Salia cauſtica neutra eſſe MEIERUS non dixit. Lapidem cauſticum ſcripſit in multis ſe gerere vt ſalem medium; ſalemque cauſticum volatilem iam ante MEIERI tempora BOERHAVIUS et alii vt neutrum conſiderarunt. p. 149.

Parum cohaeret BLACKII ſententia, quod aer fixus ſalibus alcalinis inſit et efferueſcentia expellatur, cum illa Cl. IACQUINII, ſalem cauſticum volatilem eſſe alcalinum; carere tamen aere, et in vniverſum efferueſcentiam eſſe alcalinorum minus neceſſariam notam. p. 151.

Ex HALESII experimentis euincitur, aerem inter et calcem viuam affinitatem eſſe nullam. Nil enim ſorpſit calx viua, per dies quadraginta quatuor aeri expoſita; aqua vero aceto, acido vitrioli etc. p. 164

 remi-

remixta aeris plurimum recepit. Per eiusdem tentamina ſal alcalinus fixus aerem non attrahit, ſed generat potius.

p. 173. In crucibulo exacte clauſo poſt octo horarum ignem validiſſimum calcareus non modo ſolus, ſed etiam calci viuae inſtratus, ſine vaſis et operculi laeſione, calce viua quoque non in calcareum mutata, in calcem viuam abiit. Cum ammoniaco ſale calx ita cocta fuit duriſſima, in aqua non ſolubilis, ſed, vt lapis cauſticus, flocculenta, violarum ſyrupum reddidit viridem, ab oleo tartari mutata non eſt, cum vitrioli oleo feruens emiſit fumos vrinoſos acerrimos, cum nitri acido magis acidos halitus, cum ſale ammoniaco odorem vrinoſum cauſticum.

p. 189. Imminuitur in aere libero cauſtici lixiuii vis cauſtica. Quod ſi ob aerem attractum fieret, redderetur ponderoſius. Cl. CRANZIUS contrarium vidit. Non igitur accedit aer, ſed ſecedit aliquid, quod, quum lixiuium, antea cum acidis non feruens, nunc efferueſcat, efferueſcentiam impediit.

p. 197. Idem comprobatur per experimenta de ſpiritu ſalis ammoniaci cauſtico, ad ſolitos effectus perfecte neutro, ſublato autem quauis ratione principio

p. 211. ignis cauſtico, rurſus mere alcalino. Odor certe eius acerrimus et volatilitas inſignis ex aeris abſentia explicari nullo modo poſſunt.

XV.

IOH. CHRISTIAN WIEGLEB, *Apothekers in Langenſalza Vertheidigung der Meyeriſchen Lehre vom acido pingui gegen verſchiedene darwieder gemachte Einwürfe. Altenburg in der Richteriſchen Buchhandlung*, 1770. 8. *Seit.* 115. *mit Zueignungsſchrift.*

h. e.

Doctrinae Meyerianae de acido pingui aduerſus varia, quibus oppugnatur, argumenta defenſio. Auctore Cl. WIEGLEB.

Viuentis adhuc Cl. MEIERI amicus mortuo iam eidem pie patrocinatur, libellique huius bipartiti prima ſectione Iacquinianis maxime; altera Cl. MICHAELIS FRID. BÖHMII reprehenſionibus, in diſſertatione *Examen acidi pinguis* inſcripta, et Argentorati ſub Cel. SPIELMANNO a 1769 defenſa, propoſitis reſpondet. Primum ergo oſtendere nititur, calcis viuae extinctionis phaenomena, ſolubilitatem in aqua, et deliqueſcentiam placidam in acidis: porro eiuſdem ex aqua praecipitationem, per aerem et alcalina ſalia factam, vim ſulphur ſoluendi, mercuriales ſolutiones praecipitandi, alcalinorum cauſticam indolem intendendi: dein de diuerſitatem, qua cauſtica ſalia quaedam in acidis ſoluta ad fundum deiiciant, alia intacta et ſoluta relinquant: denique vaporum ex cauſticis ſalibus et ſpiritibus cum acidis mixtis egreſſum, nec non tenacitatem formae fluidae, quam ſpiritus cauſticus offerat, etiam cum Alcohole mixtus, felicius longe et certius per Meieriana dogmata explicare poſſe, quam per Blackianam hypotheſin. Maximum argumentum in eo ponit, quod calcareus igni ſolari, aerem aquamque expellenti, expoſitus, tamen in calcem p. 16.

 viuam

viuam non abeat, ſed in merum fatiſcat puluerem
p. 17. inſipidum. Tectum cauſtici ad calcem acceſſum exemplo phlogiſti, non minus tecte, vere tamen metallicas calces intrantis, illuſtrat. Alia terrea, vt argilla, ſilices, vitrum cet. licet calcinatione priventur aqua et aere, calcis tamen indolem cauſticam non acquirunt, quia ſola calcarea terra in aci-
p. 23. dis ſolubilis eſt. Miratur, cur ſexcentis aquae partibus ſoluta calx viua non recrudeſcat, quum his omnino plus aeris ineſſe debeat, quam quinque ſalis alcalini vnciis, curque placida calcis viuae ſolutio in acido nitri caleat adeo, ſimili calcarei ſolu-
p. 28. tione impetuoſa non calente. In apparatu Magbridiano inſtituta calcis ex aqua praecipitatio contingit, acido pingui in aerem intermedium exeunte.
p. 31. Monet, non patere, cur ſulphur ab aqua calcis, aere carente et lixiuiis alcalinis, aere praegnantibus, aeque bene ſoluatur, neque cur vtraque ſolutum mercurium praecipitent, niſi MEIERUM ſequaris.
p. 47. Obtineri dicit ſalium alcalinorum cryſtalliſationem, demto ipſis extus adhaerente acido pingui.

p. 48. Cl. BOEHMIO regerit Auctor, acidum pingue non ita dictum eſſe ob id, quod pinguedines inde naſcantur: ſatis diſtinctum, nuſquam confuſum fuiſſe cum phlogiſto: calcaream terram ſine acidis in aqua non ſolui: nil valere exemplum aquarum, ſtalactitem ſeponentium, quippe quae vel acidum ſubtile habere poſſint, vel calcaream terram inquinantem quidem, ſed nec immixtam, nec ſolutam
p. 55. contineant: acidum volatile poſſe deferere ſolutam terram, quamuis fixa acida id non faciant: ad ſalis geneſin non ſufficere terrae et aquae laxius connubium, quale in aqua calcis viuae adeſſe videatur, accedere debere tertium tenuius principium: alcalina ſalia in praecipitatione aquae calcis non agere mecha-

mechanice, quum et ipſa mutentur in cauſtica, et ſalia pura media, nitrum, ſal commune, de SEIGNETTE et tartarus ſolubilis nil deiiciant: alcali cauſticum fixum poſſe tamen eſſe ſal, medio ſimile, licet acrius factum fuerit ab acido pingui, quum etiam boracis et tartari cryſtallorum miſturae ſapor acidus eminentior ſit: ſalinum calcis principium Cl. BOEHMIO alcalinum viſum, ob facilem ſcilicet cum alcalinis coniunctionem, tale eſſe non poſſe; neminem enim, qui velit alcali cuidam corpori inhaerens ſeparare, aliud alcali adiungere, cui prius adhaereat: ſpiritum ſalis ammoniaci cauſticum recte paratum, neque cum dilutis, neque cum concentratis acidis efferueſcere: cauſticum calcis poſſe eſſe acidum, etſi ſaponem non in modum acidorum craſſiorum disiicit: vocabulum *pingue*, quo cognominetur, aliter accipi, ac MEIERUS adhibuit. Tandem ſollicitatus cauſtici ad calcem acceſſus ex igne argumentis variis confirmatur. Adiunctae ſunt dubitationes quaedam de acido pingui Cl. Auctori, ab ignoto quodam per litteras miſſae, ad quas, vt non adeo graues, breuiter reſpondet. p. 71.

XVI. IOH.

XVI.

IOH. IAC. WELLS, *Apothekers in Wien, Rechtfertigung der Blackiſchen Lehre von der figirten Luft gegen die vom Herrn* WIEGLEB, *Apotheker in Langenſalza darwieder gemachten Einwürfe. Wien zu finden im Krauſiſchen Buchladen* 1771. 8*vo Seit.* 164. *ohne die Vorrede.*

h. e.

Vindiciae doctrinae Blackianae de aere fixo, adverſus Cl. WIEGLEBII argumenta contraria. Auctore Cl. WELL.

Ad priorem tantum Wieglebiani libelli partem Cl. Auctor reſpondet; eundem ſecutus doctrinae ordinem, quem ille offert.

p. 3. Ac primum quidem tentaminibus inſtitutis cognouit, calcareum crudum non ſolum in foco ſpeculi cauſtici in calcem viuam conuerti, ſed quoque globum vitreum cauum, aquae menſuris ſex repletum, ſpeculoque et foco interpoſitum calcis viuae geneſin non impediiſſe.
p. 16. Quum vnam libram calcarei in retorta, furno reuerberatorio impoſita, per octo horas torqueret igne, interque receptaculum et retortam quinque tubi intermedii, veſica humectata muniti, poſiti eſſent, in altero tubo vix calente ſedecim aquae ſcrupulos collectos inuenit, reliqui parum humiduli, receptaculum ſiccum fuere; calx in retorta viua.

p. 24. Ex lixiuio cauſtico, poſt ſaturationem, cum vitriolico acido factam, deſtillato, meram aquam inſipidam obtinuit, quae nec poſt concentrationem per frigus a MEIERO commendatum cauſticum ſapiebat.
p. 29. Phlogiſti exemplum reiicitur, quatenus ſcilicet in illo a probato ad nondum probatum perperam conclu-

cludatur. Terra aluminis et natri in acidis ſolubilis eſt; nec tamen in calcem mutari poteſt viuam, quum calcareae non ſit indolis.

Solutio perfecta calcis viuae in aquae ſexcentis partibus ſumta tantum, ſed non probata eſt. Dupla, immo quadrupla aquae copia calcem viuam, puriſſimam tamen non penitus ſoluit. Aeris in aqua contenti, vt atmoſphaerico aeri ſimilis, pondus exacte definiri nequit; atmoſphaericus aer vero tardius calcem viuam in calcareum conuertit. Terrae calcareae medium forte tenent locum inter terras et ſalia. Solutio calcis viuae recentis in acido nitri vulgari calet vehementer cum ebullitione; extincta plus minus calet, pro copia aquae, per quam extincta fuit. Calor naſcitur ab impetuoſo motu partium ſpiritus nitri aquearum, quae in calcem irruunt. Spiritus nitri fumans ſine calore exorto calci recenti affundi obſeruatus eſt, adiuncta vero aqua mixtum incaluit. p. 38. p. 59.

Praecipitatio calceae aquae, per aerem ex receſſu acidi pinguis in aerem tubi Macbridiani explicata, non ſatis oſtendit, quorſum illud ſe conferat principium, quod adeo antea efficax nunc plane iners quieſcit. p. 77.

Etiam borax tum aquam calcis, tum ſolutionem terrae calcareae acidam ſaturatam praecipitat. Ex tincalo tam cum creta pura, quam cum bolo albo, in aquae copia ſufficiente cocto, filtrato et euaporato obtinuit Cl. Auctor cryſtallos albas egregias, boraci ſimiles. p. 88.

Calcis viuae aqua ſulphur ſoluit, non quatenus calx viua aere orba eſt, ſed quatenus cum ſalibus alcalinis praeter alias conuenientias etiam hanc virtutem communem habet. p. 93.

Praecipitatio mercurialium ſolutionum non ab acido pingui, praecipitatum colorante, eſſe poteſt; p. 98.

quum

quum, praeter alia, ſodae cryſtalli puluerem ſpadiceum, lixiuium cauſticum pallide flauum, et ſpiritus ſalis ammoniaci cauſticus niueum deiiciat ex mercurii ſublimati ſolutione aquoſa.

p. 138. Vapores, quos ſalia cauſtica, acidis mixta, eructant mere aquoſi ſunt. Acidum pingue diſponere ſalia ad fluiditatem, non ſatis probatum eſſe, a WIEGLEBIO oſtenditur.

XVII.

Chymiſche Verſuche über das Meyeriſche acidum pingue von D. WILLH. HEINR. SEBAST. BUCHOLZ, *ordentlichen ausübenden Arzte zu Weimar, der Kayſerl. Akademie der Naturforſcher, der Königl. Preuſs. Geſellſchaft zum Nutzen der Wiſſenſchaften zu Frankfurth an der Oder, und der Churbayeriſchen Akademie der Wiſſenſchaften zu München Mitgliede. Weimar bey Carl Ludolf Hoffmann.* 1771. 8*vo Seit.* 96 *nebſt Vorrede.*

h. e.

Tentamina chemica circa acidum pingue Meyerianum. Auctore Cl. BUCHOLZ M. D. etc.

Adiungimus hucuſque a nobis indicatis libris, Cl. MEIERI hypotheſin cum propugnantibus, tum oppugnantibus, ob affine argumentum, haec Cl. BUCHOLZII tentamina, ex quibus quidem apparet, Auctorem aliam longe de cauſtici natura fouere ſententiam, quam vel Cl. MEIERUS, quem maximi facit, humaniterque excuſat, vel eius aduerſarii, quorum induſtriam haud quaquam reprobat. Contendit nimirum, calcareas terras, dum calcinantur, con-

contrahere indolem cauſticam, nec acceſſu peregrini principii ex igne vulgari, nec receſſu ſolo materiarum, quae inter vſtulandum aufugiunt; ſed facta potius, poſt earum abitum, intimiori materiae luminis, ob phlogiſton, quod calcareis inſit, certo praeſentis, cum terreis moleculis coniunctione. Quam quidem ſententiam profert, poſtquam enarrauit varia ſua cum calce tum cruda, tum viua, huiusque praeparatis experimenta. p. 71.

Ex commixtione vnciarum duarum olei iuniperini et ſalis cauſtici Cl. MEIERI aliquamdiu digeſta, dein deſtillata, obtinuit aquae dimidiam vnciam, olei ſubtiliſſimi gratioris vnam, reſiduum reſinoſum nucem myriſticam redolens; camphorae vero ne tunc quidem quicquam, cum reſiduum illud reſinoſum oleumque, deſtillatione prolectum, ſuper calce p. 27. viua abſtraheret. E contra, cum miſceret roriſmarini oleum cum ſale cauſtico, deſtillando elicuit camphorae verae grana triginta quinque: plus ergo, quam MEIERUS impetrauerat. Plura de cauſtici relatione ad olea therebinthinae, rutae et aniſi in proxime edendo libello propoſiturum ſe eſſe, ſpondet.

Calcareum lapidem, cretam, et oſtracodermata p. 39. ope ſpeculi cauſtici aeque, ac Cl. WELLIUS in calcem viuam perfectam commutauit, indeque aquas calcis confecit, vulgari exacte ſimiles. Erat tamen cretaceae ſapor ſubamarus.

Repetiit Cl. MARGGRAVII laborem circa lapides p. 60. phoſphoreſcentes; neque tamen, fidus licet vbique operationis imitator, phoſphoreſcentiae phaenomenon obſeruare potuit. Ex his vero tentaminibus cognouit, terras calcareas, phlogiſto ſuo orbatas, aegre aut plane non cauſticas reddi poſſe.

Vltimo de mercurio praecipitato rubro diſputat, p. 84. cuius ruborem Cl. WIEGLEB tribuit acido pingui; ab acido nitri certe non eſt, cuius adhaerentis

nulla

nulla obueniunt in vllo examine veſtigia. Auctori noſtro contigit, hydrargyrum, acido nitri ſolutum, dein ad ſiccitatem euaporatum, ope ſpeculi cauſtici in aeque rubentem maſſam commutare, quam eſt vulgari methodo paratus mercurius praecipitatus ruber.

XVIII.

De corpore nutritiuo et de nutritione, tentamen chymico medicum. Auctore PETRO THOUVENEL, L. A. magiſtro pro prima Apollinari laurea conſequenda, in Auguſtiſſimo Luduviceo medico Monspelienſi, menſe aprili 1770 propugnatum. Piſcenis ex typis I. Duret 1770. 4 mai. Alph. 1. pl. 8,

Libellum hunc, licet bono et eleganti ſtylo ſeſe non commendet, ob rerum tamen, experimentorumque copiam ab viris doctis haud inique exceptum iri praeuidemus. In ſummam eius, ne longi
p. 2. ſimus, liceat nobis inquirere. De corpore itaque nutritiuo Noſter acturus corporis nutrientis nutriendique compoſitionem haud diſſimilem eſſe, a priore et poſteriore probat, cuius tandem proxima, chemice conſiderata, principia in moleculis muci, per varios gradus mutati, integrantibus inuenies. Muci vero duas varietates Cl. Auctor attendit, vel eum non concreſcere, vel certo caloris gradu coire: hunc albuminoſum, illum gelatinoſum appellat: illum in animalibus ſenioribus; hunc in iunioribus vtplurimum inueniri; ſed praeterea tertiam in ſanguine extra corpus concreſcibilem partem inuenit, quam lympham dicit. Gelatinoſi ad albuminoſum tranſitum *animaliſationem* vocat, quae vel vitalis eſt, vel putreſcens,
p. 5. diſſolutiua. Albumen ouorum a ſero animali

(*lympha*)

(*lympha*) in eo differt, quod illud maiori coeundi virtute gaudeat, hoc minori. Ex variis experimentis, cum albumine et ſero animali ope acidorum inſtitutis, concludit Noſter, mucum animalem non concreſcibilem a concreſcibili, acidis, differre: animaliſationis itaque conditionem eſſe, acidum ingeſtorum ſubigendi. Succi enim, dum animaliſantur, aptiores ad organiſationem fiunt, vt adeo albuminoſa muci animalis conditio inter gelatinam, et partes, organiſationem ſuſcipientes, vel iam ſusceptas, media videatur. Deriuat ex eiusmodi organiſationis defectu, eam imperfectam in rhachiticis et ſcrophuloſis, quam duplici modo ab acidis vitiari demonſtrat. p. 6.

Iam in indolem ſanguinis ſtudioſius inquirens, baſin mucoſam, materiam colorantem rubram, volatile quoddam principium cum calente ſenſibili, eaque in copioſo latice aquoſo diſſoluta vel confuſa detexit. In ſanguine, ex vena miſſo, et quidem parte eius ſeroſa, praeter albumen coagulandum, maximam copiam aquae ſimplicis, et mucoſi quid, filum ducens, nec tamen in albuminis modum coagulabile inuenit *). Proportio interim albuminoſae partis ad aquoſam varia eſt, prouti et ex muci huius varia quantitate conſiſtentia varia; interdum enim ſerum per filtra poteſt traiici, interdum non. Quod vel ex intima muci craſi, molecularumque conſtituentium peculiari miſcela deriuandum; vel vario frigoris gradui attribuendum Noſtro videtur. Salem in ſubſtantia, etſi ſalſedinem in ſanguine deguſtauerit, nulla prorſus encheireſi producere potuit. Sanguis, in regimine temperato ſeruatus, aeri patens, vel recte coopertus, abſque vlla ſenſibili p. 8. p. 13.

*) Conf. Ill. ab HALLER prim. lin. phyſ. p. 76.

bili differentia, temporis ratione, denſitatis, coloris cet. coaleſcit: hinc coagulum ſanguinis, omiſſis aliorum diſſenſu et experimentis, ex muci concretione, quae calore perficitur, deriuat, cuius productum ſciſſile, album a menſtruo, cui inhaeſit, ſegregatum, nullo vero remedio ſolui contendit.
p. 14. Placenta, affuſa aqua, reiteratis vicibus abluta, totam partem rubram aufferri, nihilque, niſi maſſam albeſcentem, ab omnibus ferme fibroſam, a Noſtro autem celluloſo reticularem dictam, relinqui vidit, ideo fibrilloſum ſanguinis ad figmenta refert. Aquo-
p. 17. ſa cruoris ſolutio, ex ſiccata placenta proueniens, cum oleo terebinthinae commixta fundum petit: ab oleo ſegregata: haec poſt aliquot dies colorem rubicundum amittens, nunc in pultem albidam, mucoſo terream, ſub qua oleum detinetur, mutata in aqua bulliente concreſcere incipit; nec in corpus firmum cohaerens, albuminis ad inſtar, ſed mox in grumos, mucoſo terreos, friabiles abiens. Martem ex coagulo non, nec ex lixiuio ſanguinis nitrum, ſed ſal potius alcali fixum extricauit. Cru-
p. 19. ſtam pleuriticam, cum ſalibus mediis, aut alcalinis fixis coniunctam, per 40 dies nec diſſolutam, nec
p. 23. putrefactam obſeruauit. Cl. VENEL aſſentitur, qui coagulum ſuccorum albuminoſorum ad gradum centeſimum duodequadrageſimum therm. Cl. FAREN-
p. 26. HEIT ponit. Coagulatio lactis, alcali adiecto, vulgo probata, non aeque manifeſta videtur Noſtro, quam quae acidis fit; aliquam tamen conſpiſſationem, grumorum ad inſtar, a mixtura alcalina inductam
p. 31. vidit. Ex conſectariis, quae de puris geneſi inſerit, apparet, eam mucoſae animalium ſuccorum indoli, in coagulum pronae, ortum debere; cruſtam vero pleuriticam, et baſin placentae ex ſucco albuminoſo conſtare; eius tamen in cruſtam et placentam immutationem, non coagulationem, vel congelatio-

latio-

lationem, ſed veram concretionem ſpontaneam eſſe, vti in polypis cet. vt itaque id, quod partem albuminoſam ſanguinis, eiuſque procliuitatem ad ſpontaneam concretionem auget, vel imminuit, varietates cruſtae exhibeat.

Accedens ad alterum ſanguinis colorans principium, rubrum ſanguinis colorem, vtpote accidentalem craſeos ſanguineae habitum, ſeu globulorum ſanguinis elementarium, variorum ordinum adunationis productum, non a marte, nec a bile tingente, ſed a ſubſtantia mucoſa, cui accreuerit phlogiſton, ex materia phoſphorica, caloris animalis principio deſtructa, Noſter deriuat; martem vero ad colorem eius obſcuriorem non parum adferre, ipſi probabile eſt. p. 44.

Volatile tandem principium, quod variis denominationibus inſignitur, calido innato veterum non abſimile videtur, idque omnes corporis viuentis partes penetrare, et in intimam animalium ſubſtantiam abire, ex obſeruationibus multis conſtat; origo eius tamen atque indoles vix definiri poterunt. Adiungit quoque duo principia, quae ad ſanguinis conformationem velint neceſſaria auctores, aerem nimirum, et acidum: illum omnino fixum aſſumit, diuerſum tamen ab eo, qui aliis liquoribus admixtus eſt; hoc vero in ſtatu ſano non agnoſcit. p. 51. p. 55.

Iam ad ſuccos ſecundarios perueniens in ſaponaceos, ſaliuam, ſuccum pancreaticum, liquorem gaſtricum cet. eorumque vſum commentatur. Bilem ex mixtione muci cum oleo componi defendere videtur. Chylum non cum Boerhaauianis in varias figuras formaſque decomponi, nec in varias vaſorum ſanguiferorum ramificationes deponi; ſed re- p. 57.

ctius, vt nobis videtur, textus cellularis varii cum recentioribus rationem habet, quo varie mutatus, meliusque elaboratus ſecretionibus nutritiis copiam
p. 70. exhibeat. Inde ſponte ad lactis ſecretionem ducitur, quam immediate ex chylo, varias ſecretiones depuratorias perpeſſo, meliusque praeparato, deriuat, probatque hoc ex comparatione lactis cum chylo, cum lac, affuſione acidorum ſtatim coaguletur; in chylo vero materiae tantummodo cretaceae, a caſeoſa diuerſae, praecipitatio obſeruetur: vnde conſtet, lac ad naturam animalem magis, quam chylum accedere, eumque omnem ſubſtantiam lactis, particulis tamen peregrinis commixtam, in ſe con-
p. 76. tinere. Lactis varietates ratione indolis et conſtitutionis cum Cl. RANG perſequitur; neque minus in eius in corpore humano corruptiones, acidas, mucoſas ſeu glutinoſas, et rancidas inquirit, aquamque calcis, quae eius corruptionem emendet, ſuadet. Lac, tanquam emulſio animalis ab emulſionibus vegetabilibus in eo differt, quod principio
p. 80. ſulphureo foetente praeditum ſit. Lacti analoga videtur oui vitelli compoſitio, quam lac gallinaceum, aqua dilutum, vtramque vero lactis ſpeciem, emulſionem animalem dicit; in quo vero oui vitellus a lacte diſcrepet, vlterius perſequitur.

p. 84. Nunc decocta carnium pertractans, iuſcula nimirum et gelatinas, duplicem in carne mucum, concreſcibilem, et qui non coeat, Noſter defendit: Succus enim, ex carne expreſſus, in aqua bulliente immiſſus, diſſoluitur partim, partim coaleſcit, Piſces marini maiorem quantitatem eiuſmodi extracti, valde viſcoſi et glutinoſi; minorem carnes animalium, et his minorem piſces fluuiatiles, quamuis ab animalibus ex indole parum diſcrepantes, exhibent:
p. 86. Exſanguia animalia gelatinae nihil habere aſſerit.

Experi-

Experimenta, a Noſtro inſtituta, teſtantur, iuſcula alia aliis magis ad putredinem prona eſſe: pendere hoc a materia calcarea, plus minus in iis contenta; exinde concludit, calcem recentem, conchas, teſtas cet. iuſte calcinatas, putredini ſuccorum animalium reſiſtere. Non poſſumus non Cl. Auctori in eo plaudere, quod, contra Gallorum conſuetudinem, iuſcula carnium, ad putredinem procliuia, fibrisque noxia declaret. p. 88.

Iam ad principium nutriens, ex regno vegetabili depromptum, ad mucilaginem, cum ſubſtantia ſaponacea coniunctam progreditur. Hoc vero principium ex triplici facie conſiderat 1) ex corpore mucoſo dulci, 2) fatuo, et 3) farinaceo. Primum in plurimis plantis, et in omnibus earum partibus latens, nullibi perfecte purum et ſolum, ſed ſemper a principio mucilaginei, vnguinoſo ſaponacei, terrei vel etiam quandoque reſinoſi inuolutum deprehenditur, quod tandem, iuſta encheireſi tractatum, ſacchari nomine venit, in cuius virtutes iam fuſius commentatur. p. 95.

Alterum ab eo ita differt, vt 1) ſapore fatuo 2) inſigni viſcoſitate ſe prodat, 3) vt non in oleis pinguibus, nec in aethereis, vel accedente digeſtione, gummi ſoluatur, ſed induretur, et maiore ignis gradu nigreſcat, 4) vt tandem ſpiritu vini, vel etiam digeſtione diſſolui nequeat; ſed tantummodo coloris principium, in quibusdam gummi ſpeciebus ſatis abundans, extrahatur. p. 106.

Tertium, etſi multa cum prioribus communia habeat, ſeorſim pertractat, 1) quod ab iisdem ſub quibusdam conditionibus differat, 2) quia in quibusdam farinaceae indolis corporibus differentias p. 109.

 haud

haud exiguas prodit. Principium huius nutriens in mucoſo, ex ſubſtantia puluerulenta et aquae admixtione oriundo, poſitum eſt, quod deinde varias mutationes praeparationeſque ſubit: Refert huc cerealia, legumina, radices bulboſas, medullas arborum, caſtaneas, hippocaſtana, aliosque fructus pulpoſo farinaceos; ſemina vero oleoſae indolis ex hac familia, contra Cel. BOERHAAVE prorſus proſcri-
p. 111. bit. Eminet inter ea triticum, hoc principio ditiſſimum. Duplicem in eo inuenit Noſter ſubſtantiam, glutinoſam ſcilicet, et amylaceam, quarum proportio tamen ad ſe inuicem variat. Obſeruauit enim in hyberno tritico, et quidem Narbonnenſi, vtpote optimo, tres fere partes glutinoſi, et vnam amylacei. Hoc glutinoſum principium cum ſuccis animalium concreſcibilibus ſeu albuminoſis conuenire, ſupra demonſtrauit, et hic vlterius probat. Iam ad
p. 116. tritici reliquorumque cerealium, vel quae farinoſum plus minuſue in ſe contineant principium, vſum et praeparationem, quibus iis veſci ſolemus,
p. 122. accedit. Tandem vegetabilium ſucculentorum, radicum pulpoſarum, fructuum horaeorum olerumque examen inſtituit, eorumque principio nutriente, vario in variis, detecto, iuſtum vſum ad nutritionem adplicat.

XIX. Hiſtoi-

XIX.

Hiſtoire naturelle générale et particulière, avec la deſcription du cabinet du Roi. Tome XVI. ou hiſtoire naturelle des oiſeaux Tom. I. à Paris de l'imprimerie royale 1770. 4 mai. 2 Alph. 17 pl. tab. aen. 29 Tom. XVII. ou Tome II. 1771. 3 Alph. tab. aen. 28.

i. e.

Hiſtoria naturalis generalis et particularis vna cum deſcriptione muſei regii Tom. XVI. et XVII, ſiue hiſtoriae auium Tom. I et II.

Si alio vllo merito poteſt gloriari ſeculum noſtrum, velut certiſſimo artis ſtudiique creſcentis ſpecimine inſigni; illud certe in eorum numero habendum erit Ill. DE BUFFON opus, cuius continuationem nunc indicamus. Prodierunt autem inde ab anno 1749 quindecim eius volumina, de quibus fere ſingulis ad lectores noſtros relatum a nobis eſt *): et quae omnia, excepta ſola anatomia animalium et deſcriptione muſei Regis Galliae ſpeciali, quarum Auctor Cel. D' AUBENTON eſt, Ill. DE BUFFON debentur. Fuerat quidem primum Auctorum conſilium tantum hoc, vt quindecim modo volumina prodirent, quibus omnium corporum naturalium hiſtoria comprehenderetur, et introductioni in totum opus, ſimul cum hominis et quadrupedum hiſtoria, quatuor tantum volumina deſtinata relinquerentur. Verum ita ſuccreuerat inter elaborandum rerum dicendarum copia, vt, qui vniuerſo operi deſtinatus fuerat, quindecim voluminum numerus, vix quadru-

*) Vol. IV. vid. com. Vol. III. p. 316. etc.

pedum hiſtoriae, praemiſſa tamen introductione generali, ſufficeret. Nemo non admirabitur nobiscum regiam liberalitatem, qua ita ſuffulta eſt Ill. DE BUFFON et D' AUBENTON induſtria, vt zoologiae ſtudium, immortali hoc opere nunc egregie ornatum, videre liceat, et perfecta demum magni operis parte Ill. DE BUFFON iam ad auium hiſtoriam accedere potuerit. Qui progreſſus, vti iucundiſſimus non poteſt non eſſe omnibus, qui naturae ſtudium amant, ita optandum quoque eſt, vt ſi non omnem corporum naturalium hiſtoriam, tamen zoologiam ſaltem, aut ornithologiam ad finem perducere Auctori Ill. et placeat et contingat.

Vt autem de ipſius huius hiſtoriae auium prioribus voluminibus dicamus, hoc praemonendum videtur, in ea explicanda Cel. BUFFON, qui omnem huius operis curam nunc ſolus ſuſcepit, non omnino eandem rationem atque ordinem ſeruaſſe, quem in quadrupedum hiſtoria conſcribenda tenuerat, Si quidem primum in hac ornithologia auium diſſectiones deſiderantur, ſi ea excipias, quae paſſim ex aliis Auctoribus adducuntur, quum tamen in quadrupedum hiſtoria tales, ſtudio Cl. D' AUBENTON factae, magno numero reperirentur. Deinde omiſſa quoque eſt in hac ornithologia eorum corporum naturalium, quae in regio muſeo aſſeruantur, enumeratio; qualem in priori opere ſingulorum animalium hiſtoriae annexam videmus. Atque in vniuerſum auium hiſtoria non aeque completa atque omnibus numeris abſoluta deprehenditur, quam quadrupedum hiſtoria antehac tradita erat. Cuius tamen conſilii et inſtituti mutatio, ab Ill. Auctore excuſatur ſic, vt doceat, ornithologiam nullo modo eadem, qua in quadrupedum hiſtoria factum erat, ratione tradi poſſe. Cauſſae ſunt hae: primo, quia nume-

numerus auium, longe maior eſt quadrupedum numero, quippe qui facile, ex Auctoris Ill. mente, ad 1500 vel 2000 ſpecies adſcendat. Ad quod accedit ſpecierum varietas, quae in auium generibus longe maior eſt, quam in quadrupedibus. Etenim non ſexus modo atque aetas, verum etiam clima, libertas vel captiuitas etc. efficiunt, vt colores, a quibus fere ſemper ſpecierum characteres petuntur, vehementer differant. His omnibus maior fere eſt difficultas verbis commodis exprimendi colorum differentiam, quod negotium tam arduum viſum eſt ipſi Auctori Ill., vt ipſe eam rem in hoc opere explicare non auderet. Quapropter illud vnum relictum eſt, vt auium figurae aeri inciſae et viuis coloribus diſtinctae ederentur. Qua in re ſculptore et delineatore vtitur egregio artifice Cl. MARTINET. Totius autem operis, in quo perficiendo octuaginta fere operarii per ſeptem annos iam iam laborarunt, directionem Cl. D' AUBENTON iunior in ſe ſuſcepit. Prodierunt iam aliquot dicti operis volumina, quae cum ſeorſim per ſe ſingulare quaſi opus conſtituant, cuius forma ſeu magnitudo formam ornithologiae, de qua hic agimus, ſuperat, alibi de illis dicendi erit locus *). Sufficiat interea hoc notaſſe, figurarum elegantiam EDWARDI operi nihil cedere, FRITSCHII figuras longe ſuperare. Ex Cl. DE BUFFON conſilio ad 700 tabulas comprehendet, in quibus 800 vel 900 aues delineatae conſpicientur. Cum vero numerus exemplorum picturarum non tantus confici potuerit, quantus hiſtoriae auium forma quarta impreſſae, huic quoque tabulas aeneas Auctor addi curauit, in quibus ſingulorum generum aliquot ſaltem ſpecies delineatae cernuntur.

*) Ad 24 iam faſciculi prodierunt, qui 600 circiter tabulas comprehendunt.

Sed redeamus ad ipſam auium hiſtoriam. In qua recte ſcribenda difficultatem vehementer auget ipſius ornithologiae, qualis adhuc eſt, conditio. Longe enim iſta vel nunc ab eo remota eſt, quod perfectionem diſciplinae dixeris, ſiue nomenclaturam, ſiue deſcriptiones, ſiue ea, quae de vitae morumque ratione in auibus nobis cognita ſunt, ſpectes, quod, vel notiſſimum communis hirundinis exemplum probare poteſt, de qua, vtrum ſub aquis hyemali tempore ſopita iaceat, an ad calidiores regiones migret, ad hunc vſque diem ignoratur. Interim experimenta a Cl, DE BUFFON inſtituta docent, *hirundinem vrbicam* frigoris vi facile perire. Atque ſunt plurimi, qui pro migratione pugnant, Auctores fide digni, inter quos teſtis oculatus commemoratur Cl. ADANSON, qui hirundines noſtri hyemis tempore in iſtis calidioribus regionibus vidit. Nihilominus tamen multi contra alii, ex aquis hyeme extractas ſe vidiſſe hirundines contendunt. Suſpicatur itaque Ill. Auctor *hirundinem vrbicam* ad calidiores regiones tranſire, *ripariam* vero (*le petit martinet*), vt varia alia animalia, hyemali tempore ſopitam quaſi ſepultamque cubare *). Quae aliaque hic adducta ſententiarum diſſidia Cl. BUFFON mouerunt, vt in noua operis parte non ſingulas, vti in quadrupedibus factum eſt, ſpecies auium pertractaret atque recenſeret, ſed de generibus tantum in vniverſum ageret, addita tamen breui ſingularum ſpecierum deſcriptione, vna cum nominum catalogo. Domeſticae vero, quae dicuntur aues, atque ſpecies illae, in quibus peculiare aliquid notandum erat, ſeorſim deſcribuntur.

Acce-

*) Conf. Phil. Tranſact. Vol. LIII. p. 101. Comment. noſtr. Vol. XIII. p. 667.

Accedimus ad praemiſſum operi *ſermonem de auium natura in vniuerſum.* In ea explicanda ita verſatus eſt Ill. Auctor, vt ſenſus ſingulos, qui in auibus animaduerti poſſunt, pertractaret, deque eorum praeſtantia atque conditione iudicet, ex comparatione ſenſuum eorundem in homine et quadrupedibus. Viſus primo, in vniuerſum ſpectatus, viuidior, longius penetrans, clarior et diſtinctior in auibus eſt, quam in homine. Oculi ſtructura, in auibus magis compoſita, deprehenditur. Habent enim *nictitantem membranam* et neruum opticum in nouam quandam membranam expanſum, qualis in quadrupedibus non eſt *). Porro auget viſus praeſtantiam etiam magnitudo oculorum; quae in auibus, ſi cum reliquo corpuſculi modulo comparaueris, fere nimia videtur, certe longe maior eſt, quam in reliquis animalibus. Praeſtat iſtud naturae benificium vſum ipſis hunc, vt res quaſcunque quae obiiciuntur oculis, maiore quamuis diſtantia poſitas, diſtinguere valeant. Quod vel ob velocitatem volatus, vel ob altitudinem, qua in aere alis ſuis adſcendunt neceſſarium eſt. Haec enim volatus altitudo tanta eſt, vt aquila a planitie ad 17000 vel 18000 pedum altitudinem eleuetur. Varietates aeris et eius mutationes maiorem habent in auium corpora vim, ita vt tempeſtatum mutationes quodammodo praedicere poſſint, coganturque et ipſae ob imminentes mutationes coeli, et quoniam cognitio ipſis data eſt de aliis terris et climatibus, de vno loco in alterum transvolare et migrare. Praeſtant quoque aues auditu, vnde vere vocis iſta elegantia eiuſdemque modulatio, qua aues canorae ipſae quaſi delectari videntur. Ipſa vox fortior

p. 1.

p. 10.

*) Vide de his Cl. PETIT in *Mém. de Paris* 1735. p. 144. ſeq.

fortior eſt aliorum animalium clamoribus aut rugitu. Audiuntur enim vel mirabili maxime altitudine remotae, ita vt oculis conſpici ſaepe amplius non poſſint. Quod eo magis mirandum eſt, quo certius compertum habemus, non modo diſtantiam loci, verum multo magis aeris raritatem maiorem longe in ſono edendo vim requirere. Vnde collegit Noſter, vim vocis in auibus, ad vim eiusdem in quadrupedibus ſeſe habere, vti 4 ad 5. Hoc quoque praeterea notatu dignum eſt, aues calidiorum regionum plerasque, vti colorum elegantia noſtrarum terrarum aues longe ſuperant, ita iis ſuauitate vocis cedere et raucos, vt plurimum, atque ingratos ſonos edere. Mutant vocem aues canorae, vt ceteras praetermittamus rationes, pro vario, quo agitantur, affectu: anni quouis tempore; ſi quidem iſta auium vox ab inſtinctu et amore in alterum ſexum aeque deprehenditur pendere, ac in hominibus pubertas ſolet mutationem vocis efficere. Superant item auiculae quadrupeda et hominem vi prolifica, quae inprimis in auibus ex gallinarum ordine et domeſticis inſignis eſt. Summa porro atque incredibilis fere eſt auium velocitas, quae forma totius corporis ad volatum fabrefacti et leuitate eius efficitur. Oſſa in auibus leuiſſima ſunt. A qua oſſium leuitate et peculiari ſtructura Cl. Auctor longaeuitatem auium deducit; licet enim celerius incrementi terminum attingant, quadrupeda tamen ceteris paribus vitae duratione longe ſuperant. Sequitur de nutritione et viuendi ratione diuerſorum ordinum, in quos auium claſſis diſtingui ſolet, diſquiſitio, ex qua patet, illos cum mammalium ordinibus ita conuenire vt v. c. accipitres feris, gallinae peco-
p. 39. ribus ſimiles ſint. Aues quaeque vix vllam maſticationem exercent, neque guſtu pollent, cum ſaepius venenatas res cibi loco ſumant. Saepiſſime omni

omni ciborum genere promiſcue vtuntur, ita vt graniferae v. c. etiam carne veſcantur. Lapidibus ſimul cum cibis deglutitis, digeſtio in ventriculo per triturationem quaſi peragitur. Quod de guſtu auium diximus, idem de odoratus quoque ſenſu valet, qui longe minor in iis, quam in quadrupedibus eſt: quod vel ex organi odoratus comparatione declaratur. Oſſa enim ſpongioſa et narium cauitas, nerui olfactorii, imo ipſae narium aperturae longe minores ſunt. Saepe etiam narium foramina plane deficiunt, ita vt odoriferae particulae per os tantum ad nares penetrare poſſint. Tactus tandem praecipuam apud aues ſedem in pedibus eſſe Cl. Auctor ſuſpicatur, qui tamen admodum exiguus eſſe poteſt, cum interior pes calloſa cute obductus ſit. Auium aquaticarum corpus pennis craſſioribus et mollioribus tegitur; eaedemque omnes circa caudam glandulas quasdam habent, quibus oleoſus humor continetur, quem roſtro ſolent exprimere, quo eo pennas quaſi obducant et lubricas reddant, ne aqua penetret. In quibusdam glandulae hae vel minores ſunt, vel plane deficiunt. Aues, quae altius per aerem adſcendunt, velut accipitres, vt contra frigoris vim tutiores ſint, pluribus pennis, quam reliquae donatae ſunt. Singulis quotannis pennae nouae ſuccreſcunt, prioribus delabentibus, quod in noſtrarum regionum ſpeciebus ſub fine aeſtatis vel autumni tempore accidit. Longe plures volatilium ſpecies, quam quadrupedum aqnam inhabitant, veluti etiam facilius ob totius corporis formam eiusque leuitatem natant. In amoris denique ſenſu, quem Ill. DE BUFFON cum Cl. LE CAT in ſenſuum numero habet, a quadrupedibus differunt eo modo, vt magis tener ille ſit in auibus atque mollitiem quandam ſenſumque delicatiorem ſpirare videatur. Docet id coniugii ſpecies, quae inter

ſemel-

femellam et marem exſtat, atque mutuus eorum labor in ſtruendo nido, ouis incubandis et pullorum educatione. Prolifica, de qua diximus paulo ante, vis, inprimis in domeſticis auibus, quae nidum nullum ſtruunt et pullos facile educare poſſunt, magna eſt. Gallus gallinaceus vnicus quotidie ad 300 oua impraegnare poteſt, et gallina vnica ad centum fere oua ſingulis annis ponit. Mares duos penes aut penem bifidum habent, qui per anum coitus tempore exit. In feminis orificium vuluae ſupra anum eſt, ipſaeque non vterum, ſed ouaria tantum habent.

His in vniuerſum de auibus diſputatis, Ill. Auctor ad *aues rapaces* tranſit. Quamquam enim omnes fere aues aliis animalibus veſcuntur, rapaces tamen ſpeciatim ac proprie eae dicuntur, quae aliis auibus bellum quaſi perpetuum minitantur, earumque carnes cibi loco vehementer appetunt. Numero pauciores, inter aues, rapaces, quam quadrupeda iſtius indolis reperiuntur. Plures tamen ex aquaticis piſciuorae ſunt. Rapaces vero proprie ſic dictae omnes praedam vnguibus arripiunt et roſtro breui et incuruato, digitis ſeparatis non membrana coniunctis, pedibus robuſtioribus, vt plurimum plumoſis, vnguibus magnis incuruiſque inſtructae ſunt. In his omnibus mares minores ſunt feminis, cum in reliquis ordinibus mares feminas magnitudine ſuperent. Quatuor, vt plurimum, oua eas ponere Ill. LINNAEUS in Syſtemate naturae quidem aſſerit. Sed aquilae duo, aliae minores ſeptem fere oua ponunt, quemadmodum in omni animalium claſſe fere ſemper minores foecundiores ſunt maioribus ſpeciebus. Color plumarum in iunioribus valde differt ab adultorum colore; quae res fecit, vt quidam ſpecierum numerum praeter ne-

ceſſita-

ceſſitatem auxerint. Sic quoque in auium rapa-
cium diuerſo ſexu color admodum differt.

Aquilarum in Europa notarum ſex tantum ſpe- p. 71.
cies Cl. Auctor conſtituit. Sunt eae; 1) *Aquila cry-* p. 76.
ſaetos ſ. maior ſ. Falco cryſaetos Cl. LINN, cui ceram
coeruleſcentem Auctor Ill. tribuit. Habitat ea non
in Europa ſolum, ſed et in Aſia et Africa, atque
quoad mores et viuendi rationem cum leone com-
parari poteſt. 2) *Aquila communis* quae *Falconem* p. 86.
fuluum LINN. cum eius varietate *Aquila canadenſi*
EDW. et F. *melanaetum* L. comprehendit. 3) *Aqui-* p. 91.
la minor ſ. aquila naeuia BRISSONII, quam *aquilam*
rupeſtrem (*Steinadler*) Germanorum eſſe
(FRITSCH Tab. LXXI.) Cl. Auctor ſuſpicatur. Alii
aquilam clangam vocant, eaque facilius reliquis man-
ſueſcit. Hae tres ſpecies proprie *aquilarum* genus
conſtituunt, cum ſequentes iam in nonnullis ab iis
differant. Sunt vero eae: 4) *Pygargus*, ſub quo tres p. 99.
ſpecies *Falconem* ſcilicet *leucocephalum* LINN. *F. py-*
gargum EIUSDEM et *aquilam abicillam minorem* BRIS-
SONII Noſter comprehendit. Hic cera lutea, pedi-
bus ſemilanatis et cauda alba ab *aquilis* differt, quae
ceram coeruleſcentem pedesque lanatos habent.
5) *Aquila marina* ſiue *balbuzard* eſt *Falco haliaetus* p. 103.
LINN. Huic pedes coeruleſcentes vel virideſcen-
tes ſunt, et vncus digiti poſtici, reliquorum digito-
rum vncis breuior eſt. 6) *Aquila marina maior* p. 112.
ſiue *Orfraie* vel *F. Oſſifraga* LINN. Haec magnitu-
dine ad aquilam maiorem accedit. Vncos nigrican-
tes, pedes ſemilanatos virideſcentes et barbam plu-
moſam habet. Vuea in hac aue ſingulari membra-
na ab ALDROVANDO deſcripta clauditur. Noctu
quoque piſces venatur. Hanc cum praecedente,
licet magnitudine differant, coitu miſceri Cel. Au-
ctor ſuſpicatur. Hiſce ſpeciebus adnectit aliam, quam p. 124.
Galli-

Gallico nomine *Iean le blanc* vocat, et quae *Pygargus* BRISSONII eſt. Haec in Gallia frequenter occurrit, licet in ſeptentrionalibus regionibus non
p. 136. reperiatur. In fine tandem *aquilarum*, quae in exteris regionibus non reperiuntur, mentio fit, vt *aquilae pondicherianae* BRISS., *aquilae criſtatae* EIUSD., et *Braſilienſis* EIUSD. cet. ad quam vltimam ſpeciem *Falco* quoque *coronatus* LINN. pertinet. *Aquila alba* non peculiaris ſpecies, ſed omnium ſpecierum varietas tantum eſt.

p. 146. Sequuntur *vultures*, qui licet corporis vi et magnitudine aquilas ſuperent, minus tamen generoſi iis ſunt, cadaueribus vt plurimum victitant, nec viua animalia niſi cadauerum inopia coacti aggrediuntur. Plures vultures ſociantur inter ſe, quo eo facilius praedam capere queant. Omnibus collum impenne eſt, vel breuiſſimis tantum pennis, quae pilos mentiuntur tectum, nec oculi profundi in orbita, vt in aquila iacent. Ingluuiem habent, qua aquilae carent, ita vt iam ad graniuora quaſi acce-
p. 149. dant. Species hic deſcriptae ſunt: 1) *Percnopterus*
p. 151. *ſ. vultur percnopterus* LINN. 2) *Gryphus*, ad quam ſpeciem *Vultur fuluus* BRISRONII, quem LINNAEUS etiam ad *percnopterum* refert, *aureus* BRISS. et *niger*
p. 158. BELLONII pertinent. 3) *Vultur* proprie ſic dictus,
p. 159. ſeu *Vultur magnus* vel *cinereus* BRISSONII. 4) *Vultur*
p. 164. *criſtatus* BRISS. *ſ. Vautour à aigrettes.* 5) *Vultur minor leucocephalus.* Adduntur ſpecies exoticae v. c. *Vultur Papa* L., *Vultur aura* EIUSD. qui *gallopauonem* figura et colorum varietate refert, et *Condor ſ. Vultur gryphus* LINN. qui inter aues volantes maximus eſt, et quem non Americae meridionali tantum proprium, ſed et in Gallia repertum eſſe, ex Cl. SALERNE alio loco adducto teſtimonio *) probat.

Suſpi-

*) vid. comment. noſtr. Vol. XVII. p. 46.

Suſpicatur quoque hanc auem illam eſſe, quam in Heluetia (*der Lämmergeyer*) vocant.

His propoſitis ad *miluos*, *buteones* et aues iis analogas Cl. Auctor tranſit. Earum numerus longe maior eſt quam vulturum et aquilarum. Vnica *Milui* ſpecies in Gallia occurrit, (*Falco miluus* LINN.) quae cauda forficata diſtinguitur. Accedit *Miluus niger* BELON. et *Falco furcatus* L. *Miluum* excipit *Buteo* (*la Buſe*) ſ. *Falco buteo* L. qui colore multum variat. Auis, quae hic *Bondrée* vocatur, eſt *F. apiuorus* L. et ceram luteam habet. Hac occaſione Cel. Auctor monet, cerae colorem in auibus pro varia earum aetate ita variare, vt v. c. in iunioribus alba, in adultis lutea et tandem in aetate prouectis coerulescens et nigricans fiat, quod demonſtrat diuiſionem *Falconum* a LINNAEO Ill. factam ſecundum cerae colorem, minus aptam eſſe. *Auis S. Martini* Auctoris noſtri eſt *Falco coeruleus* EDWARDI, vel *cinereus* BRISS. an *F. cyaneus* LINN.? Species, quae *la Soubuſe* vocatur eſt *Fallo torquatus* BRISS. an *Falco ſubbuteo* LINN? *La Harpaye* Auctoris eſt *Circus rufus* BRISSONII; *le Buſard* vero *F. aeruginoſus* L. In fine deſcriptiones auium exoticarum, quae cum *miluo*, *buteone* et *ſubbuteone* conueniunt, adduntur.

p. 197.
p. 206.
p. 208.
p. 212.
p. 215.
p. 217.
p. 218.

Sequuntur *Accipitres* proprie ſic dicti. Inter hos 1) ſpecies *Falco niſus* LINNAEI (*l'epervier*) eſt; 2) eſt *Falco palumbarius* EIUSDEM, ſeu *Aſtur* (*l'autour*) Auctoris noſtri. Aues exoticae, quae cum iis ſimilitudinem habent, breuiter quoque ſolito more commemorantur. p. 225.

Inter aues, quae proprie ad aucupia adhibentur, maxime *Falco gyrfalco* L. (*le Gerfaut*) eminet, quae ſpecies inprimis ex Islandia et Ruſſia affertur. *Falco* p. 239.

p. 243. *lanarius* L. (*le Lanier*) iam in Gallia rariſſime repe-
ritur. *Le Sacre* Auctoris Noſtri *Falco ſacer* a LIN-
p. 247. NAEO vocatur. Accedit tunc Noſter ad *Falconem*
vulgarem, ſub quo varietates fere omnes a BRIS-
SONIO indicatas et *Falconem gentilem* LINN. compre-
hendit. Fuſius hic modus deſcribitur, quo man-
ſueſcit et ad artem aucupariam inſtruitur. Nidifi-
cat in rupibus. *Falco hornotinus* BRISS. (*faucon*
ſors) iunior huius ſpeciei, vt *Falco gibboſus* (*faucon*
hagard) iam ad ſenectutem prouectus eſt. *Gentilis*
vocatur, ſi in arte aucuparia bene inſtructus eſt.
Species, quae *peregrina* dicitur ſ. *nigra* a vulgari
ſpecie pluribus differt, et non in Gallia nidificat, ſed
in migratione tantum capitur, nec arti aucupariae
adeo vt praecedens apta eſt. Exoticas falconum
ſpecies omittimus.

p. 277. Adduntur tandem in fine aliae aues rapaces
diurnae minores vt: *le Hobereau* (*Falco ſubbuteo* L.)
la Creſſerelle (*F. tinnunculus* EIUSD.) cuius femina
accipiter alaudarius a variis Auctoribus vocatur;
le Rochier (*Lithofalco* BRISSONII,) *l'émerillon* aucu-
pariorum ſiue *aeſalon*. Hic inter rapaces diurnas
minimus eſt, et hoc ſingulare habet, quod in hac
ſpecie mas et femina magnitudine conueniant, cum
inter reliquas aues rapaces mas ſemper minor ſit:
p. 290. quod ex Auctoris Noſtri obſeruatione a diuerſa
inteſtini coeci ſtructura pendet, quod in maribus ſim-
p. 296. plex, in feminis vero duplex eſt. Agmen harum
auium *Laniorum* indigenae ſpecies claudunt: *La-*
nius ſcilicet *excubitor* L. (*Pie-grièſche griſe* BRISSO-
NII); *Lanius rufus* (*Pie-grièſche rouſſe* ſeu *Lanius*
collurio femina L.) et *Lanius* (*l'Ecorcheur*) quem LIN-
p. 308. NAEUS pro mare *Collurionis* habet, qui vero ſecun-
dum Noſtri Auctoris mentem peculiarem ſpeciem
con-

conſtituit. Species huc pertinentes exoticas ſicco pede tranſimus.

His de auibus rapacibus diurnis expoſitis Cel. Auctor iam ad illas nocturnas accedit, quae rapinis aliorum animalium vitam ſuſtentant. Earum omnium oculi tam acri et ſubtili ſenſu inſtructi ſunt, vt a diei lumine obfuſcentur. Interim tamen non in denſa caligine, vt vulgo putatur, videre eae aues poſſunt, ſed noctes, quibus luna ſplendet, aut primas noctis horas victui conquirendo impendunt. Diurno tempore vel homine appropinquante non longe auolant, et ſi ab aliis auiculis conſpiciuntur, ab iis circumuolantibus impune laceſſuntur et percutiuntur. Nocte vero appropinquante, omnes hae auiculae noctuam, quae videndi facultatem nunc acquirit, iterum fugiunt. Interim tamen *Bubo maior* et *Strix paſſerina* etiam diei lucem quodammodo perferunt. Omnes hae aues, ſi eam bubonis ſpeciem, quae *ſcops* dicitur excipias, non migrant. Pupilla earum a lucis radiis, vt in felibus, conſtringitur, eo tamen diſcrimine, vt apertura, quae reſtat, non vt in illis longitudinalis ſit, ſed ſemper rotunda maneat. Auditu exquiſitiſſimo pollent, quod vel concha auris internae, in hiſce auibus longe maior quam in reliquis animalibus, indicat. Externam organi auditus aperturam pro lubitu claudere vel aperire poſſunt. Roſtrum plumis in omnibus fere ſpeciebus tegitur. Vtramque maxillam vt pſittaci mobilem habent, ita vt rictus oris iis ampliſſimus ſit. Vnus ex digitis pedum anterioribus mobilis et verſatilis quaſi eſt, atque reflecti poteſt. Volatus ratio a modo, quo aliae aues volant, diuerſa eſt, et ſine omni fere ſtrepitu et lateraliter quaſi fit. Quae de nominibus variis auibus nocturnis ab ARISTOTELE tributis Ill. Auctor eleganter diſputat, omittimus. p. 317.

 Ipſas

Ipſas vero auium harum ſpecies omnes, quae ab Ill. LINNAEO ſub vnico genere, quod *Strix* vocat, comprehenduntur, Ill. DE BUFFON in duo genera diuidit. Horum primum eas ſpecies comprehendit, quae capite auriculato ſunt, alterum vero eas, quae caput inauriculatum habent. Prius *Bubo*
p. 332. ſeu *Duc*; poſterius *Noctua* vocatur. Prioris generis ſpecies ſunt: 1) *Le Duc* ſiue *le grand Duc* (*Strix bubo* LINN.) quem Germani a ſono vocis *Vhu* vocant, cuius varietas non ſolum *Strix athenienſis* LINN. ſed et *Strix ſcandiaca* EIUSD. albido corpore eſt. Haec auis in omnibus fere climatibus reperitur. 2) *Le Hibou* ſeu *le moyen Duc* (*Strix otus* L.) Haec in nidos aliarum auium oua ſua ponit. *Strix aſio* L. ſeu *carolinenſis* huius tantum eſt varietas. 3) *Le petit Duc* (*Strix ſcops* L.) cuius auriculae minimae tantum ſunt, quae migrat et gregaria eſt. Ad poſterius genus pertinent: 4) *La Hulotte* (*Strix aluco* L.) quae in ſyluis habitat. Huic iris atra eſt. 5) *Le Chat-huant* (*Strix ſtridula* L.) iridibus coeruleis, quae, etiam incola ſyluarum eſt. 6) *l'Effraye* ſeu *Freſſaie* (*Strix flammea* L.) iride lutea. Haec in turribus habitat, vt ſequens ſpecies 7) *la Chouette* ſeu *la grande Cheueche* (*Strix ulula* L.) in rupibus. Huic quoque irides luteae ſunt. Vltima eſt 8) *la Cheueche* ſeu *la petite Chouette* (*Strix paſſerina* L.) quae irides pallide luteas habet, et ſi defectum auricularum excipias cum vltima
p. 383. ſpecies bubonis 3. ſatis conuenit. Adduntur variae ſpecies exoticae, inter quas *Strix nyctea* ſeu *Harfang* et *funerea* ſ. *Canadenſis* eſt.

p. 394. In fine huius voluminis aues, quae volare non poſſunt, ſed tantum in terra currunt, indicantur. Inter has primum locum obtinet *Struthio*, qui proxime ad quadrupeda, tum pedum ſtructura, et toto corporis habitu, tum etiam interna fabrica accedit.

Notiſ-

Notiſſima eſt haec auis et iam a primis temporibus cognita, cum eius in ſacris ſcripturis aliquoties mentio fiat. Orificium meatus auditorii, vt in quadrupedibus, apertum eſt. Meatus ipſe internus pilis tegitur. Palpebra ſuperior mobilis eſt. Sceleti forma etiam ad quadrupeda accedit, quod et de lingua, pharynge, oeſophago, ventriculo et inteſtinis, et cerebro valere, fuſius hic demonſtratur. Penem non reconditum, ſed extus conſpicuum et quaſi ſpongioſum, femina vero clitoridem habet; ex quibus omnibus Noſter ſtruthionem partim ad quadrupeda, partim ad aues pertinere oſtendit. Foecunda haec auis eſt et oua plura ponit. Struthionem oua ſua non incubare, tantum de calidiſſimis Africae regionibus valet, nam circa Caput bonae ſpei vbi noctes frigidiores ſunt, nocturno tempore hoc negotium, vt aliae aues peragit. Guſtu et odoratu fere caret, et lapides, ferrum cet. ex ſola neceſſitate ventriculum capaciſſimum implendi, deglutit. Antiqui orbis et Africae potiſſimum incola eſt.

Le Touyou eſt *Struthio Rhea* LINN. qui in America auſtrali tantum reperitur. Ad ſex pedum altitudinem increſcit. Capite, collo et roſtro cum Struthione tantum conuenit, reliquo corpore vero ad Caſuarii formam accedit. p. 452.

Caſuarius ſ. Struthio caſuarius LINN. in India orientali tantum inuenitur. Vnguis intermedius non maior eſt, vt LINNAEUS aſſerit, ſed interior reliquos duos magnitudine ſuperat. Inteſtina breviſſima ſunt, ita vt alimenta ore aſſumta v. c. poma, ſaepe plane non digeſta, iterum ex ano exeant. Ouorum puncta non excauata ſunt, ſed pluribus tuberculis inſtructa, quae viridiſcentem colorem habent, cum totum ouum griſeum ſit. Quae de ſin- p. 464.

gulari forma huius animalis et anatomica eius diſquiſitione ex aliis Auctoribus adducuntur, cum cognita iam ſint, omittimus.

p. 480. *Le Dronte ſ. Didus ineptus* L. non modo cum ſtruthione et reliquis iam deſcriptis auibus, in eo conuenit, quod volatui non aptus ſit, ſed et tardigradus eſt; formaeque ſingularitate et quaſi deformitate, reliquas aues omnes ſuperat. In Inſula tantum *S. Mauritii*, quae nunc *Isle de France* dicitur, et Inſula *Bourbon* ac forte in vicina terra auſtrali continente reperitur. Cum Dido conueniunt, magnitudine, alarum et corporis forma aues aliae duae, ex itinerariis tantum cognitae, quae etiam in Inſulis modo dictis aliisque vicinis, ad huc vſque diem tantum inuentae ſunt, et de quibus nondum perfecte conſtat, num ad Didi genus pertineant, vel ab eo differant. Sunt eae *Eremita* ſeu *le Solitaire* et *auis de Nazareth* (*l'oiſeau de Nazareth*) quae nomen ſuum ab Inſula *Nazare*, in qua habitat, accepit.

In tabulis aeneis huic volumini adnexis ſequentes aues delineantur. 1) *Falco cryſaetus* LINN. 2) *Falco haliaetus* L. (*le balbuzard*) 3) *Falco oſſifraga* (*l'Orfraye*) 4) *Falco*, qui *Iean le Blanc* dicitur 5) *Vultur* (*le Vautour*). 6) *Vultur Papa* (*le Roi des Vautours*). 7) *F. Miluus* (*le Milan*). 8) *F. Buteo* L. (*la Bûſe*). 9) *F. Subbuteo* LINN? (*la Soubuſe*) 10) *F. aeruginoſus* (*le Buſard*) 11) *F. Niſus* (*l'épervïer*) 12) *F. palumbarius* (*l' Autour*). 13) *F. gyrfalco* (*le Gerfaut*). 14) *F. Sacer* (*le Sacre*). 15) *Falco gentilis iunior* (*Faucon ſort*) 16) *Falco gentilis adultus* (*Faucon hagard*) 17) *F. ſubbuteo* L. (*le hobereau,*) 18) *F. tinnunculus* L. (*la creſſerelle*) 19) *Aeſalon.* (*l' émerillon.*) 20) *Lanius excubitor* L. (*Piegrièſche griſe,*) 21) *L. collurio* L. (*le Lanier*) 22) *Strix*

Strix bubo (*le grand duc*). 23) *Strix otus* (*le hibou*) 24) *Strix ſcops* (*le petit duc*). 25) *Strix ſtridula* (*le chat-huant.* 26) *Strix flammea* (*l' effraie*). 27) *S. ulula* (*la grande Chouette*). 28) *S. paſſerina* (*la cheveche* ſ. *la petite Chouette.*) 29) *Struthio camelus* (*l' Autruche*). *)

Initium ſecundi voluminis *Otis tarda* (*l' outarde*) facit, cuius auis ſynonyma miro modo ab Auctoribus inter ſe et cum aliarum auium nominibus confunduntur. Magnitudo et pondus eius inſigniter variant, vti in vniuerſum plures in hac ſpecie varietates deprehenduntur. Lingua eorum ſerrata eſt, et acuta, non vero bifida. Ventriculum vnicum habet, et inteſtina breuia. In Gallia rarius haec auis occurrit, et num hyemali tempore migret, nondum ſatis conſtat. In America non reperitur. Tom. II. p. 1.

Otis tetrax LINN. (*Canepetière*) maiore ſpecie longe minor eſt. Non in omnibus Galliae prouinciis occurrit, interim tamen in hoc regno longe fre- p. 40.

*) Vti praeter eam, quam Cel. KAESTNERUS curauit Buffoniani hiſtoriae quadrupedum verſionem germanicam, quae in quarta forma impreſſa eſt, alia verſio germanica ſeu epitome quaſi cura Cl. MARTINI Berolini iam prodit, ita etiam idem Cl. MARTINI ornithologiam hanc in germanicam linguam translatam et egregiis obſeruationibus auctam, octaua forma edere coepit, cuius volumen primum iam publicatum eſt. Titulum habet ſequentem: *Herrn von Buffons Naturgeſchichte der Vögel aus dem Franzöſiſchen überſetzt, und mit Anmerkungen, Zuſaetzen und vielen Kupfern vermehret, durch* F. W. H. MARTINI. I Band. Berlin 1772. 8. Continet hoc volumen aquilas, vultures et miluos et 21 tabulis aeneis ornatur, quae partim ex maiore opere BUFFONII, partim ex CATESBEYO, EDWARDO, FRITSCHIO deſumtae ſunt.

quentior, quam in aliis Europae partibus eſt. Migrat.

p. 52. Adduntur 1) *Otis arabs* LINN., quam auem Ill. Auctor *Lokong* ſeu *Otidem criſtatam arabicam* vocat. 2) *Otis afra* LINN., quae ab aliis *Struthio volans Senegallenſis* et 3) *Churge ſeu Otis minor indica* quae a BRISSONIO *Pluuialis Bengalenſis maior* dicitur. 4) *Houbara ſ. Otis minor criſtata Africana*, 5) et alia *minor criſtata Africana*, quae *Rhaad* ab incolis vocatur.

p. 63. Sequitur *Galli gallinacei* hiſtoria, cuius initium cum oui deſcriptione et oui incubati mutationibus Cl. Auctor facit, in quibus tamen exponendis accuratiora multo tradere potuiſſet, ſi iis, quae recentiores et Ill. HALLERUS inprimis de hac re expoſuerunt, vſus eſſet. Deinde methodum Cl. REAUMURII oua artificiali ratione excludendi fuſe ex eius ſcriptis exponit; in qua re praecipue cura habenda eſt, ne aer iuſto humidior fiat, ſed ſemper renouetur et iuſtus caloris gradus ſeruetur. Tres quaſi ventriculos habet gallus, *ingluuiem* ſcilicet (*le jabot*), *canalem intermedium* glandulis refertum, et *ventriculum ipſum* (*le géſier*), quatuor muſculis inſtructum, in quo ſuccus manifeſte acidus continetur. Vti omnes aues cellulas quaſdam aereas habent, quae cum pulmone et ramis bronchiorum communicant, ita quoque gallinis duae etiam ſimiles cellulae in abdomine ſunt, quarum motus cum motu pulmonum aſynchronus eſt, ita vt in exſpiratione dilatentur et in inſpiratione contrahantur. Gallinas etiam teſticulos vt gallos habere Noſter putat. Naturale gallorum clima Perſia eſt, feros tamen gallos gallinaceos in variis Indiae orientalis locis quoque reperiri aſſerit. In Americam ex Europa alati demum ſunt.

ſunt. Ferae ex domeſticis factae gallinae nidos, vt aliae ſimiles aues ſtruunt.

Alia contra auis domeſtica *Meleagris Gallopauo* LINN. (*Dindon*) non ex Indiae orientalis regione *Calecut*, vti nomen Germanicum eius indicat, ſed ex America ſeptentrionali in Europam introducta eſt. Barba pectoris in mare, ſi accurate loquendum eſt, non ex pectore, ſed ex colli inferiore parte, atque in Gallia iam ſecundo aatatis anno excreſcit. Fera maior eſt domeſticae et magis nigreſcentem colorem obtinet. Veteribus, vti fuſius hic exponitur, haec auis plane incognita fuit. p. 132.

Contrarium de *Numida meleagride* LINN. quam Galli *la Peintade* vocant, aſſeri poteſt, cum plurima teſtimonia exiſtant, Romanos iam eam cognouiſſe et aluiſſe. Euanuit tamen poſtea eius notio, vſque dum medio aeuo iterum ex natali ſolo Africa in Europam allata fuit. Non ſexu tantum eas, quae palearia et criſtam coeruleſcentem habeant, ab iis, quibus hae partes rubeant differre, ſed plane diuerſas ſpecies, ſeu potius varietates eſſe, plurima probant. Atque in vniuerſum hae aues multum variant. Habitant in paludibus et regionibus vliginoſis, hinc etiam pedum digiti membrana coniuncti ſunt. Difficulter in noſtris regionibus pulli huius ſpeciei educantur. Ex gallis gallinaceis et hiſce auibus hybrida ſpecies naſcitur, quae tamen non vlterius propagatur. p. 163.

Tetrao vrogallus L. in montoſis et frigidis regionibus habitat. Vocatur ab Ill. Auctore *Tetras* ſiue *le grand coq de Bruyere*. Veſcitur gemmis et ſummitatibus arborum cet. p. 191.

Tetrao tetrix L. Noſtro *le petit tetras* ſiue *le coq de bruyere à queue fourchueau* dicitur. Mas et femina tum magnitudine tum coloribus ita differunt, vt nonnulli Auctores pro diuerſis auibus deſcripſerint. Hyemali tempore alto quaſi ſomno nonnumquam has aues ſepeliri Noſter aſſerit. An forte ex loco LINN. *Syſtem.* Ed, XII. p. 372 minus bene intellecto ?

p. 227. Sequuntur: *Tetrao tetrix cauda integra*, quae
p. 230. forte prioris eſt varietas; *Tetrao tetrix colore varia-*
bili (*à plumage variable*). Haec aeſtate ex rufo bru-
neſcens eſt, hyemali vero tempore alba vel ex gri-
p. 233. ſeo-coerulea reperitur; *Tetrao bonaſia* ſiue *la géli-*
notte, quam FRISCHIUS aliique cum alia aue, quae
p. 242. *attagen* vocatur, confundunt; *Bonaſa ſcotica* BRIS-
SONII, quam nonnulli quidem ad *lagopum* referunt,
quae vero ex Noſtri Auctoris opinione plane di-
p. 244. ſtincta ſpecies eſt. *Le Ganga* ſiue *bonaſa pyrenaica*
Ill. DE BUFFON eſt *Tetrao alchata* LINN. cuius ſpe-
ciei ſynonyma valde ab Auctoribus confundunt.
Haec in calidioribus regionibus antiqui orbis ſatis
frequenter occurrit. Duabus pennis rectricibus fili-
p. 252. formibus inſtructa eſt. *L' Attagas* eſt *Attagen* ſeu
lagopus criſtata BRISSONII vel *Francolimus* BELONII
In hac aue ſupra vtrumque oculum cutis nuda eſt
et coccinea, figuram lunatam quaſi efficiens, hinc
etiam ab Anglis *Red Game* dicitur. Montoſa amat
et in omnibus fere regionibus reperitur. A FRI-
SCHIO illam cum *Bonaſia* confundi, iam ſupra mo-
nuimus. Celeriter currit, et manſueſcit quoque.
Attagen alba, an praecedentis varietas? *Tetrao la-*
p. 264. *gopus* LINN. ſeu *Lagopus* BRISS. (*le Lagopede*). Hye-
me tantum alba eſt. Pedum digiti inferius pilis bre-
viſſimis vt leporis planta teguntur. Solis radios fu-
git haec auis, a quibus obfuſcatur. De reliquo ſa-
tis ſtupida eſt. *Lagopus freti Hudſoni ſ. perdix alba*

EDWAR-

EDWARDI male a BRISSONIO ad *lagopum vulgarem* refertur. Perdice longe maior eſt, et magnitudine ad phaſianum fere accedit. Cuniculos in niue haec ſpecies agit. p. 276.

His adduntur *aues exoticae, quae cum tetraone, bonaſia* cet. conueniunt, vt *Bonaſia Canadenſis* BRISSONII *ſeu Tetrao togatus* LINN.: *Bonaſia criſtata Canadenſis* BRISSONII *et Attagen Penſyluaniae* EIUSD. quae vnam eandemque ſpeciem, ſeu *Tetraonem umbellum* LINN. conſtituunt. etc. p. 279.

Pauo criſtatus pulcherrimus omnium auium in India orientali proprie habitat. Vocem eorum non ingratam eſſe Auctor Cel. putat. *Pauo albus* praecedentis varietas eſt, quae fera in Noruegia reperitur. A frigoris vi pendet haec mutatio coloris, quae vero non hyeme tantum durat, ſed conſtans eſt. Quae de moribus, educatione pauonum cet. adducuntur, nota ſunt. p. 288. p. 322.

Phaſianus Colchicus LINN. ab Argonautis primum in Graeciam introductus eſt, iam vero in omnibus fere regionibus, reperitur. Nonnunquam cum *gallinis* coitu miſcetur et hybrida ſpecies inde naſcitur. Varietates eius *Phaſianus albus* et *varius* ſunt. Hybrida ſpecies ex gallinis et phaſiano mare *Cocquar* Noſtro audit. Adduntur aues exoticae, quae ad genus Phaſiani pertinent, inter quas pulcherrima illa ſpecies eſt, quae a Noſtro *Phaſianus auratus* ſeu *tricolor*, a LINNAEO vero *Phaſianus pictus* vocatur, et quae ex China in Europam introducta fuit. Porro huc pertinet *Phaſianus nycthemerus* LINN; *Phaſianus Argus* EIUSD; *Phaſianus cornutus ſ. Napaal* Auctoris, qui a LINNAEO *Meleagris Satyra* vocatur, et *Katraca* ſiue *Phaſianus Motmot* LINN. Minus cogni- p. 328. p. 353. p. 354.

tae

tae ſunt: *Chinquis* Auctoris Ill. ſiue *Pauo Tibetanus* BRISSONII aut *Pauonis bicalcarati* LIN. varietas: *Spicifer* Auctoris ſeu *Pauo Iaponenſis* BRISS. vel *Pauo muticus* LINN.: *Calcaratus* (*l'eperonnier*) ſeu *Phaſianus pauonicus chinenſis* BRISS. aut *Pauo bicalcaratus* LINN.

p. 373. *Phaſianorum* genus aliud, quod *Hocco* Noſter, LINN. vero *Crax* vocat excipit, cuius ſpecies omnes Americae meridionalis incolae ſunt. Sunt eae *Hocco proprie ſic dictus* (*Crax alector* LINN.) quorſum et *Crax globicera* LINN. cet. refertur. Facile manſueſcit; *Crax Pauxi* LINN; quae praecedente longe rarior eſt; *l' Hoazin*; *l Yacou* ſeu *Meleagris criſtata* LINN.; *le Marail* etc. Plures alias ſpecies, quae ſolis barbaris nominibus indicantur, indicaſſe tantum ſufficiat.

p. 396. *Perdicum* genus ampliſſimum ex duabus tantum ſpeciebus in Gallia vulgaribus conſtat: ſunt eae: 1) *Perdix cinerea* ſ. *Tetrao perdix* LINN. cuius varietates *Perdix damaſcena* ALDROVANDI et *montana* ſunt. 2) *Perdix rufa* ſ. *Tetrao rufus* LINN., quae etiam aliquas varietates comprehendit. Plures vero alias ſpecies vt *Tetraonem orientalem* LINN. *T. bicalcaratum* EIUSD. ab iis ſeiungit, cum viuendi ratio iis longe diuerſa ſit. *Perdicem rufam* Noſter in duas varietates diſtinguit, quarum primam *la Bartauelle* vocat, a qua *Perdix graeca* BELONII differt, quae in Graecia frequens eſt. Altera *rufa Europaea*, inter praecedentem et griſeam quaſi media eſt, et in Auſtrali Europa potiſſimum reperitur.

p. 438. *Francolinus*, ab ea aue, quam *Attagen* (p. 522.) Noſter vocat plane differt, et a LINNAEO *Tetrao Francolinus* vocatur. In calidioribus tantum Europae

pae prouinciis et rarius quidem, frequentius contra in Archipelagi inſulis et Syria reperitur. Elegantes colores oſtendunt plumae eius, et inprimis collari aurantii coloris ornatus deprehenditur. Alias exoticas et minus cognitas ſpecies omittimus.

Vicinum perdici eſt *Coturnicis* genus, licet magnitudine aliisque proprietatibus inſigniter differant. p. 449. Coturnices migrant, ventorum vi in itinere ſuo adiuti. Exoticae ſpecies plures et hic quoque adduntur.

Finem huius voluminis facit ampliſſimum *Columbarum* genus, a quo tamen *Palumbus* et *Turtur* ſeparantur. Duas tantum veras columbarum ſpecies p. 491. Noſter agnoſcit, *Columbam* ſcilicet *liuiam* BRISS. et *domeſticam*, quae tamen inter ſe proxime conueniunt, cum ex domeſticis ferae iterum fiant. *Columba oenas liuiae* tantum varietas eſt, ſeu potius ex domeſtica fera facta oritur. *Domeſticae* varietates, quae ab aliis vt totidem ſpecies conſiderantur, omittimus; inſeruit vero Cel. Auctor ampliſſimum eorum ſtemma, vti olim de canibus in opere priore iam fecerat. *Columba Palumbus* longe maior vulgari eſt, et cum eo miſcetur, quod difficilius a *Turture*, ſeu tertia ſpecie fit. Varietates et ſpecies exoticas ſpatii anguſtia impediti ſicco pede tranſimus. In tabulis aeneis huic volumini adnexis ſequentes aues delineantur: 1) *Otis*. 2) *Gallus gallinaceus*. 3) *Gallopauo*. 4) *Numida meleagris* L. 5) *Tetrao vrogallus* L. 6) *Tetrao tetrix* L. 7) *Tetrao bonaſia* L. 8) *Tetrao alchata* L. 9) *Tetrao lagopus* L. 10) *Pauo* 11) *Phaſianus colchicus* L. 12) Phaſiani ſpecies hybrida *Coquar* dicta 13) *Crax alector* L. mas. 14) *Eiusd.* femina. 15) *Tetrao rufus* LINN. 16) *Coturnix*. 17) *Columba gutturoſa* L. 18) Eadem gutture inflato. 19) *Columba cucullata* L. (*nonain*). 20) *Columba polonica* Auctoris. 21) *Columba iamaicenſis* EIUSD. 22) *C. laticauda*

cauda L. 23) *C. turbita* L. 24) *Palumbus.* 25) *Turtur vulgaris* vel *C. Turtur* L. 26) *C. riſoria* LINN. 27) *Turtur albus.*

XX.

Directions for bringing over ſeeds and plants, from the Eaſt Indies and other diſtant countries, in a ſtate of vegetation: Together with a Catalogue of ſuch foreign plants, as are worthy of being encouraged in our American colonies, for the purpoſes of Medicine, Agriculture and Commerce. To which is added, the figure and Botanical deſcription of a new ſenſitiue plant, called *Dionaea Muſcipula*: or *Venus's Fly-Trap.* By IOHN ELLIS. F. R. S. London, printed and ſold by L. Davis. 1770. 4. p. 41. Tab. aen. 2.

i. e.

Modi, quibus ſemina plantaeque, ex India orientali, aliisque remotis regionibus, ſalua vi vegetandi ad nos transferri queant; cum enumeratione praecipuarum in America colendarum plantarum. His accedunt figura et deſcriptio nouae plantae ſenſitiuae, dionaea muſcipula dictae. Auctore IOHANNE ELLIS, Regiae ſocietatis ſocio.

Cl. Auctor huius libelli, quem diligentem naturae obſeruatorem eſſe ex variis ab eo editis libris conſtat, alia hic ad augendam et amplificandam rem herbariam proponit auxilia, quibus ſemina et ipſae plantae peregrinae, a Chinenſibus ſaepe adulterata, non ſolum recte examinari, ſed etiam per-

longiſſi-

longiſſimam viam, ſalua vi vegetandi, in Europam, inprimis in Angliam vehi poſſint. Chinenſium fraudi, quae ſaepius, in magna ſeminum varietate emtoribus oblata, fieri ſoleat, occurrendum eſſe exiſtimat, ita, vt grana maiora diſcindantur, eorumque folia ſeminalia microſcopio inſpiciantur: quae, ſi ſucci plena et alba ſint, integra eſſe; ſin corrugata et nigri coloris, corrupta eſſe, cognoſci. Minora et imperfecta ſemina reiicienda eſſe. Generatim neceſſe eſſe, vt ſemina ſint matura, in ſicca tempeſtate collecta, et in loco aereo, non tamen radiis ſolis expoſito, ſuper charta diſperſa ſiccentur, ne in itinere ſitu et putredine corrumpantur. Tum duplicem rationem, vſu iam probatam, ſemina in alia loca vehendi tradit: alteram, quam in Philoſophicis Tranſactionibus *) iam expoſuit, hic breuiter repetit, et quaedam de tractandis ſeminibus *Mangiferae Indicae*, LINN. addit; alteram, cuius vſus in ſeminibus Theae transuehendis cognitus fuerit, praecipit eſſe hanc, vt ſemina, pericarpio incluſa, vaſis ſtanneis, charta ſerica vel Chinenſi intus veſtitis, immittantur, arcte compingantur, eademque charta obtegantur, vaſisque probe clauſis, aereo loco exponantur. Ne ſemina radices agant, ſingula prius, quam vaſis includantur, charta inuoluenda eſſe. Deinde ſuadet, vt vel in inſula Helenae, vel in alio loco, qui propior ſit Europae, ſemina dolio terra repleto inſerantur, et ſata leuiter irrigentur. Varia vaſa, quibus ſemina inſerantur, plantaeque iuniores transferantur, deſcribit, eaque in tabula aenea delineata ſiſtit. Haec, praeter magnitudinem firmitatemque conuenientem, ita exſtruenda eſſe praecipit, vt et libero aeri acceſſus pateat, et contenta ab inſectis, potiſſimum gliribus defendantur; hinc foramina, in lateribus vaſorum excauata, filis metallinis eſſe munien-

p. 2. p. 3. p. 5. p. 7.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 389.

muniendа; ipſa vaſa radiis ſolaribus non exponenda, interdum aperienda, et diligenter cuſtodienda. Deinde fundum vaſis muſco madido ad tres pollices eſſe replendum, cui terra recens limoſa ad duodecim pollices immittatur, illiusque ſuperficiem rurſus ſtrato muſci tenui, ſubinde aqua irrigando,
p. 9. eſſe tegendam. In plantis ipſis transuehendis ad tempus anni maxime reſpici iubet, illudque vere vel ipſa hyeme, ita, vt calida anni tempeſtate ad nos veniant, optime fieri putat. Radices, ſolo natiuo cinctas, muſco arcte filis linteis eſſe ligandas, et ipſas plantas in vaſis ſingularibus firmiter collocandas. Vaſis ratio, in quo aptiſſime id fiat, ex figura ad-
p. 11. dita patet. His plures ſemina conſeruandi rationes ſubiungit, ex quibus, cum omnes a nobis commemorari nequeant, illam proponamus, quae Cl. Auctori ab Ill. LINNAEO communicata eſt. Semina, tenui ſabulo miſta, chartae inuolui iubet, et vaſis vitreis vel terreis immitti, eorumque orificia veſica occludi; haec vaſa aliis maioribus ita imponi, vt ſpatium duorum pollicum, quod ea intercedat, repleatur ſalis communis et nitri partibus anaticis, et tantumdem ſalis ammoniaci. Cl. Auctor his ſalibus ſal commune ſolum ſubſtitui poſſe exiſtimat. Caeterae rationes ad inſecta potiſſimum a ſeminibus arcenda faciunt.

p. 22. Quae ſequitur enumeratio plantarum, octoginta et duas continet, in variis calidis regionibus naſcentes, quas, cum vel non ſatis recte colantur, vel medicamenta ex iis parata valde adulterentur, vel vis naturaque ipſarum nondum ſatis ſit cognita, in Americis Anglorum coloniis coli iubet, quo facilius et melius iis vti poſſimus. Recenſet eas nominibus Linneanis: atque Anglicis, indicat deinde ſingularum patriam, denique quasdam de vſu,

quem

quem habeant, vel in medicina, vel oeconomia, obſeruationes lectu digniſſimas addit.

In litteris ad Ill. LINNAEUM datis *) plantam noviter repertam irritabilem deſcribit, eamque icone depingit. Character eius eſt: CLASS. Decandria. ORDO, Monogynia. GEN. *Dionaea Muſcipula.* CAL. *Perianthium* pentaphyllum, foliolis erectis, ouatis, concauis, acutis. COR. *Petala* quinque, obouata, concaua, obtuſa, margine conuoluto, ſeptem ſtriis pellucidis lineata. STAM. *Filamenta* decem, aequalia, petalis breuiora; *Antherae* ſubrotundae; *Pollen* ſub microſcopio maxime augente tricoccum apparens. PISTILL. *Germen* ſubrotundum, ſuperum, paullulum depreſſum, ſulcatum; *Stylus* filiformis, filamentis breuior; *Stigma* patulum, margine fimbriatum. PERICARP. *Capſula* ſubrotunda, vnilocularis. SEM. plura, parua, oualia, fundo capſulae affixa. Irritabilitas eius in foliis conſpicitur, quae duplicata ſunt, inferius cordata, ſuperius biloba. Lobi hi in margine ſetis ciliati, et in ſuperficie ſuperiori ſingularibus glandulis, eiusque media parte aculeis paruis, erectis, ſunt praediti. Qui, ſi quacunque de cauſſa irritentur, arctiſſime clauduntur, nec prius expanduntur, quam ſi, quod arreptum eſt, facile eximitur. Cl. Auctor opinatur, hanc plantam ex inſectis ita necatis alimentum capere, atque nonnulla de eiusdem loco natali et cultura addit monita. p. 37.

*) Huius epiſtolae verſionem Latinam et Germanicam, adiuncta praefatione, curauit Cel. IOH. CHRIST. DANIEL SCHREBER. Erlangae. 1771. 4. pag. 18. In praefatione plantas reliquas, ſenſitiuas dictas, breuiter indicat, et hanc Oxalidi propinquam eſſe; Cl. ELLISII coniecturam vero de fine irritabilitatis eiusdem dubiam et incredibilem eſſe, arbitratur.

XXI.

ANTONII STOERCK libellus de vſu medico pulſatillae nigricantis. Vindobonae. Typis Io. Thom. Nob. de Trattnern Caeſ. reg. aulae typogr. et bibliop. 1771. 8. mai. pagg. 61. cum praefatione et f.

Omnibus conſtat ſolertia Cl. Auctoris in diſquirendis plantis efficacibus ac minus vſitatis, quae a nobis indicatae ſunt in ſuperioribus; atque iam rurſus apparet ex experimentis, cum pulſatilla nigricante ad vſum eius medicum definiendum inſtitutis, quae breuiter hic Lectoribus tradamus.

p. 7. Praemiſſa itaque pulſatillae nigricantis, cuius iconem Cl. STOERCK addidit, deſcriptione ac differentia huius a pulſatilla vulgari, qua defloreſcente, illa floret, ideoque ſecunda appellatur, vſum medicum pulſatillae nigricantis officinalis *) definit, ac qualia inde parari queant remedia, docet.

p. 10. Tota planta, excepta eius radice, (nam omnes eius partes maſticatae, acrem, vrentem et diu remanentem ſaporem linguae inprimunt, ſola radix mitior eſt,) conſciſſa cucurbitae vitreae imponatur, atque affundantur octo partes aquae fontanae et appoſito capitello adiunctoque excipulo in balneo arenae ad medietatem abſtrahatur. Haec eſt WELLII pharmacopei Vindobonenſis aqua deſtillata pulſatillae nigricantis, maiorem in modum acris ac penetrans. Huius aquae reſiduum hic coxit, expreſſit, percolauit, atque ad extracti mollioris conſiſtentiam euaporauit. Hoc extractum linguae impoſitum primum leniter adſtringere videtur, dein pungentes dolores, ac tandem ardorem diu durantem excitat.

Ex

*) Anemone pratenſis LINN. ſyſt. natur. Tom. II. pag. 375. edit. vlt.

Ex hoc extracto confecit Noſter duos pulueres, quorum alter continebat extracti grana ſeptem et drachmam vnam, alter grana quatuordecim cum eadem ſacchari quantitate. Cl. STOERCK ipſe primi huius pulueris grana quinque ſumſit bis de die, ac dein grana decem ſine omni incommodo, praeter lancinantem dolorem in oculo dextro, in quo ante biennium magnam paſſus fuerat contuſionem. Noſter autem quotidie et viginti grana, ſine vlla turbatione functionum corporis, per quinque dies deglutiuit. Credidit itaque tuto et omni iure hunc pulverem poſſe exhiberi aegris, iiſque vnam, duas et tres drachmas quotidie cum fructu propinauit. Porro infuſum ex herba ſicca parauit, et drachmam vnam cum libra vna aquae in vaſe clauſo digeſſit, ac grati ſaporis cauſſa addidit ſaccharum. Atque huius infuſi et fortioris, additis nonnullis drachmis, imo vncia dimidia herbae, tres et quatuor vncias ter de die, ſine omni omnino incommodo tulerunt aegri. p. 11.

Tentauit quoque infuſum externe in foedis et ſordidis vlceribus cum optimo ſucceſſu; in tinea capitis autem inueterata cutis inflammabatur, caput vehementer dolebat, ideoque deſiit Noſter illud applicare. p. 13.

Rigiditatem brachii emaciati, poſt morbum rheumaticum relictam, in femina triginta et quinque annorum interno et externo huius remedii vſu iuuit. Primis diebus ex vſu eius vrina copioſe mittebatur, et leuis conatus vomendi aderat, caeterum nulla incommoda ſenſit aegra. p. 14.

Traité de l' apoplexie, paralyſie et autres affections ſoporeuſes, développé par l' experience. Auquel on a ioint deux diſcours latins ſur le prémier aphoriſme D' HIPPOCRATE et ſur le vingt troiſieme de la ſeconde ſection du meme Auteur. Par feu M. MARQUET, à Paris. 12.

Traité hiſtorique et prâtique des bains d' eau ſimple, d' eau de mer; avec un mémoire ſur la douche. Par M. PIERRE ANTOINE MARTEAV. D. M. Inſpecteur des eaux minérales etc. à Amiens. 12.

Rémarques ſur la critique d' un Anonyme contre le diſcours de M. RANNOW tenu à l' academie royale des ſciences, faites par ordre du collège royal de médécine de Stockholm. Par ROLAND MARTIN. à Stockholm. 8.

FERDINAND MARTINI *Unterſuchung der Frage, ob ausgetretenes Blut wieder aufgenommen, und den Trieben des Hertzens unterwürfig gemacht werden könne. Copenhagen.* 8.

Eiusd. Verſuche und Erfahrungen über die Empfindlichkeit der Sehnen. ib. 8.

A ſhort account of the waters of reſource near Valdagna in the Venetian ſtate. In a letter from ANTONIO MASSINI M. D. to Sir C. BUNBURG Baron. Translated from the Italian. London. 8.

Catechismus des Feldbaues, worinnen in Fragen und Antworten die Acker-und Wieſenbaukunſt zum Beſten des Landmannes faßlich und deutlich nach den Grundſätzen der Naturlehre und Erfahrung vorgetragen iſt, von IOHANN FRIEDRICH MAYER. *Franckf. am Mayn.* 8.

Eiusd. Fortſetzung der Beytraege und Abhandlungen zur Aufnahme der Land-und Hauswirthſcaft,

nach

nach den Grundſaetzen der Naturlehre und der Erfahrung entworfen. ib. 8.

IACOB DE MEILLEUR diſſ. inaug. de ſcorbuto. Monſpel. 4.

CHPH. IACOB MELLIN *von den Keichhuſten der Kinder, welcher in den Jahren* 1768 *und* 1769 *in Langenſalza herrſchte. Franckfurt und Leipz. 8.*

Diſſertation latine et françoiſe ſur la génération et transformation des inſectes de Surinam, des Indes, de l' Amérique et de l' Europe, dans laquelle on traite des vers, des chenilles de ce pays, des plantes, fleurs et fruits dont ils vivent etc. par M. MARIE SIBILLE MERIAN. Nouvelle édition beaucoup plus complette que la précédente. Ouvrage qui peut faire ſuite à tout ce qui a paru ſur l' hiſtoire naturelle, en 4 grands volumes. à Paris. fol. c. f.

Avis aux meres ſur la petite vérole et la rougeole, ou lettres a Madame de * * * ſur la manière de traiter et de gouverner ſes enfants dans ces maladies: ſuivies d' une queſtion propoſée à M. M. de la ſocieté royale des ſciences de Montpeiller, rélativement à l' inoculation, par M. I. I. MENURET. à Lyon. 8.

IO. IACOB MEYER *Pfarrers in Vorpommern. Auflöſung der Preiſsfrage: Wie kömmt es, daſs die Oeconomie bisher ſo wenig Vortheile von der Phyſic und Mathematic gewonnen hat? Berlin.* 4.

IO. FRIEDR. MEYERS *chymiſche Verſuche zur naehern Erkenntniſs des ungelöſchten Kalchs, der elaſtiſchen und electriſchen Materie des allerreinſten Feuerweſens, und der urſprünglich allgemeinen Saeure. Nebſt einem Anhange von den Elementen. Neue verbeſſerte Auflage. Hannover. 8.*

Mémoire ſur l' épidémie, qui a regné aux environs de ſaint Quentin. Par M. VON MITTAY MIDI Doct. en médécine. à Paris. 8.

Obſervations on the prevailing diſeaſes of great Britain, together with a review of thoſe of formerperiods and in other countries. By JOHN MILLAR. M. D. Lond. 4. mai.

An eſſay on the weather, with remarks on the ſhepherds of Banburg roules for iudging of its changes; and directions for preſerving lives and buildings from the fatal effects of lightening. Intended chiefley for the uſe of husbandmen. By JOHN MILL. ib. 8.

A botanical dictionary; or elements of ſyſtematic and philoſophical botany containing deſcriptions of the parts of plants, and explanation of the ſcientific terms uſed by MORISON, RAI, TOURNEFORT, LINNAEUS, and other eminent Botaniſts; a Brief analyſis of the principal ſyſtems in botany, a critical enquiry into the merits and defects of the Linnaean method of arangement and diſtribution of the Genera, deſcriptions of the various tribes, or natural families, of plants, their habit and ſtructure, virtues, ſenſible qualities and oeconomical uſes. An impartial examination of the doctrine of the ſex of plants, with a diſcuſſion of ſeveral curious queſtions in the vegetable oeconomy connected with Gardening. The whole forming a complete ſyſtem of botanical knowledge, calculated for the uſe of ſtudents in that ſcience. By COLIN MILNE Reader on botany and natural hiſtory in London. Lond. 12.

Remarks

Remarks upon the mortality of the horned cattle, translated from the Low - Dutch, of SAL. DE MONCHY. M. D. ib. 8.

A treatiſe on mineral waters By DONALD MONRO M. D. ib. 8. Vol. I. II.

Mémoires ſur la nature, les effets, propriétés et avantages du feu de charbon de terres, apprêté pour être employé commodément, économiquement et ſans inconvénient, au chauffage et à tous les uſages domeſtiques; avec figures en taille douce, par M. MORAND. à Paris. 12.

IO. GOTTF. MORGENBESSERS *zweytes Schreiben an ſeine Zuhörer, nebſt einer Anzeige ſeiner Vorleſungen. Breſslau.* 4.

PETR. MOSCATI delle corporée differenze eſſentiali che paſſano fra la ſtruttura de bruti e la umana. In Milano. 8. mai.

IO. ANDR. MURRAY prodromus deſignationis ſtirpium Gottingenſium, cum figuris aeneis. Gotting. 8.

LEONARD. MUS diſſ. inaug. ſiſtens rationalem methodum curandi et praecauendi quosdam mammarum muliebrium laeſam lactationem concernentes morbos. Duisburg. ad Rhen. 4.

Mémoire ſur la culture des pommes de terre par M. le Chevalier MUSTEL; faiſant ſuite au mémoire ſur les pommes de terre. à Paris et à Rouen. 8.

Diſſertatio de qualitate noxia aeris in noſocomiis et carceribus eiuſque remediis, quae duplum praemium academiae regiae ſcientiarum et artium Lugdunenſis reportauit. Auctore ALEXANDRO PETRO NAHUYS, Harlem. 8. mai.

Verhandeling over de ſchaadelyke hoedanigheid der lugt in de Gaſthuizen en gevangeniſſen, benevens derzelvs hulpmiddelen, welke de dub-

belde prys van de koniglyke academie der weetenſchappen te Lyons behaald heeft, door ALEXANDER PETR. NAHUYS. te Haarlem. 8. mai.

FRANC. XAVIER NATTERER *Beſchreibung des Heilbrunnens über Leuck, durch D.* FRIEDRICH SALOMO SCHOLL. *Aus dem frantzöſiſchen überſetzt. Sit.* 12.

IO. ERN. NEUBAUER diſſ. de epiploo oſcheocele, cuius receptaculum peritonaei mentiebatur proceſſum, teſtem et epididymidem ſimul continentem. c. fig. aeneis. Ien. 4.

ANT. NICOLAI Pathologie *oder Wiſſenſchaft von Krankheiten. Zweyter Band. Halle.* 8.

ADAM. NIETZKI diſſ. inaug. de vomitu periodico a cephalaea periodica orto, caſu quodam illuſtrato. Reſp. *J. J. Warburg.* ib. 4.

L' art des expériences, ou avis aux amateurs de la phyſique ſur le choix, la conſtruction et l' uſages des inſtruments; ſur la préparation et l' emploi des drogues, qui ſervent aux experiences, par M. l' Abbé NOLLET. à Paris. 8. Vol. I. II III.

The marine practice of phyſic and ſurgery particularly uſefull to all who viſit the Eaſt and Weſtindies and the coaſt of Africa. Vol. I et II. By WILLIAM NORTHCOTE. Lond. 8. mai.

Icones plantarum ſponte naſcentium in regnis Daniae et Noruegiae, in ducatibus Sleſuici et Holſatiae et in comitatibus Oldenburgi et Delmenhorſtiae: ad illuſtrandum opus de iisdem plantis, regio iuſſu exarandum, florae Danicae nomine inſcriptum. Editae ab eius operis auctore GEORGIO CHRIST. OEDER, Volumen tertium continens faſciculos VII. VIII et IX. ſeu tabulas CCCLXI. - DXL. Hafn. fol. c. f.

G. C. OEDER enumeratio plantarum florae Danicae, i. e. ſponte naſcentium in regnis Daniae et Noruegiae, ducatibus Sleſuici et Holſatiae, comitatibus Oldenburgi et Delmenhorſtiae. ib. 8.

Two diſſertations defended in the public ſchools at Cambridge. I) The knowledge of anatomy is not principally neceſſary to the practice of medicine. II) The deformities of the fetus do not ariſe from the imagination of the mother. To which is added a Florilegium medicum: or extracts from the greek of HIPPOCRATES with a new latin translation, notes, and emendations. By THOMAS OKES, M. D. Cambridge. 8.

Eiusd. duae diſſertationes in publicis ſcholis Cantabrigiae habitae 1) praxi medicinae non eſt apprime neceſſaria ſcientia anatomica. 2) fetuum deformitates non oriuntur ab imaginatione praegnantis. ib. 8. mai.

Mélanges hiſtoriques et critiques de phyſique de littérature et de poeſie. Par M. le Marquis D' ORBESAN. à Paris. 4. Vol. I-IV.

ISAAC OTMANN, diſſ. inaug. de morbis virginum. Argentorat. 4.

Recréations mathématiques et phyſiques, par M. OZANAM. Nouvelle édition. à Paris. 8. Vol. I-IV.

P. S. PALLAS *Naturgeſchichte merkwürdiger Thiere, in welcher vornehmlich neue und unbekannte Thierarten, durch Kupferſtiche, Beſchreibungen und Erklaerungen erlaeutert werden. Aus dem lateiniſchen überſetzt von* D. ERNST GOTTFRIED BALDINGER. *Zwote Sammlung. Berlin und Stralſund.* 4. *mai.*

P. S. PALLAS dierkundig mengelwerk, in het welke de nieuwe of nog duiſtere zoorten van dieren door naauwkeurige afbeeldingen, beſchryvingen en verhandelingen opgehelderd worden. In het Latyn beſchreven. Vertaald en met aanmerkingen voorzien door P. BODDAERT. Medic. Doct. Oudraad der Stad Vliſſingen. VI. Stukken. Te Vterecht. 4.

Eiusd. ſpicilegia zoologica, quibus nouae inprimis et obſcurae animalium ſpecies iconibus, deſcriptionibus atque commentariis illuſtrantur. Faſciculus VIIIvus. Berolin. 4. c. fig. aen.

SIM. PALLAS *practiſche Anleitung die Knochenkrankheiten zu heilen zum Gebrauch ſeiner Zuhörer. Berlin und Stralſund.* 8.

Continuazione del ſaggio di nuove oſſervazioni e ſcoperte di NATALE GUIS. PALLUCCI. In Fiorenze. 8. i. v.

Traité méthodique et dogmatique de la goutte. Par M. PAULMIER, à Paris. 12.

Idea natri Hungariae veterum nitro analogi. Auctore GABRIEL. PAZMANDI. Vindobon. 8.

DAV. PERELLET, diſſ. ſiſtens caſum de carie oſſium cum epicriſi ſubiuncta. Argentorat. 4.

The rational farmer or a treatiſe on agriculture and tillage. By MATTH. PET. NEWPORT. Lond. 8.

Briefe über verſchiedene Gegenſtände der Staatswirthſchafts-Polizey und Moral von IOHANN ALBRECHT PHILIPPI. *Berlin.* 8.

* * PICARDS *Abhandlung vom Waſſerwägen mit neuen Beyträgen, von* I. H. LAMBERT. ib. 8. *m. K.*

Briefe eines Arztes an ſeinen Freund, über den menſchlichen Körper, von D. ERNST PLATNERN. *Erſter Band. Leipzig.* 8.

ERNEST

ERNEST. PLATNER progr. invit. hiſtoria literario chirurgica lithotomiae mulierum. ib. 4.

IOSEPH. IACOB. PLENCK, *Sammlung von Beobachtungen über einige Gegenſtände der Wundarztneykunſt. Zweyter Theil. Wien.* 8.

CHRISTOPH. POLHEMS, *Commercienraths, Ritters und Commandeurs des Nordſternordens patriotiſches Teſtament; oder Unterricht von Eiſen, Stahl, Kupfer, Meſſing, Zinn und Bley für diejenigen, welche von dieſen Materien Manufacturen anlegen wollen. Nebſt einem Verzeichniſſe aller ſeiner mechaniſchen Erfindungen. Aus dem Schwediſchen überſetzt. Grätz.* 4. mai. (ſ. a.) (Haec verſio facta eſt a DAN. GOTT. SCHREBER.)

Traité méthodique de la goutte et du rhumatiſme, ou l' on enſeigne d' après l' expérience, les vrais moyens de ſe délivrer et de ſe préſerver de ces maladies; Par M. PONSART, Docteur en mèdecine, à Paris. 12.

Hiſtoire de l' anatomie et de la chirurgie, contenant l' origine et les prógrès des ces ſciences; avec un tableau chronologique des principales découvertes, et un catalogue des ouvrages, d' anatomie et de chirurgie, des mémoires académiques, des diſſertations inſérées dans les iournaux et de la pluspart des theſes, qui on été ſoutenues dans les Facultés de médecine de l' Europe. Par M. PORTAL, Lecteur du Roi et Profeſſeur de médecine au collège Royal de France. Tom. I. II. III. IV. V. à Paris. 12. mai.

PERCIVALL POTT, *Abhandlungen von dem Waſſerbruche und andern Kranckheiten der Hoden, ſeiner Häute und ſeiner Gefäße. Mit vielen Fällen erläutert. Nach der zwoten verbeſſerten und viel vermehrten Ausgabe überſezt, von* IOHANN CLEMENS TODE. *Copenhagen.* 8.

Hiſtoi-

Hiſtoire des maladies de S. Domingue par M. POUPPE DESPORTES, Médécin du Roi. Tom. I et II. à Paris. 12.

Eiusd. traité ou abrégé de plantes uſuelles de St. Domingue. Tom. III. ib. 12. (*Eſt continuatio praecedentis libri.*)

Nouveau traité des vapeurs, ou traité des maladies des nerfs, dans lequel on développe les vrais principes des vapeurs. Par M. PRESSAVIN, à Lyon. 12.

A familiar introduction to the theory and practice of perſpective. By IOSEPH PRIESTLEY. L. L. D. F. R. S. Lond. 4. c. f.

An account and method of the cure of the bronchocele or Derby-neck; to which are ſubioined Remarks on ſome parts of Mr. ALEXANDER'S experimental eſſays. By THOMAS PROSSER. ib. 8.

Irrthümer, Warnungen, und Lehren, welche das Publicum in Anſehung der practiſchen Arztneykunſt betreffen. Zweytes Buch. Entworfen von F. R. R * * *Deſſau.* 8.

Avis aux meres, qui veulent nourrir leurs enfans. Par Mme LE R * * Séconde édition augmentée. à Paris. 12.

Meteorologiſche Beobachtungen vor das Jahr 1770. *worinnen ſo wohl die Barometer als Thermometerhöhen, ingleichen die Wind-und Wetterveränderungen, nebſt der Höhe des gefallenen Regenwaſſers täglich zu drey verſchiedenen malen aufgezeichnet worden, durch* IOH. GEORGE RABE, *Rath und Profeſſor der Mathematik und Naturlehre bey dem* Gymnaſio Carolino *zu Anſpach. Anſpach.* 4.

Von Erhaltung der Kinder von dem erſten Augenblick ihres Entſtehens an, bis zu ihrer Mannbarkeit.

Aus

Aus dem Franzöſiſchen des Herrn D. RAULIN. *Zweyter Band. Leipzig. 8. mai.*

L' art de convertir le fer forgé en acier. Par M. de REAUMUR. à Paris. 4.

CAROL. FRIDERIC. REHFELD diſſ. inaug. de lentarum pulmonum obſtructionum geneſi ac diagnoſi, Rſp. *Chr. Stanislav. Grümbke.* Gryphiswald. 4.

Avis important au ſexe, ou eſſai ſur le corps baleines. Par M. REISSER. à Paris. 12.

Iſtruzione ſulla cultura e preparazione della garanza dal Sign. IOS. MARIA PIO REVELLI. Turin. 8.

Hiſtoire naturelle de l'air et des météores. Par M. l' Abbé RICHARD. Tom. VI. à Paris. 12. mai.

CHRIST. RICKMANN *von der Unwahrheit des Verſehens und der Hervorbringung der Muttermahle durch die Einbildungskraft. Jena.* 8.

CHRIST. FRIEDR. RICHTER, *Beantwortung der in Wittenberger Jntelligenzbogen eingerückten wahren Prüfung und Beſcreibung der Richteriſchen Arztneymittel. Halle.* 8.

AUGUST. GOTTL. RICHTERI obſeruationum chirurgicarum faſciculus primus, continens de cataractae extractione obſeruationes, Regiae ſcientiarum ſocietati Gottingenſi exhibitas. Gotting. 8. c. f.

IO. BAPTIST. ROBERT. diſſ. inaug. de ventriculi vulneribus. L. B. 4.

ISAAC ROCH, diſſ. inaug. de conuulſionibus iuuenem decuſſatim diſtorquentibus. Argent. 4.

FRANC. IGNAT. ROETTEL diſſ. inaug. de vitis cultura Molsaemenſi et Mutzigenſi. ib. 4.

A philoſophical inquiry into the nature and proprieties of water, with elegans copper-plates figures of the ſeveral ſalts. By IOHN ROHTERAM. Newcaſtle. 8. mai. c. f.

Iour-

Iournal de médécine, chirurgie, pharmacie. Par M. A. ROUX. Tom. XXXII-XXXIV. à Paris. 8.

An eſſay on the cure of ulcerated legs without reſt. By WILLIAM ROWLEY. Lond. 8.

Manuel de pulmoniques, ou traité complèt des maladies de la poitrine, ou l' on trouve la théorie la plus naturelle, les regles de pràtique le plus ſimples et le plus ſûres pour combattre les maladies de cette cavité. On y a ioint une nouvelle méthode de réconnoître ces mêmes maladies par la percuſſion du thorax. Traduit du latin de M. LEOPOLD AVENBRUGGER. Par M. de ROZIERE DE LA CHASSAGNE. Doct. en médecine. à Paris. 12.

Les abeilles, traité de IEAN RUCÇELLAI avec des notes et ſuivi d' un traité de l' éducation de ces inſectes. Par M. PINGERON. ib. 12.

IO. PHILIPP. IULIUS RUDOLPH, progr. de tumore cancroſo ſingulari amputatione feliciter ſanato. Erlang. 4.

A diſſertation on the ſpaſmodic aſthma of Children in a letter to Dr. MILLAR. By BENJAMIN RUSH Med. Doct. and Profeſſor of Chemiſtry in the college of Philadelphia. Lond. 8.

A chronogical hiſtory of the weather and ſeaſons and of the prevailing diſeaſes in Dublin. By IOHN RUTTY. M. D. ib. 8. mai.

Reliqua proxime.

Con-

Contenta in hac parte.

		Pag.
I	Medical obſeruations and inquiries by a ſociety of phyſicians in London. Vol. IV.	387
II	COTTUNNIUS de ſedibus variolarum	411
III	Traité des accouchémens par M. DELEURYE	420
IV	An enquiry into the nature, riſe and progreſs. of the fevers moſt common in London. By GRANT.	424
V	SCHREBERI de phaſco obſeruationes	440
VI	EIUSDEM ſpicilegium florae Lipſicae	444
VII	SAGAR ſyſtema morborum ſyſtematicum etc.	448
VIII	RAHN diſſ. inaug. de miro inter caput et viſcera abdominis commercio	451
IX	Mémoires de l' academie de Diion. Tom. I.	457
X	BOLTEN epiſt. de nouo quodam zoophytorum genere	466
XI	GAUBII aduerſariorum varii argumenti liber vnus	468
XII	MÜLLNERS *ſeltne und höchſtmerckwürdige Wahrnehmung von einer ſamt dem Kinde ausgefallenen Gebährmutter etc.*	480
XIII	IACQUIN examen chemicum de acido pingui et de aere fixo reſpectu calcis.	481
XIV	CRANZ de acido pingui et de aere fixo	484
XV	WIEGLEBS *Vertheidigung der Meyeriſchen Lehre vom* acido pingui etc.	489

Pag.

XVI WELLS *Rechtfertigung der Blackiſchen Lehre von der figirten Luft etc.* 492

XVII BUCHOLZ *chymiſche Verſuche über das Meyeriſche* acidum pingue 494

XVIII THOUVENEL de corpore nutritiuo et de nutritione 496

XIX Hiſtoire naturelle générale et particulière Tom. XVI et XVII. ou hiſtoire naturelle des oiſeaux. Tom. I et II. 503

XX Directions for bringing over ſeeds and plants etc. it de Dionaea muſcipula. By ELLIS 526

XXI STOERK de pulſatilla nigricante 530

XXII DRUMMONDI de febribus arcendis diſcutiendisque commentarius 535

XXIII Noua phyſico medica 537

XXIV Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1770 prodierunt. 547

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XVIII. PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXXIII.

APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud
Briaſſon, Venetiis apud I. B. Paſcali, Patauii apud Io. Manfrè,
Holmiae apud L. Saluium.

I.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche maatſchappye der weetenſchappen te Haarlem XII. Deel. Te Haarlem by I. Boſch 1770. 8. Alph. 1. pl. 14½ tab. aen. 10.

i. e.

Commentarii ſocietatis ſcientiarum Harlemenſis ad annum 1770. Tom. XII.

De ſtructura et vſu vrachi commentatio. Auct.
1. Cl. ANT. PORTAL Medic. Prof. Monſpel. ex Francogallico translata a Cl. L. BLIKKER. Relicto Auctorum, qui ſuper hac re ſcripſerunt, diſſenſu, diſquirit Noſter; 1) ſtructuram vrachi omni aetati conuenientem, cum eius mutationibus, quas paulatim ſubit. 2) cauſſas eius inueſtigat, ex quibus vſum determinet. 3) demonſtrat, quo morbo ipſe vrachus a naturali ſua forma per morbum deflectat, quibus obſeruationes, quae huc ſpectent, adiicit. Conſtat vrachus in fetu quinque vel ſemeſtri quatuor filamentis, ita inter ſe complicatis, vt ab vmbilico ad veſicam fere vſque vrinariam continua ſibi videantur. Hic pedis anſerini ad inſtar a ſe ſece-

dunt filamenta, quorum duo partibus lateralibus
adhaerent, duorum reliquorum alterum anterio-
rem, alterum poſteriorem eius partem tangunt.
Iunguntur veſicae vrinariae ita, vt ſuperius eius te-
gumento non adhaereant, inferius vero cum fibris
muſcularibus firmiter connectantur. Filamenta
haec in toto ſuo tractu obuoluuntur tunica cellu-
lari peritonei, quae, fundum veſicae tegens, prolon-
p. 9. gata, vaginam mentitur, cui *tunicae vaginalis* nomen
tribuit. Forma vrachi ex hac deſcriptione patet
triangularis, cuius apex vmbilicum, baſis vero fun-
dum veſicae reſpiciat; fundi ſuperior pars libere
haeret in ſpatio iſto, quod ex receſſu filamentorum
vrachi formatur, cum vrachus infundibulo longo,
anguſto tamen ventre reſpondeat. Continet inter-
dum tunica iſta vaginalis humorem, quo cellularis
tunica diſtenditur, et vrachus ipſe ampliatur. In-
p. 11. ter fibras muſculares ibidem duo detexit ſpatia va-
cua, quae reſponderent receſſui partis inferioris vra-
chi, quae ex receſſu fibrarum muſcularium orta ex
ſolo textu cellulari conſtarent. Eadem Cel. LIEU-
TAUD in aliis locis tunicae muſcularis veſicae inue-
nit *). Accidit, vt in his ſpatiis membrana inter-
na veſicae dilatetur, et herniam veram formet, quas
in tribus infantibus et viro triginta quinque ſex an-
norum clare reperit. **)

p. 14. Vrachus in fetu octimeſtri vel in maturo nouem
menſium a priore non differt, niſi vt filamenta eius
paullo longius inter ſe ſuperius, inferius fibris muſ-
cularibus veſicae coniungantur, vt difficile ſeparen-
tur: ſint paulo craſſiora, magis elaſtica, nullo vero
cauo inſtructa, tunicae eius arctius adhaereant, ex
quo ſuperficies eius inferior minor euadat. Rarius
in

*) Mémoires de l'Academie Royale des ſciences année
1752. v. comm. noſtr. Vol. VI. p. 650.

**) vid. ib. année 1701.

in hac humor deprehenditur. Filamenta haec iam paullatim magis cum fibris muſcularibus et tunica eius firmius coniunguntur, ita, vt concreſcant, et vrachus ſeorſim decreſcat, cuius in ſenio interdum non, niſi veſtigia detegantur. Ex iis, quae examinavit, cadaueribus aſſerit Noſter, vrachum, quo propior fetus ad partum fuerit, eo maiorem fuiſſe. Hinc etiam vſum, quem habeat vrachus in fetu, determinat, quod fluctuantem veſicam firmet, ne ea, ob anguſtam cauitatem peluis, extra ſedem idoneam prolabatur; qui vero vſus in infantibus ceſſat. Cum enim veſica vrinaria tum aliam ſedem aliamque faciem accipiat, vrachus etiam mutetur neceſſe eſt; hinc filamenta coeunt et ligamentum verum formant. Vrinam, in quibusdam aegris per vrachum excretam, ex ſuperioribus declarat cauſſis: quibus patuit, duo inueniri ſpatia vacua, ex quibus etiam vera hernia oriatur. His itaque in veſica praeſentibus, impedimento vero vrinae, per viam naturalem excernendae, obiecto, eam hac praeternaturali via excerni non improbabile videtur. Haec exemplo quodam declarat. *Bartholomaeus Roſſignot* chirurgus Cahuzacenſis, aetate 82 annorum, vita laborioſa, qua etiam multum equitauerat, peracta, dolores vehementer in pene et vrethra vagos ſenſit, vt etiam vrina, quo minus excerneretur, impediretur. Medicamentis diureticis fruſtra tentatis, cerei applicati ſunt absque leuamine; vrina potius diebus nonnullis poſt per vmbilicum excreta videbatur, vt etiam tunc per vrethram exire plane ceſſaret. His ad ſextum menſem durantibus aeger obiit. Secto cadauere, Noſter canalem coniformem, ab vmbilico ad veſicam vſque tendentem, detexit, cuius diameter ad vmbilicum tertiam partem digiti, ad veſicam vnum et ſemi digitum, longitudo vero ſex digitos aequauit. Veſica collapſa paruo pomo reſpon-

p. 18.

p. 20.

p. 25.

reſpondit, cuius tunicae admodum craſſae, collum valde durum et rugoſum ; exitus vero plane clauſus erat. Veſicam vrinariam ita collapſam deprehenſam eſſe, Cl. Auctori notatu digniſſimum videtur.

p. 31. 2.) *Commentatio de praeparatione et vtilitate pulveris hypnotici, cum adiecta curationis hiſtoria, vigiliae chronicae, vſu huius pulueris leuatae.* Auct. Cl. SAMUEL CHRIST. KRIEL. Cl. IACOBI *) puluerem commendauit, qui, ex regno minerali praeparatus, hoc haberet praecipui, vt ſomnum naturalem produceret, dolores compeſceret, nec iis ſymptomatis, quae opium ſequerentur, ſtipatus eſſet. Hunc igitur pulverem, quo obſcuriores Noſtro videntur Cl. Auctoris et deſcriptio, et praeparatio, eo paulo ſtudioſius inveſtigare ſuum eſſe duxit, quo paullo clarius et partes eius conſtituentes, verum praeparandi modum, nec non, quas Cl. IACOBI aſſerit, declararet virtutes.

p. 34. Iam adhibuit aquae calcis viuae libras duas, ſalis tartari, vel cinerum clauellatorum vncias duas, florumque ſulphuris vncias quatuor; haec in phialam immiſſa, igne in balneo arenae eo vſque tractauit, quo flores ſulphuris euoluti aſcenderent; His frigefactis, ouaque corrupta redolentibus et per filtrum colatis, donec colorem pellucidum aureumque oſtenderent, adiecit mercurii viui puriſſimi vncias duas, quam deinde totam maſſam in cucurbitam vitream immittens, ſpiritus nitri fumantis vncias quatuor, vel quantum ad extinctionem mercurii ſatis eſſet, ſuperimpoſuit : Priore tum ſolutione ſalſa florum

*) vid. T. I. Act. nou. Academ. Caeſar. in appendice p. 165. ſeq. vbi I. C. IACOBI diſſertatio *de viribus hypnoticis, a minerali regno haud alienis* inſerta legitur. vid. comm. noſtr. Vol. VII. p. 153.

florum ſulphuris in vas, ex porcellana confectum, repoſita, alteram mercurii ſolutionem ſenſim inſtillans, maſſam inſtrumento quodam agitauit, quo eo melius miſceretur: hinc ſub qualibet guttula efferueſcentiam ortam, pulueremque nigrum praecipitatum vidit; efferueſcentia vero ceſſante, requieuit Noſter, et, cum omnia iuſte ſeparata viderentur, liquidum a puluere praecipitato prudenter, vt decet, ſegregauit, pulueremque aqua pura eo vſque edulcorauit, donec nullum ſaporis ſalſi veſtigium relinqueretur, tandemqne eum in aere vel ſole, calorem ſani hominis non ſuperante, exſiccauit, et in mortario vitreo bene tritum ad vſum ſuum repoſuit.

Ex liquido ſalſo, iuſte ad pelliculam euaporato, p. 36.
cryſtallos, nitro regenerato vere ſimiles, obtinuit. Puluis noſter cum aethiope minerali conuenire videtur, niſi vt color eius ruber ſit paulo obſcurior, odor vero ad narcoticam indolem accedat. Hunc puluerem Cl. IACOBI deſcriptioni ex omni parte reſpondere, per ſequentem hiſtoriam morbi probari
aſſerit Noſter. Quinquagenarius macilenti habitus, p. 37.
proceraeque ſtaturae, ſtudiis admodum vacans, doloribus capitis pertinaciſſimis, grauibusque ſaepius affectus eſt febribus. Noſtrum d. 15. maii 1769 conſulens, de vigilia iam per annum continua, nullis medicamentis, nec opio ipſi de cente, quaeſtus eſt. Nam abſque leuamine hactenus, venaeſectionibus, pediluuiis, clyſmatibus, laxantibus, ipſoque opio capiti externe applicato, cum diluente et frigidiore diaeta vſus eſt. Cum nulla, nec anamneſtica, nec diagnoſtica adeſſent ſigna, ex quibus ad cauſam proximam vigiliae concluderet, eam haud imprudenter ex doloribus praegreſſis vehementiſſimis capitis de-
riuauit. Tentauit primum ſcrupulum ſemis huius p. 41.
pulueris pro doſi, ante quam cubitum iret, ſumendum, cum effectu bono, nec tamen conſtanti; duplicem

deinde propinauit doſin, et aeger, ſymptomatis omnibus ceſſantibus, optima fruitus eſt ſanitate. Comparat porro Noſter puluerem hunc cum opio, cui virtute ſua praefertur, et demonſtrat tandem ex ipſa particularum conſtituentium indole modum, quo puluis in corpus noſtrum agat.

p. 45. 3.) *Commentarius ſuper agricultura Brabandenſium et Vlamiagarum emendata.* Auctore Cl. IOSUA VAN IPEREN.

p. 121. 4) Tractatus *de praeparatione olei animalis* DIPPELII Auct. Cl. B. TIEBOEL, pharmaceuta Groningenſi. Cum oleum hoc non vbiuis, quo medicus iuſte vtatur, habeatur; methodus vero praeparandi apud Auctores ſit varia, ſuam, qua eiusmodi oleum bonae notae confecit, communicat Noſter. Quo modo Cl. DIPPELIUS oleum hoc praeparauit, patet; eum vero falſo huius inuentorem dici, ex eo conſtat, quod ante eum Cel. HELMONTIVS eius iam meminerit *). Omiſſis vero Auctorum, quorum catalogum Noſter infert, de hoc oleo ſententiis, praeparandique eius modo, tres communicat proceſſus, quibus hoc oleum vario modo idem produxit.

p. 135. Olei cornu cerui foetidi vncias ſex poſt aliquot dies, cum nihil amplius fundum peteret, tum tribus vel quatuor partibus aquae tepidae commiſcuit, et per viginti quatuor horas leni calori, vbi quauis hora maſſam agitaret, expoſuit. Aqua hac poſtmodum ſeparata, aliam ſuper infudit eodem procedendi modo; oleum tum in retortam ope tubuli metallici immiſit, ne tubulus collum retortae tangeret. Retorta deinde in balneo arenae locata recipienteque cum luto bene applicato, altero die deſtillationem leuiſſimo gradu ignis incepit. Primo guttulas rori-

das

*) vid. Aurora medicinae.

das in collo retortae: deinde minima ſpicula ſalis volatilis vel in collo retortae, vel ad orificium recipientis vaſis, vel denique in eius interna ſuperficie vidit. Tria olea ex quolibet proceſſu habuit: primo oleum dilute flauum cum liquore vrinoſo: deinde, alio vaſe recipiente applicato, ſub eodem gradu ignis tres et ſemi vncias olei paulo purioris accepit; iam vero igne maiore admoto, nouo excipulo applicato, oleum craſſius ſenſimque nigrius aſcendit, reſiduo craſſo aſphalti ad inſtar vnciarum trium fere relicto. In altero proceſſu oleum ſecundum, in retortam infuſum, in balneo arenae denuo deſtillauit: primo oleum tenue flauum cum liquore vrinoſo prouenit; alterum purius excolor ad tres circiter et ſemi vncias, et tertium colore paulo clariore cum primo et tertio oleo primi proceſſus commiſcuit. In tertio proceſſu olei ſecundi duas et ſemi vncias in puram retortam cum eadem quantitate aquae purae immiſit, loco vero vaſis recipientis vitrum hypoclepticum, cuius figuram et deſcriptionem adiicit, applicuit, et leni tali deſtillatione ſupra duas vncias olei puriſſimi, fragrantiſſimi et pellucidiſſimi, ſine flauo colore vel alio ingrato odore accepit, quod deinde in lagenulas ad drachmam vnam prudenter ad vſum repoſuit. Annotationes tandem adiecit, quae plerumque ex proceſſibus iam patent; quo vero diutius oleum bonum ſeruetur, lagenulae plenae ſint oleo neceſſe eſt.

p. 138. p. 142.

5.) *Animaduerſiones phyſicae in vſum anthennarum inſectorum.* Auctore Cl. IOB. BASTER. De vſu harum anthennarum nondum auctores inter ſe conueniunt, alii enim organa genitalia, alii organon odoris, alii demum auditus illis tribuunt: qua de cauſa Cl. Auctor ſtudioſius paulo in hanc rem inquirens 1) ad ſtructuram formamque externam anthennarum; 2) ad

p. 147. p. 164.

2) ad magnitudinem; 3) ſedem; 4) ſitum et motum; 5) varietates anthennarum apud inſecta non ſolum vnius generis, verum etiam vtriuſque ſexus; 6) declinationem vel conuenientiam anthennarum in inſectis, quae vel in aere, vel in aqua, vel in terrae gremio viuant; 7) inter nam tandem earum attendit ſtructuram. Haec itaque omni, qua decet, examinauit diligentia. Ratione ſtructurae formaeque externae eas in octo, Auctore Ill. LINNAEO, diuidit ſpecies, quas fuſe ſatis exemplis iuſtis declarat. Reliquis momentis, ad quae praecipue attendit, exempla idonea applicat, ex quibus hoc colligit:
p. 176. 1) ſe anthennas in ſexu potiori maiores pluribuſque articulis obſeruaſſe, quam in ſexu ſequiore; 2) omnes fere admodum compoſitas, papilionum vero plurium valde ſimplices fuiſſe; 3) eas in papilionibus ad apices, in ſphinge in medio, et in phalaena ad initium craſſas inuentas eſſe; 4) quaedam inſectorum cum anthennis alimenta quaeſiuiſſe. Cum enim papilionum anthennis ſolutionem ſacchari affunderet, ſtatim linguam porrigi ad hoc arripiendum vi-
p. 178. dit; ex his tamen phaenomenis non ad vſum anthennarum concludere auſus eſt Noſter, niſi vt ſuſpicaretur, inſecta anthennis ſuis vim exercere, quae a noſtris organis ſenſoriis plane differat, nec ideo vnquam a nobis detegenda ſit. Adiicit tandem Cl. Auctor duas tabulas aeneas, in quarum priore inſecta ea varia, quorum in tractatione ſua meminit, cum ſuis anthennis; in poſteriore vero eas ſeparatim microſcopio delineatas oſtendit.

p. 189. 6) Tractatus *de variolis veris, eundem aegrum iterum adgreſſis.* Auct. Cl. GUALTH. VON DOEVEREN. Inueteratum fere praeiudicium, *hominem non niſi ſemel variolis veris affici poſſe*, adgreditur Noſter 1) ex propria experientia; 2) ex aliorum, fide digno-

rum

rum obſeruationibus; 3) ex indole contagioſa variolarum in eos, circa aegros varioloſos verſantes, quamuis variolas iam perpeſſi ſint; 4) ex ipſis variolis, homini plus vna vice eodem contagio communicatis; et 5) demum ex vniuerſali natura et conuenientia aliorum morborum contagioſorum cum variolis. Contigit Noſtro, vt variolas, aegrum bis p. 192.
inuadentes, in ipſa ſua vxore obſeruaret. Ea enim d. 15. aug. 1759. cum primipara eſſet, a contagio, tunc valde graſſante affecta, variolas veras et fere confluentes, bene ſuperauit, cum relictis earum, in facie praecipue, veſtigiis, puella vero iis ſuccubuit: Nec in vrbe quisquam fere fuit, quin hoc ſciret. Anno 1768 d. 8. decemb. cum ſextum fetum feliciter peperiſſet, bene quidem ſe habuit, niſi vt interdum leni inſultu febrili, cum debilitate afficeretur. Die 16 ſymptomata variolarum contagio non graſſante perſentiſcebantur, febris nimirum grauis cum horrore, dolore capitis, axillarum lumborumque cet. ad 18 d. durantibus; eruptione nunc vero quadam praeſente, ſymptomata omnia ceſſarunt. Non ſatis ad eam, cum variolas ſpurias eas ſuſpicaretur, attentus fuit; verum diebus quibusdam poſt veras, diſtinctas eas obſeruauit, ſuppuratio in facie non perfecta erat; quae vero in brachio, in dorſo, et lumbis conſpiciebantur iuſtam ſuam ſcenam ludebant, vt de veris variolis dubitatio ſupereſſet plane nulla. D. 24, cum ſuppuratio ad ſtatum perueniſſet, Cll. CAMPER, GUMMER, BRILL, SWYGHUISEN, qui aegram ante nouem annos etiam obſeruarunt, et GEUNS acceſſere ad aegram, qui omnes variolas iſtas veras iudicarunt. D. 28 exſiccabantur et 3 demum ian. 1769 omnes deciderunt cum relictis ſuis veſtigiis. Obiectionem ſibi factam, infantem p. 200.
nimirum, matris aegrae lac ſugentem, aeque ac reliquos duos infantes, circa matrem obuerſantes, a

variq-

variolis liberas fuiſſe, ita ſoluit, vt variolae, contagio non graſſante, non ita facile plerumque infantulis communicentur, nec liberi hi ad contagium ſuſcipiendum recte diſpoſiti fuiſſent, cum Noſtro eorum patre vterentur, in aetate 71 annorum nondum variolas perpeſſo.

Alterum exemplum Noſter habuit in puero, novem annorum, ad quem d. 13 m. 1759, contagio valde ſolemni, accerſeretur. Ex ſymptomatis Noſter ad variolas concludit, quas parentes ideo negabant, cum aeger anno 1754 variolis veris, auctoritate et cura Cl. EDING laboraſſet, quarum etiam veſtigia in facie detegeret. Hinc antifebrilibus, antiphlogiſticis, cet. fruſtra propinatis, diebus quatuor poſt variolae admodum copioſae eruperunt, quae, ſcena iuſta ſua finita, aegrum ſaluum reliquere.
p. 203. Tertium exemplum a Cl. SWYGHUISEN, ſtrenuo aduerſario contagii varioloſi iterum reuerſuri, Noſtro communicatum, quod adeo manifeſtum fuit, vt Auctor iſte, praeiudicio ſuo abiecto, non amplius de contagio reuerſuro dubitaret. Totum deinde catalogum Auctorum fidiſſimorum refert, ex quibus idem patet, variolas poſt contagium naturale aeque, ac artificiale, eundem aegrum iterum invaſiſſe. Porro ex experientia, quam bonis confirmat exemplis, conſtat, contagium hoc et aegrorum corpus totum inficere, et partes quaſdam, quas contagium immediate tangat, aggredi.

p. 221. Nec minus hoc patet ex exemplis eiuſmodi, copioſiſſimis, vbi infantes contagio varioloſo vix liberati, vel poſt primam eruptionem alteram, vel ter-
p. 226. tiam, per quaedam interualla experiuntur. Cum variolae cum aliis morbis contagioſis admodum conueniant: hi vero homines plus vna vice inuadere ſoleant, non dubitandum videtur et hoc de variolis affirmare. Probatur hoc exemplis ab hydrophobia

phobia, morbo miliari, peſte humana aeque, ac bovina, petitis. Ex adiectis tandem, quae appoſuit Noſter, patet, homines per inſitionem magis ad variolas ſubeundas diſponi, quam per contagium naturale: vel eos, qui a contagio naturali per omne vitae tempus liberi fuiſſent, ex inſitione variolas experiri. p. 233.

7) Commentatio de *vtilitate et damno, ex inſtrumento vario modo facto, redundantibus* Auct. Cl. N. YPEY. p. 243.

8) Obſeruatio *) *de fundo vteri inuerſo amputato et curato, cum idoneis adnotationibus* a Cl. G. MULLER. M. D. Appingedamenſi. Puerpera, partu feliciter abſoluto, extractione ſecundinarum grauiſſimis ſymptomatis afficiebatur. Vrina poſt partum nulla excreta, Noſter partem placentae, in vagina ad corpus quoddam rotundum adhaerentem, extraxit, quo facto vrina quotidie efflueret; aluo vero clauſa, nec vllis adminiculis ſoluenda, corpus, in vagina relictum, diſquirens id in parte anteriore amplius, vaginam exacte occludens, in parte poſteriore anguſtius, totum vero, membrana tenui glabra obuolutum et fere indolens inuenit, ita, vt de vteri fundo inuerſo non amplius dubitaret. Excretionibus poſtmodum aluinis et vrinariis, quae rurſus ceſſarent, clyſmatibus et cathetere promotis, aegra melius ſe habuit, cum corpus hoc ſenſim imminueretur et orificium poſſet detegi, et digiti iuxta collum corporis carnoſi in vterum poſſent immitti, vſque dum aegra, ex lecto iterum ſurgens, hoc corpus ad labia pudendorum prolabi ſentiret. Iam Cl. Auctor ad operationem acceſſit. Corpus ipſum pyrum p. 257. p. 261.

*) Societati haec obſeruatio communicata eſt a Cel. van DOEVEREN.

pyrum inuerſum cum petiolo mentiebatur, cui ope
catheteris muliebris filum argenteum methodo Cel.
LEVRET circumduxit,quod ad partem,vbi dolor ſenti-
retur, vſque attraxit, hoc per aliquot dies continuato,
corpus ſenſim ſub ligatura delapſum eſt, vbi, fluido
ſeroſo putrido promanante, reliqua pars vteri ſen-
ſim ſenſimque aſcendit, ſymptomata ceſſarunt, et
p. 267. aegra recte conualuit. Ex phaenomenis, quae ob-
ſeruauit Noſter, patet fuiſſe *inuerſionem vteri imper-*
fectam, non vero *ſarcoma*, quod paucis diebus ante
operationem ſuſpicatus erat. Nam 1) ex parte
placentae relicta conſtat, ex imprudentia obſtetricis
malum hoc ortum ſuum duxiſſe; 2) corpus hoc car-
noſum non diu puerperio poſt ad oui gallinacii ma-
gnitudinem vſque imminuebatur; 3) erat intus ca-
vum membrana polita obuolutum; 4) tandem femi-
na haec plethorica, optima ſanitate inſtructa, flu-
xum catameniorum, ante morbum, iuſto tempore
celebratum non amplius, quamuis infantem non la-
p. 270. ctet, experitur. Audaciam operationis Cl. Auctor
ex eo defendit, quod de inuerſione vteri non per-
ſuaſus ad ſuſpicionem ſarcomatis peruenerit, et ſub
finem emendationem fili argentei, quo encheireſis
perficitur, adiecit.

p. 275. 9) Obſeruationes et adnotationes *ſuper frigus*
menſe ianuario 1768. Auct. Cl. I. C. PALIER.

p. 291. 10) Animaduerſiones *de iuſto tempore, loco et*
modo, partes demortuas amputandi, a Cl. IACOB VAN
DER HAAR. Ex diſſenſu Auctorum partes gangrae-
na, ſphacelo vel quacunque labe demortuas ampu-
tandi, cum alii partem in ipſo progreſſu gangrae-
nae abſcindi velint, alii, medicamentis antiſepticis
interne adhibitis, hoc naturae relinqui malint, col-
legit Noſter, iuſtum tempus, locum et modum de-
termi-

terminandi operae pretium omnino eſſe. In neutram vero partem abit; medicamentis potius roborantibus, antiſepticiſque antea datis, naturae viam, cum iam demortua pars a ſana abſcedere videatur, ſequi, eamque tunc amputare Cl. Auctori prudentius videtur. Iam ſtudioſius methodum ſuam de- p. 305.
ſcribit: 1) operationem non in aegro et debili, ſed in emendato et in robuſtiore corpore tum praecipue, cum in altero latere eminentia quaedam in ſana parte conſpiciatur, inſtituendam eſſe; 2) partim demortuam ad vnam, duas vel tres lineas a parte vere ſana cultro et ſerra abſcindi debere; 3) hoc in vulnere, per tempus iam quoddam ſuppurante, parua ſuperficie, eminentibus marginibus fieri praeſtare, vnde nouum vulnus ad ſuppurationem ſine noua inflammatione, cito peruenturum eſſe ſperari poterit; 4) ad operationem non niſi cultrum aptum et ſerram, paruum faſciarum apparatum requiri; 5) nec ligatura arteriarum opus eſſe, neque haemorrhagiam inde metui, cum trunci maiores arteriarum iam paulo ante demortui, retracti et occluſi videantur; 6) cutim iam ante operationem attractam, tunicam adipoſam et muſculos trunco firmiter adhaerentia, iam propullulante humore lymphatico, ex vaſis minimis oſſi ſano firmius accreſcere ſolere; 7) ſuppurationem magnam ex tali methodo vix metuendam eſſe; 8) Et vulnus hoc multo minus, aegro non ita dolorificum, breuiusque quam aliis encheireſibus, eſſe ſanabile. 9) Hanc methodum naturae conuenientiſſimam eſſe, nec, cum aliis partibus ſimul proſpiciendum ſit, plethoram eſſe metuendam; 10) tandem, ſi pes circa ſuras abſcindatur, hoc commodi inde redundare, vt bene poſſit truncus pedi artificiali applicari. Adiicit p. 317.
Noſter etiam exempla, quibus eluceat, naturam interdum ipſam, ſine arte partes deſtru-

ctas

ctas a ſanis abſque omni noxa abſcedere ſolere.

p. 334. 11) Tractatio *de noua demonſtratione, quae ſit proportio magnitudinis a-b ad indeterminatam potentiam n.* Auct. Cl. I. H. VAN SWINDEN.

p. 359. 12) Commentatio *ſuper tres ſpecies arcuum coeleſtium alborum* a Cl. IO. FLORENTIO MARTINET.

p. 373. 13) Commentarius *de duobus admodum magnis oſſibus, ad aggerem Bommelenſem repertis* a Cl. I. C. PALIER. Accepit Noſter, cum d. 14 febr. 1757 ſtagnum Maaſenſe (*Maas-dyk*) iuxta pagum HEDEL ad *aggerem Bommelenſem* (Bommeler-waard) fines ſuos tranſiret, duo admodum magna oſſa, ſub radices aggeris hactenus haud dubie contenta, vi vero aquae iam in terram deiecta. Alterum erat, ex mente Cel. CAMPERI, os femoris ex elephante, ad libras 40, et 41 pollices Rheinlandicos longum, in extremitate altera 28, in altera 21 et in medio 16 pollices in peripheria craſſum. Color eſt ex rubro brunnus et ſplendens; diaphyſis valde dura; in altera extremitate multae paruae apophyſes poroſae, in altera magna poroſa cauitas, 12 pollicum perimetro conſpiciuntur. Alterum erat vertebra thoracis duarum et dimidiae librarum, 27 digitorum in ambitu, cum cauo duorum digitorum et duarum linearum in diametro, colore paullo flauiore.
p. 379. Tres quaeſtiones mouet Noſter 1) ad quamnam partem corporis haec oſſa pertineant? quam Cel. CAMPER, qui haec oſſa in muſeo ſuo ſeruat, ſoluit; 2) ſic et alteram, ad quod animal pertineant? ipſe ita diluit, vt ad elephantem referret 3) quaerit porro: an ex elephante eſſe poſſint? Academia ſcientiarum Pariſienſis oſſis femoris, ex elephante

Regis,

Regis, qui diſſectus eſt, longitudinem ad 2 pedes et nouem digitos refert *); cum hac vero deſcriptione haec omnino conuenire videtur. Icon, qua vertebra delineata conſpicitur, adiecta eſt.

14) *Effectus fulguris ſolius in naue triremi anno* p. 391.
1749 *cum adnotationibus communicati a* WILLHELMO MAY. Cum effectus fulguris ſaepiſſime in acu magnetica conſpiciantur, ita, vt a ſua directione manifeſte declinet: Noſter hanc declinationem in vndecim acubus magneticis, in hac naue praeſentibus, ex vnius fulguris effectu diſtincte obſeruauit, cum aliae verſus orientem, aliae occidentem, et aliae verſus alia loca directae eſſent, nec vlla iuſtam directionem ſervaret. Hanc rem eruditorum diſquiſitioni vlteriori tradit Noſter, cum omnino operae pretium ſit, hanc declinationem rectius determinare, cuius commoda in rem nauticam redundarent non vulgaria. Praemiſit relationem mutationum, ex effectu fulguris in naue oriundarum, ex quibus patet, fulgur circa corpora ſpatium vacuum effeciſſe, quo aer fixus, compedibus ſuis ſolutus, hos inſignes effectus prodidit.

14) *Deſcriptio anatomica tetrodonis laeuis compreſſi*, Zonneviſch **). Auct. Cl. MARTINO p. 413.
DOMSMA, chirurgo Amſtelodam. Piſcis hic captus, 200 circiter librarum erat, formà fere rotunda, attamen lata non craſſa: cutis aſpera multo tenaci muco praedita, colore albo coeruleo, et ita firma

*) LINN. Syſtema Nat. P. I. p. 448.

**) LINN. Syſtem. Natur. P. I. p. 410. a quo ad amphibia refertur et dicitur. *Tetrodon mola laeuis compreſſus cauda truncata, pinna breuiſſima dorſali analique annexa.* HOUTTYN *Natuurlyke hiſtorie*, Tom. VIII. P. I. *Molenſteenviſch.*

firma duraque, vt inſtrumentis vix cederet. Roſtro (*ſnuit*) eſt inſtructus magno, valde duro abſque pinnis narium, ſub quo os paruum rotundum conſpicitur, quod intus duobus magnis cartilagineo-oſſeis clauditur maxillis. Ab hoc non longe diſtant duo oculi magni, bouis magnitudinem ſuperantes, firmis oſſeis orbitis incluſi, magna copia albi, tenacis, pinguedinoſi humoris praediti, et extus tenui membrana, ex ipſo oculo oriunda, praecluſi. Poſt hos oculos oblique deorſum duae branchiae duplices, non ita magnae conſpiciuntur. Poſtea pinna magna, ad piſcis vero magnitudinem parua detegitur. Dorſo valde duro et aſpero gaudet, abdomine latiore, inuenitur iuxta anum admodum magna nigra pinna, ſingula verſus caput angulum rectum faciens. Pone has pinnas anus, ſemicirculo ad ſingulam pinnam vergens ambitu inciſo, nulloque fere motu inſtructus.

p. 417. Duae coſtae magnae oſſeae a roſtro ad dorſum et anum vſque procedunt. Diſſecto piſce, ſubſtantiam eius Noſter fere totam cartilagineam, praecipue circa anum, inuenit. Conſpiciebantur in ore duae tonſillae ſuo loco, aculeis acus ad inſtar inſtructae, inter has glandulas tenuis membrana, ex conuolutis vaſis, facile explicandis erat. Branchiae internae magnae erant et cartilagineae, ſub quibus in quolibet latere os firmum iugale apparuit. In pectore detectum eſt cor magnum, ad duas partes muſculoſum, et vnam album, ex ſubſtantia, piſcibus propria (*viſſig*) cum magnis cauis firmiſque membranis. Lumina vaſorum cordis digitum aequabant, cor ipſum pericardio craſſo et firmo, parum liquoris continente, cingebatur. Diaphragma, eo ex corpore hominis craſſius, maximam partem tendineum erat; adhaeſit ei cum firmo ligamento hepar magnum, colore flaueſcente, membrana firma

pellu-

pellucida inſtructum. In medio eius magna vaſa biliofa et ſanguifera cum vaſis lymphaticis egregie conſpiciebantur; ſubſtantia vero hepatis adeo mollis erat, vt, membrana ſeparata, in maſſam flaueſcentem oleoſam conflueret. Adfixa erat ſuperficiei eius concauae veſicula fellea, cum bile intus contenta, adeo craſſa, vt cultro diſcindi poſſet. Bilis ipſa peculiari tenui membrana, vt vitellus oui, circumdata erat. Inteſtina craſſitiem bouinorum aequarunt, tunicae inteſtini (vnum tantum eſſe videbatur) ſemi digitum craſſae et admodum firmae erant, villoſa valde rugoſa eſt: excrementa intus non, niſi vermis longus, flauus, planus et tenax, aderant. Ventriculus ſuperior tantum inteſtini pars dilatata, nec adeo magna videbatur. Spatium a faucibus ad ventriculum quatuor manus replebant, quod oeſophagum Noſter vocat. Valuulae in inteſtinis non; verum firmus ſatis, muſculoſus conſpiciebatur ſphincter ani. Tunicae veſicae vrinariae admodum firmae erant, quae magnam vrinae copiam intus continebat. In latere ſiniſtro ſub diaphragmate ren magnus, rubicundus, ſpongioſus, multis vaſis conſpicuis detectus fuit. Bulbus oculi corneus fere totus, a cuius parte poſteriore neruus opticus valde longus et tenuis conſpiciebatur, ex quo rami in muſculos oculi abierunt; muſculi vero erant magni firmi, maximam partem tendinei, praeter hos ramos nerueos alios etiam ramuſculos accipiebant. Tunica coniunctiua magna eſt, multis vaſculis ſanguiferis praedita, ſuper mucum oculi antea deſcriptum tendebatur; cornea admodum craſſa et dura, ſed pellucida fuit: iris immutabilis et magna. Tunica ſclerotica valde nigra, craſſa et admodum ſplendida, facilis ſeceſſu. Retina tandem egregie in conſpectum prodibat. Cryſtallinus humor prae reliquis eminebat, firmius cohaerens, et rotundus erat. p. 420.

erat. Magna gaudebat pelluciditate, obiecta, ad inſtar microſcopii, ad duas tertias maiora repraeſentabat. Reliqua Cl. Auctori ſtudioſius diſquirere non licuit. Adiecta eſt icon eiusdem piſcis.

15) *Obſeruationes meteorologicae Zwanenburgenſes ad annum* 1769.

Obſeruationes et relationes ſocietati communicatae.

p. 3. 1) Obſeruatio *ſingularis piſcis marini, circa tropicum cancri, detecti* a Cl. IOSUA VAN IPEREN. Abſque vlteriore examine, et ſine omni diſſectione anatomica deſcribit Noſter tantummodo locum et modum breuiſſime, quibus monſtrum hoc marinum conſpiciebatur. Nomen ei in commentariis piſcis albi (*witviſch*) inditur, ob album ſplendidumque colorem.

p. 6. 2) Relatio *de variolis ante partum.* Auctore EODEM. Vxor Cl. Auctoris grauida duos liberos, variolis affectos, abſque omni incommodo curans, infantem ſanum quidem, in quo tamen veſtigia variolarum conſpicerentur, peperit. Paulo ante partum, vbi fetus abſque dubio laborauit variolis, anxia fuit.

p. 8. 3) Relatio *de infante absque manu dextra nato, in cuius loco paruula manus in latere dextro pectoris conſpiciebatur.* Auctore Cl. ADRIANO WOLFF. Deſcriptionem eius antea accepit Noſter a chirurgo quodam perito. Natus eſt hic infans d. 13 dec. 1765 ſine manu dextra: clauicula cum ſcapula firmiſſime cohaeſere ſine vllo motu: eminet ex earum coniunctione ſurſum apophyſis quaedam oſſea, carne et integumentis obducta, pollicem alta, et digitum craſſa. Oriunda eſt infra papillam mammae paruula manus intra duas coſtas. Corpus intra coſtas, et reliquum manus extra pectus conſpiciuntur:

tur: palma verſus ſiniſtrum latus cum manu ipſa eiuſque digitis, oblique porrectis, vergunt. Praedita eſt vno pollice, duobus digitis et vno paruo, praeter digitum vnum nihil deficere videtur. Digiti, phalangae et manus ipſa moueri, a ſe deduci et patiebatur, et infans ipſe haec mouere poſſe videbantur. Sanus praeterea erat. D. 12 maii 1760 Noſter eum ipſe examinans nihil peculiaris, niſi manum hanc herpete inquinatam, et omnem eius motus ſpontanei defectum, obſeruauit. Adiecta eſt icon.

4) Obſeruatio *deglutitionis difficilis.* Auctore Cl. S. BRUGMANNS. Aeger 51 annorum boni corporis habitus, multis annis deglutitione difficili laborans, tandem obiit. Cadauere aperto Noſter ſarcoma oui gallinacei circa cardiam inuenit, multo humore mucoſo corrupto cinctum adeo, vt ſiniſtra pars ventriculi, ab eo infecta, gangraenam iam oſtenderet. Subſtantia ſarcomatis non cohaeſit amplius, poterat digitis conteri. Hic tumor abſque dubitatione cauſam deglutionis impeditae proximam dedit. Aliud ſarcoma in fundo ventriculi ad oui anſerini magnitudinem detexit cum multis carunculis carnoſis. Reliqua ſana, quamquam aliquo modo mutata videbantur. p. 13.

5) Continuatio *tranſitus difficilis ingeſtorum per oeſophagum.* Auctore EODEM. Aeger 56 annorum ſanus, niſi vt a iuuentute iam ad vomitus ſpontaneos, ſine alio incommodo diſpoſitus eſſet, decem hebdomadas ante mortem difficultatem deglutiendi circa cardiam ſenſit, quae in dies creſcens aegrum adeo vexauit, vt fluida tantum poſſet ingerere, materiam ſaepius copioſam tenacem, mucoſam et foetidam euomeret, ſymptomatiſque grauiſſimis torqueretur, quibus tandem, appetitu omni et ſapore perditis, tabe emaciatus ſuccubuit. Multas carun- p. 18.

 culas

culas exulceratas, materia putrida corruptaque plenas, ad cardiam inuenit Noſter, quibus tota pars inferior oeſophagi infecta et gangraena deſtructa fuit, quin imo ipſum diaphragma circa foramen oeſophageum cum adiacentibus partibus ſimili labe inquinata erant. Materia quoque copioſa putrida, nigra in ipſo ventriculo paruo cum variis ſarcomatibus exulceratis detecta fuit.

p. 21. 6) Obſeruatio *duorum infantum, ex vna grauida alterius ſeptendecim dies poſt alterum partorum* a Cl. HENDRIK DE BOSCH. Femina 30 annorum d. 22 aug. 1767, puellam ſanam pariens, ex lochiis mammiſque lacte turgidis ceſſantibus, et ex abdomine ſatis tumido aliisque incommodis alium fetum, in vtero hactenus relictum, habere videbatur. Motum, in abdomine ab obſtetrice perceptum, Noſter non, niſi abdomen tumidum potuit detegere. Cum eidem nihil ſuaderet, decem diebus poſt officiis ſuis fungebatur, vſque d. 7 ſept. alium ſanum filium pareret. Cognouit ex matre, ſe ad medium fere grauiditatis tempus catamenia obſeruaſſe. Puella mortua eſt; filius vero bona hactenus valetudine fruitur. Adiicit poſtea Cl. Auctor ſimiles obſeruationes aliorum auctorum, vt inde pateret, hoc phaenomenon ſingulare eſſe.

p. 30. 7) Obſeruatio *diabetes, paucis diebus letalis.* Auctore Cl. HERM. GER. OOSTERDYK. Vir, 52 annorum, firmo et robuſto corpore, multis negotiis occupatus, copioſa emiſſione vrinae per 14 dies vexatus, d. 23 mart. 1768 Noſtrum conſuluit. Cauſſa eius ex relatione aegri Noſtro obſcura, ei cereuiſiam fortem, rubrum vinum cum mixtura condenſante, adſtringente parumque aluminoſa ſuaſit. Sed haec aeque ac doſis poſtea duplex fruſtra fuere ; nec pilulis mucilaginoſis roborantibus conducentibus ; diabete potius cum aliis ſymptomatibus, debilitate in-

inprimis, continuo increſcentibus paulo poſt, cum intra viginti quatuor horas decem circiter lagenas vrinae excreuiſſet, nec, dum duas non ingeſſiſſet, inter ipſam miſſionem vrinae placide exſpirauit.

8) Relatio *de peculiari inteſtini voluulo.* Auct. Cl. C. A. KLOEKHOF. Vir, 40 annorum, duro labori vitaeque generi adſuetus, tribus vel quatuor abhinc ſeptimanis dolores abdominis vagos ſentiens, iisque, in progreſſu morbi increſcentibus, et in duobus abdominis lateribus, praecipue circa vmbilicum fixis redditis, nec vllis remediis ab iisdem liberatus ſexto die obiit. Aperto cadauere, partem inteſtini ilei, profunde iacentem, ad ſex digitos admodum inflatam, coloris ſeueri rubri, ſuperius ligamento plano anguſto ita conſtrictam vidit Noſter, vt digitum vix poſſet transmittere. Proceſſus vermiformis ſupra cum hoc inteſtino per tunicam pinguedinoſam concretus erat. Hic proceſſus tandem laqueum quaſi formabat, in quo inteſtinum ileum ad confinia coli inuolutum haeſit. Potu vero ſpirituoſo hoc inteſtinum plane obſtructum fuit, poſt hanc coanguſtationem inteſtini cauitas naturalis erat, vermem quendam in ſe continens. In eiuſmodi itaque morbis dolores non tam in latere adfecto, quam potius circa vmbilicum percipiuntur. p. 37. p. 39.

9) Annotationes *ſuper effectus inflammationis inteſtini* ab EODEM. Vir, 50 annorum, euacuante ex ialappa adhibito, nec poſt eius euacuationem aluo aperta, cibisque non facile digerendis aſſumtis, vehementiſſimos dolores colicos percepit, ſub quibus tertio die poſt obiit. Cadauere poſtero die aperto, flatus ſummo cum impetu ex abdomine admodum tumido prorupere foetore ingratiſſimo: copia poſtmodum humoris flaui pellucentisque, cum purulenta materia commixti, effluxit. Inteſtina tenuia flatibus et eiusmodi humore ita diſtenta erant, vt p. 41.

 etiam,

etiam, apertura in iis cum acu facta, non collaberentur. Ileum inprimis gangraena deſtructum erat. Colligit ex his 1) ad ſuppurationem non tam ſolida, quam potius fluida requiri, nec ſemper ad eius geneſin deſtructione minimorum vaſorum opus eſſe: patere hoc ex ſuppuratione, in internis vel externis membranis vaſculoſis oborta; 2) ex inflammatione pulmonum et pleuritide, iam in ſuppurationem abitura, magnos, auctore HIPPOCRATE, oriri dolores; eos vero ad partem ſopiri, ſi pus e pectore, via ſibi parta, erumpat; 3) ſuppurationem, quarto die poſt inflammationem vel etiam tardius vulgo creditam, interdum citius oriri poſſe, ſi maior vel minor eius diſpoſitio adſit, praeſertim cum inflammatio in robuſtis citius generetur, quam effectibus ſuis appareat: hinc fallaciam dierum criticorum patere. 4) Inteſtina, flatibus ita diſtenta, vt vulnere, in abdomine facto, prorumpant, nec vlla vi reponenda, flatibus ſuis, per inflictam acum vel alio acuto inſtrumento, non liberari, niſi acus ad hunc finem iuſte adaptatae ſint, citiuſque poſſint applicari.

p. 46. 10) Commentatio *de cultura turfi, et regeneratione minimorum ſurculorum, prouti in* Langſtraat *inveniantur.* Auctore I. ZEILMANN, mercatore Roterodamenſi.

p. 58. 11) Relatio *ſingularis partus, per nonnullos annos occulti.* Auct. Cl. I. BRUGMANNS. Femina 48 annorum, magnos inter dolores et foetorem, oſſicula nonnulla et membranas fetus, quem ante ſex fere annos vtero geſſerat, ano excreuit. Catameniis poſtea iuſte fluentibus, obſtructione paulo poſt vrinae, inter magnos dolores hypogaſtrii et inteſtini recti, cathetere liberata, fragmenta oſſea fere omnia ano depoſuit, vt ſymptomata ſtatim inde cederent. Intra hoc tempus iterum grauida filium ſanum, adhuc

viuum

viuum, enixa eſt. Colligit ex his, fetum hunc forte tubarium fuiſſe.

12) Relatio *de inuerſione vteri.* Auct. EODEM. Femina 29 annorum plethorica menſe iunio 1760 filium ſanum peperit; ſecundinis ab obſtetrice extractis, vterus inuertebatur, vt magnam partem extra pudenda propenderet. Hoc nulla arte reponendo, vrina non niſi catheteris ope, fluxit. Ad hunc vſque diem debilis quidem, ſed et ſana viuit, catamenia iuſto tempore celebrans. p. 62.

13) Communicat Cl. DAN. RADERMACHER *quotidianas mutationes inſitionis variolarum, in ſe ipſo* 1769 *obſeruatas.* Quae hic occurrunt, ſunt phaenomena, quouis die conſpicua. Adiicit porro inſitiones variolarum a Cl. TEN. HAAF, in Cll. VINK, patre et filio, eodem cum ſucceſſu inſtitutis. Addit tandem rationes, cur has relationes communicauerit, quae fere omnes in laudem inſitionis vergunt. p 65. p. 89.

14) *Chorea St. Viti per electricitatem curata.* Auctore Cl. MAX. IAC. DE MAN. Puella 10 annorum, rigiditate in muſculis colli, qua caput verſus humerum dextrum tenderetur, poſt febrem miliarem relicta, omnia tandem phaenomena oſtendit, quae choreae St. Viti attribuunt, cum voce impedita: quam Noſter per electricitatem ſic curauit, vt anguſtam laminam auream, cuius extremitatibus ligamentulum ſericeum annexerat, ceruici applicaret, vt ita ligamenta ad labia poſſent coniungi atque firmari; alteram eiuſmodi laminam inferius ſpinae dorſi apponeret, ei vero catenas cupreas adiungeret. Hac methodo, per ſex circiter ſeptimanas continuata, ita, vt ter vigeſies operationem adhiberet, aegra prorſus reſtituta eſt, cum quotidie, et poſt quamlibet operationem et imminutionem conuulſionum, et emendationem vocis ſentiret. p. 91.

p. 105. 15) Relatio *ſingularis in oculo ſiniſtro ſymptomatis* Auct. Cl. IOB. BASTER cum annotationibus Cl. HOFFMANN. Radiis ſolis d. 23 dec. 1764 vehementer reflexis, oculus Cl. Auctoris ſiniſter ita afficiebatur, vt tribus diebus poſt, ſine externa mutatione, obſcuritas in eo quaedam naſceretur, quae ſenſim aucta, lenteque cryſtallina albeſcente, poſtea flauo virideſcente reddita, in verum glaucoma poſt annum degeneraſſe videretur. Huic, ſuaſore Cel. ALBINO, nihil opponens d. 23 iunii 1768, cum ſoli ſe nimium expoſuiſſet, ophthalmia eiusdem oculi afficiebatur, qua breui, iuſtis medicamentis, liberatus eſt. D. 29 iunii ſubito oculum cum doloribus tumere ſentiens, emunctis naribus, ſummos et intolerabiles intra ſexageſimam paſſus eſt dolores. Sanguis poſtea ex naribus et oculi canto interno effluxit, quibus melius ſe habuit. Sanguis, e vena miſſus, craſſa conſpiciebatur cruſta inflammatoria. Faſcia comprimente poſt ſex horas deligata, glaucoma, cum nonnullis membranis et ſanguine grumoſo, extra corneam ruptam, palpebrae inferiori p. 110. adhaerere videbatur. His, vt decet, tractatis, humoribusque effluxis, bulbus ita reſtitutus eſt, vt oculum artificialem bene poſſet applicare. Cl. HOFFMANN, exemplis fere eiuſmodi praemiſſis, effectum hunc radiorum ſolis in membranam retinam et fibras ciliares explicare anniſus eſt.

p. 116. 16) Epitome literarum a Cl. PALIER ad ſecretarium ſocietatis *circa ſingulare ouum venti* (Windei) miſſarum. Repertum eſt hoc ouum in nido gallinae, quod, vti ex adiecta icone apparet, duo, ſibi per funiculum connexa, repraeſentare videtur oua, cum tamen vnicum ſit, et in altero vitellus, in al- p. 118. tero vero albumen contineatur. Monſtroſa adiicitur maxilla cum alueolo, in quo, icone delineatus, dens repertus eſt.

20) Com-

17) Communicatur *ſingulare meteoron*, a Cl. I. FLOR. MARTINET *obſeruatum*, cuius icon adiecta eſt. p. 119.

18) Obſeruatio *cometae, in capite bonae ſpei menſibus aprili et maio* 1766 *inſtituta* a Cl. HS. EKSTEEN. p. 121.

19) Obſeruatio *de exitu veneris ex diſco ſolis, Batauiae d.* 4. *iunii* 1769 *in obſeruatorio inſtituta*, a Cl. IOH. LAUR. MOHR. p. 123.

20) Obſeruatio *de exitu Mercurii ex diſco ſolis, d.* 10 *nou.* 1769 *ibidem facta*, ab EODEM. p. 131.

21) Deſcriptio *partium genitalium praeternaturalium viri cuiusdam in xenodochio Zwollenſi, cum adiecto inſtrumento vrinam excipiendi et ſeruandi.* Auct. Cl. IO. VELTKAMP. *Io. Ioele* 28 annorum, firmi corporis habitus et mediocris ſtaturae ab ineunte aetate ad ſexum ſequiorem relatus, a quo etiam nomen accepit; a Noſtro, cum barba nigra prodiret, omnibuſque fere riſum moueret, examinatus eſt. Vmbilicum non iuſto loco, ſed ad oſſa pubis muſculis abdominalibus a naturali via aberrantibus, oſſibusque pubis non ſibi inuicem annexis invenit, vbi herniam vmbilicalem mentiebatur, ſub quo duo aderant foraminula, quibus vrina effluxit. Subſequitur penis breuiſſimus cum glande parteque praeputii. Scrotum naturali maius in vtroque margine pilis ornatum, cum duobus teſticulis. Inter herniam et penem foramen detegitur, ex quo ſemen emittit. Valde trahitur ad ſexum ſequiorem. Haec figura adiecta delineantur aeque, ac peculiare inſtrumentum, in quod vrina excipitur, ibidem per tempus ſeruatur, et tandem canali excernitur. Compoſitum eſt ex tenui lamina cuprea, et continet vrinae vnius ponderis quantitatem. p. 135. p. 136.

II. *Neue*

II.

Neue Bemerckungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundarztneykunſt und Medicin von IOHANN CHRISTIAN ANTON THEDEN, *Königl. Preuſsl. dritten Generalchirurgus, Regimentsfeldſcheer des hochlöbl. Artilleriecorps und Mitglied der Römiſchkaeyſerlichen Academie der Naturforſcher. Berlin und Stettin bey Friedrich Nicolai,* 1771. 8. *Seiten* 208. *ohne Zueignungsſchrift, Einleitung, Erklaerung der Vignette und Jnhalt.*

i. e.

Nouae annotationes atque obſeruationes, chirurgiam et medicinam ſpectantes. Auctore IOANNE CHRISTIANO ANTONIO THEDEN.

Multa lectu digna hunc librum, cuius ſolummodo ſummam indicare noſtri inſtituti ratio fert, continere, noſtrumque Auctorem, qui per triginta et quod excurrit annos, Boruſſicis copiis, vt medicus et chirurgus, inſeruiit, theoriam experientia accurata ac firma ſtabilitam hic tradere, ex ſingulis, de quibus videamus, intelligent Lectores. Ex introductione, quae huius inſtituti rationem reddit, vidimus, Cl. THEDEN operationes chirurgicas, quantum licet, non praeter ſummam neceſſitatem admittere; rurſus aquam frigidam ad inflammationes diſcutiendas, nec non ad alios externos morbos profligandos ex voto adhibuiſſe; pariter et medicamenta ſaturnina a GOULARDO *) laudata, iam diu ante eum vtiliter applicuiſſe.

In

*) v. comm. noſtr. prim. decad. ſupplem. I. p. 113.

In prima ſectione diſſeritur de magna vtilitate inuolutionum extremitatum cum faſciis. Vſus eſt iis Noſter cum felici ſucceſſu, venaeſectionibus male ſuccedentibus: porro in hydropicis affectibus, varicibus, in vlceribus phagedaenicis, in vulneribus atque contuſionibus, in aneuryſmate ſpurio, in gangliis; ac tandem ad ſedandos dolores, ſi operationes chirurgicae extremitatum inſtituantur. p. 1.

In laeſione tendinis muſcipuli bicipitis, ex venaeſectione minus bene ſuccedente orta, ac cum dolore ac inflammatione coniuncta, quid quod ſuppuratione, faſcias ita applicat: circumuoluit nimirum ſingulum digitum, faſcia vnum digitum lata ac vlnam dimidiam longa, tum longa faſcia cum ſpiralibus gyris inuoluit reliquam extremitatem ſuperiorem. Vulneri, ſi adeſt, linteum, vnguento albo camphorato illitum, imponit. p. 6.

Eadem ratione, addito interno reſoluentium, euacuantium et diureticorum remediorum vſu, quorum effectus, faſciis applicatis, inprimis validi erant, pertinaciſſima pedum oedemata, imo aſcitem Noſter ſanauit et hic exemplis illuſtrauit. p. 8.

Miramur porro vtilitatem inuolutionum, a Noſtro laudatam, in vulneribus puris ac contuſionibus. Quo validiores ſunt contuſiones, quo grauiora ſint vulnera eorumque ſymptomata, eo certiorem effectum ſalutarem exſpectat Noſter ab involutionibus, atque nonnullis quoque exemplis illuſtrat. p. 18.

Aneuryſma, per brachium totum diffuſum, ac poſt venaeſectionem relictum, inuoluto ſingulo digito et toto brachio vſque ad humerum per decem hebdomadas, diſcutiebatur vſque ad paruum nodum, qui, cum paululum increſceret inuolutionibus ſepoſitis, denuo inuolutus, quoque euaneſcebat. p. 20.

cebat. Omnino aneuryſmata putat melius faſciis coerceri poſſe, quam ſola compreſſione.

p. 28. Hae faſciae nec nimis laxandae, nec nimis tendendae: illud ſperatum effectum inanem reddit, hoc humorum motum nimium imminuit. Faſciae antea humectatae laxe ſunt imponendae, ac continuo ſunt humectandae. Iis enim ſiccatis, faſciae remittunt. Nullus locus ſit a faſciis liber. Quilibet enim locus, faſciis non tectus, tumet et dolet. Faſciis applicatis ceſſat dolor cum reliquis ſymptomatibus, atque tumor. Faſciae, tum relaxatae, denuo ſunt circumducendae et intendendae. Faſciarum porro ſit aequalis firmitas, alias locus, vbi faſcia laxius eſt applicata, dolet et tumet atque effectus non reſpondet votis. Quod ſi vero cutis vbique aequalem effectum in partibus, quas circumdat, ſentit, oſcillatio fibrarum et vaſorum augetur, affluxus arcetur atque extrauaſati humores diſcutiuntur et ad circulum humorum reducuntur. Quapropter nec abſonum Noſtro videtur, internis ſugillationibus abdomen inuoluere, ſi muſculi eius ita nimis debiles ſint, vt extrauaſatorum humorum receptioni nequeant inſeruire.

p. 29. In altera ſectione remedii topici, quod aquam vulnerariam ſeu ſclopetariam ſuam appellat Noſter, vtilitatem declarat, additque annotationem de repoſitione luxati brachii. Aqua haec compoſita eſt ex aquae acetoſae, ſpiritus vini rectificatiſſimi, ana libris tribus, ſacchari albi finiſſimi libra vna, ſpiritus vitrioli vnciis decem. Laudatur haec aqua in contuſionibus ac ſugillationibus, tumoribus, luxationibus et oſſium fracturis, in vulneribus cutaneis, in ſedandis haemorrhagiis, in aduſtis. Applicatur haec aqua vulneraria calide et frigide ac linteamina continuo ſunt humectanda, ne, iis ſiccatis, dolores orian-

oriantur. Relinquit haec aqua mucoſi quid in cute, quod aqua vegetominerali GOULARDI abluendum eſt, eamque interdum cum aqua vulneraria coniungit. Rurſus aquae vulnerariae, ſi nimis ſiccat, vnguentum nutritum, in aduſtis e. gr., iungit. De luxatis partibus reponendis nonnulla monet, ſuamque methodum deſcribit, quam vero hic tradere breuitas non permittit. Haemorrhagias ſedavit arterioſas, amputatione mammarum, teſticulorum, haec aqua. In aduſtis lenit dolores ac impedit ſuppurationem.

In tertia ſectione de ſedandis haemorrhagiis arterioſis ſine ligatura, amputatione peracta, extirpatione mammarum ac tumorum, caſtratione ad cavendos motus epilepticos, qui ſaepe per ligaturam excitantur, agitur. Praefert itaque Noſter ligaturae forcipique (*valet à batin ſ. bee à batin*) ſ. melius agarico, quem prorſus reiicit, ſimplicem arteriae deligationem cum copioſis linteis carptis atque pulvillis, emplaſtris glutinantibus, quoniam ſeſe arteria ipſa retrahit atque contorquet. p. 41.

Haemorrhagias itaque, caſtratione inſtituta, ſedat Noſter agarico, quoniam per ligaturam hic epilepticos motus, per totam vitam continuantes, excitatos vidit. His miſeris hanc operationem ſuadet: ſuperior teſticuli pars aperiatur, pars epididymidis ex annulo abdominali dependens ac cum vicinis partibus concreta ſeparetur, ac quantum licet, reponatur in abdomen. Ita tenſionem epididymidis ac nerui potiſſimum, a qua deriuat Noſter epilepſiam, quae ligatura excitatur, tolli poſſe cenſet. p. 52.

Exempla, hanc ipſam rem illuſtrantia, a Noſtro hic propoſita, cum breuiter repeti nequeant, Cl. Auctoris concluſiones tradamus, quae, ex his deriuantur p. 58.

vantur atque in eo cernuntur, vt haemorrhagiae non adeo periculoſae iam videantur ac antea, eaeque ſine ligatura tutius compeſci poſſint; porro vt euitentur epileptici motus, ligatura non admiſſa. Vndecim aegri a Noſtro ſunt caſtrati, omnes ſanati, nec vlla incommoda habent, de quibus conquerantur. Generationi inſeruiunt, et vir ob hydrocelen caſtrandus Cl. Auctori aſſeuerauit, ſe eſſe ad hoc opus generationis recte perficiendum aptiorem ac antea.

p. 59. In quarta ſectione ad haemorrhoides ſaccatas Noſter progreditur. Pertinent hae ad haemorrhoides coecas internas, quae ſaepe ſaccos ſ. nodos magnos ſiſtunt, ac in orificio ani apparent. Eiuſmodi tumores, niſi ſponte ſeſe aperiunt, ſuadet Noſter, ſine periculo exſtirpare, nec timet de fiſtuloſis incommodis.

p. 63. In quinta ſectione de haemorrhagia arteriae intercoſtalis laeſae ſedanda, ſine ligatura atque compreſſione a Noſtro diſputatur. Ob inflammationes atque mortem, quae ſecuta eſſe Noſter vidit, omnes methodos de ligatura arteriae intercoſtalis Noſter reiicit, inſimulque Cl. LEBERI *) methodum, quae Noſtro Cl. GERHARDI methodus emendata videtur. Ac ſuadet inſtrumentum, bis a Noſtro felici cum ſucceſſu adhibitum, vt folium myrti paruum formatum, ab vna parte acutum, ab altera parte autem obtuſum, quocum diſſecatur penitus arteria. Tum alio inſtrumento ſimilis formae ab vtraque parte autem obtuſo reponitur arteria ad pollicem fere dimidium ac linteis carptis ſeu agarico firmatur.

p. 65. In ſexta ſectione de inflammatione pedis, cartilaginibus vexatis agitur. Ligamenta capſularia in articulis, humoribus extrauaſatis in iis collectis poſſe

*) v. comm. noſtr. Vol. hoc p. 33.

poſſe feliciter aperiri, modo aeris acceſſus impediatur, ac tempus diſcuſſionis, maturationis et inciſionis bene diſtinguatur, probat Noſter exemplis.

In ſeptima ſectione laudatur vtilitas embrocharum in anchyloſi, ac varia de altitudine, a qua guttulas in laeſam partem cadere oporteat, ac de compoſitione illarum aquarum diſſeruntur. p. 71.

De vulnere capitis caeſo in oſſe occipitis cum fiſſura oſſis parietalis dextri, in ſectione octaua exemplum narratur, quod non ſanatum eſt; cui adiungitur aliud ſimile, quod trepanatione, duobus annis poſt laeſionem externam capitis feliciter adminiſtrata, ac lamella, quae ſeparata erat interne a cranio, atque durae matri impoſita, eiecta, prorſus ſanitati reſtituebatur. p. 73.

Nona ſectio pertractat trepanationem aliarum partium corporis humani praeter cranium. Putat enim Noſter hoc remedio, quod et in ſpina ventoſa atque carie oſſium adhibetur, et tum vti poſſe chirurgos, ſi globuli plumbei oſſa petierint, ac impreſſionem atque contuſionem effecerint. Perforandum enim tum locum contuſum atque impreſſum eſſe Noſter cenſet. p. 78.

De vnitate oſſium ſoluta, iis caeſis aut exfoliatis, decima ſectio obſeruationes tradit. Portione oſſis frontis abſciſſa, vulnus a Noſtro purgabatur, quo vnito, emplaſtris glutinantibus, puluillis ac faſcia capitali reflexa cum duobus capitibus firmato, intra octo dies aeger reſtitutus eſt. Item aeque feliciter, digito prorſus diſciſſo, Auctori ſucceſſit, relicta tamen eius rigiditate. p. 81.

p. 84. Sectio vndecima continet vulnus ſclopeti per genu, quod exfoliationem magni fragmenti oſſis femoris minabatur, a Noſtro per compreſſionem impeditam, ita, vt ſine inflammatione, ſuppuratione atque exfoliatione aeger ſanaretur.

p. 87. Cl. Auctor in duodecima ſectione in ſclopetorum vulneribus porro ſuadet, muſculis ſecundum longitudinem laeſis, eos ſecundum latitudinem diſcindere. Id quod exemplis, vbi muſculus deltoideus ac glutei fuerint laeſi, probat.

p. 91. In tertia et decima ſectione deligationem vulnerum ſclopetorum, proelio finito, perſequitur, ac ſuadet cum aliis emollientia ac dilatationem, quae, ſi opus, plane non eſt differenda, ac diſſuadet ſiccam atque ſpirituoſam deligationem.

p. 94. Quarta et decima ſectio continet remediorum ſaturninorum, a Cl. GOULARDO *) laudatorum, effectus ſalutares in inflammatione, diſcuſſione, ſuppuratione, ſcabieque. Nec non GOULARDI cereos Cl. Auctor longe praefert Darandianis. Quemadmodum autem Goulardiana remedia maxime vtilia cenſet Cl. Auctor: ſic ea non noua iudicat, vti ex ſuperioribus intelligitur, ac cum cautione adhibenda ſuadet.

p. 97. Quintae et decimae ſectionis ſumma in herniis incarceratis atque ſingulari omenti hernia cernitur. Laudat Noſter in iis cum aliis aquam frigidam atque glaciem, nec non hanc iuuaſſe obſeruauit, ſi illa inefficax fuerit. Applicuit per horam quater aquam frigidam, et vidit citos atque tardos effectus ſalutares, prout incarceratio diu ſiue breuiter durauiſſet.

De

*) v. comm. noſtr. prim. decad. ſupplem. I. p. 113.

De cartilagineis concretionibus in genu quaedam in ſectione decima ſexta leguntur. Oriuntur hae fortaſſe, vti Noſtro videtur, ex glandula preſſa, fortaſſe et ex aliis cauſſis. Suadet tum Noſter exſtirpationem huius tumoris, eamque duobus exemplis confirmat. Liberi aëris autem acceſſus, vulnere facto, omni modo eſt impediendus. Quam ob cauſſam patellae laeſae amputationem diſſuadet, atque minus huius operationis felicem euentum, quem Noſter vidit, ex liberi aeris acceſſu in vulnus deriuat. p. 106.

In decima ſeptima ſectione de doloribus, poſt fracturas oſſium in corpore relictis, qui tempeſtatum viciſſitudine potiſſimum excitentur, Noſter agit. Ipſe Noſter hos tulit, eosque adſcribit preſſioni calli, in quo impetum humorum tum maiorem ſenſit. Probabile quoque Noſtro videtur, hos dolores non prius ceſſare poſſe, quam ſi partes laeſae penitus ſeparatae, et eorum loco nouae formatae ſint. Quapropter quoque nullum horum dolorum remedium notum eſſe cenſet. Externe partem faſciis cum ſucceſſu inuoluit, etiamſi interni dolores remanſerint. p. 109.

Decima octaua ſectio tractat nonnullos errores medendi ex minus recte formata diagnoſi. Spontaneam atque aegro inſciam alui et vrinae excretionem, ex paralyſi ſphincterum profectam, et poſt lapſum in ſpinam dorſalem ab equo ortam, ſimul pedibus motu deſtitutis, curare voluerunt ſine cognitis cauſſis. Abſceſſum porro ad anum, ex nimio refrigerio huius partis, cum totum corpus inſigniter calebat, aperuerunt; ſed nimis parua inciſio retardabat vulneris ſanationem. p. 111.

Decima nona ſectio ſuperuacanea atque noxia inſtrumenta chirurgica recenſet. Forceps, quo p. 120.

arripitur arteria, (*valet à batin* ſeu *bee à batin*) plane a Noſtro reiicitur, vti iam ex ſuperioribus patet *). Caetera, cum iam a pleriſque inutilia iudicata ſint, praeterimus, ac miramur, Cl. Auctorem non plura reieciſſe inſtrumenta chirurgica, inprimis nimis compoſita, quae plane nullam merentur attentionem.

p. 217. In vigeſima ſectione vulneris articularis manus ac brachii, vbi vlnae capitulum abſciſſum erat, enarratur exemplum.

p. 130. Sectio vigeſima prima tractat tumores et morbos rheumaticos. Dolor eſt ſignum pathognomonicum rheumatiſmi, eumque a catarrho diſtinguit. Hic in glandulis mucoſis, ille in tenerrimis vaſis lymphaticis neruoſarum partium ſedem ſuam figit. Rheumatiſmum cum dolore, febre, rubore et tumore partis appellat Noſter calidum: qui prodit lympham bilioſam, purpuraceam aut aliam acrimoniam, facileque in cholericos cadit: rurſus in internis aeque, ac externis corporis humani partibus oritur. Rheumatiſmum cum dolore et tumore, ſine rubore tamen et febre nuncupat frigidum. Hunc occaſionem dare poſſe ſteatomati, ſarcomati, ſarcoceli, aliiſque tumoribus et vlceribus, inprimis ſteatomati, quod a decubitu materiae rheumaticae atque arthriticae proficiſcatur, Noſter putat, atque nonnullis exemplis illuſtrat. Methodum medendi igitur dirigere debet indoles huius morbi frigida atque calida.

p. 142. Vigeſima ſecunda ſectio praedicat vtilitatem aquae frigidae in externis morbis, nec non internum eius vſum in variis morbis. Vſus eſt Noſter aqua frigida in oedemate extremitatis totius inferioris ex clauo, imprudenter exſciſſo, qui valde poſtea premebatur, dum totam hanc extremitatem ſae-

*) v. ſupra p. 607.

ſaepius aqua frigida imbutis linteis felici cum ſucceſſu humectabat, praemiſſa venaeſectione. Febribus malignis laborantibus aegris in ſumma debilitate, mortem appropinquantem indicante, aquam frigidam non fruſtra adhibuit, eorumque abdomen, extremitates ſuperiores ac inferiores humectauit, faciemque lauauit. Quo facto, propinauit analeptica, quae ſequebantur ſudores, aegris ſemper ſalutares. Multi, hoc remedio vſi, ſanati, qui vero eius vſum neglexerunt, mortui ſunt. Pariter melancholiam et interne maniam aqua frigida curauit.

Aeque felici ſucceſſu eius interno vſu interdum ſolo, interdum additis nonnullis remediis paucis, malum hypochondriacum, ventriculi debilitatem, ructus, vertiginem, atque maniam ſuſtulit. Laudat igitur cum Cll. HAHNIO, SCHWERDTNER et BERGIO vſum aquae frigidae. p. 149.

In vigeſima tertia ſectione traditur methodus medendi febribus quartanis. Rhabarbarum propinat Noſter his, vt digeſtiuum et euacuans. Vt digeſtiuum addit terreum et ſal mirabile GLAUBERI; euacuandi cauſſa coniungit cum rheo ipecacuanham et ſal medium, hyemali tempore tartarum emeticum. Per tres hebdomadas ita continuat, dein mane et veſperi integritatis diebus, ſex vel octo grana ſulphuris antimonii aurati tertiae praecipitationis cum aequalibus partibus ſalis mirabilis GLAUBERI et abſorbentis cuiusdam exhibuit per quatuor vel ſex dies, cui pulueri ſaepe numero ceſſit febris. Recidiuas poſtea arcet cortice, quem ſuadet phthiſicis in infuſo frigido, ac cui vim reſorptioni officiendi atque reſiſtendi in magnis vulneribus tribuit. p. 156.

p. 159. In vigeſima quarta ſectione tetanus ſ. ſpaſmus maxillae inferioris conſideratur. Animaduertit Noſter tetanum hunc iis non facile contigiſſe, qui puro ac libero aere viuerent. Quapropter etiam ventilatores inuenit, iisque magno cum fructu vſus eſt. Opium praeterea optimum contra hunc eſſe remedium cum aliis Noſter fatetur.

p. 162. De incommodis infantum ſaepe letalibus ex abvſu alimentorum, laeſam digeſtionem indeque denegatam nutritionem inducentium, exempla nonnulla in vigeſimaquinta ſectione Noſter collegit, ac methodum ſuam medendi inſimul addidit. Poſtquam itaque de lacte matrum ac nutricum varia propoſuerat, et iuſtam diaetam omnino infantilem examinauerat, exempla infantum, ex nimio et peruerſo vſu alimentorum laborantium, in primis aeque, ac in ſecundis viis,
p. 167. enarrat. Inter medicamenta, a Noſtro iis propinata, et ſolutionem aquoſam mercurii dulcis inuenimus. Mercurii duas vncias, nimirum accurate triti, coquit per duos dies cum aquae duabus menſuris (*Quart*) in balneo arenae, dein colaturae dimidiam menſuram, (*Quart*), in qua duae drachmae mercurii ſolutae erant, diuidebat in 120 partes aequales, ac mane et interdum veſperi vnam doſin propinabat. In obſtructionibus glandularum inprimis hoc vtile medicamentum iudicatur a Noſtro.

p. 174. Communicat hic Cl. Auctor in vigeſima ſexta ſectione remedia nonnulla certa in quibusdam morbis; vt in oedemate pedum, angina, in gingiuarum laxitate, bronchocele, panaritio, partibus frigore tactis, in eryſipelate et ophthalmiis inflammatoriis, ſeroſis et vlceroſis, hypopioque. Cum vero iam diutius hic immorati ſimus, ac noſtri inſtituti ratio ferat, Lectores nobis ad librum ipſum ſunt amandandi

dandi

dandi, ac quaedam breuiter ſolummodo a nobis hic poſſunt notari.

Oedemati prodeſt faſciarum applicatio, a Noſtro ſupra *) iam laudata, quae internorum remediorum vſum reddunt efficaciorem. p. 177.

In diſcutienda angina laudat Noſter aquam ſuam vulnerariam **) cum aequali parte aquae ſimplicis pro gargariſmate. Ad roborandum, tonſillarum ſuppuratione abſoluta, certa remedia Noſter iudicat, ſuam aquam vulnerariam, acetum lithargyrii aqua dilutum, ac phlegma aluminis. p. 180.

Laxitatem gingiuarum aqua vulneraria Cl. Auctoris cum melle roſarum, rurſus phlegma aluminis iuuat. p. 182.

Panaritii ſedes Noſtro videtur quadruplex: in epidermide nimirum, contextu adipoſo, tendinum vaginis, ſeu tandem in perioſtio Mox ab initio panaritium tollit crebrior applicatio aquae vulnerariae Noſtri, ſeu aquae vegeto mineralis. p. 185.

Pari modo vtilis eſt aqua vulneraria Noſtri in pernionibus. In partibus frigore tactis, niuem ac aquam frigidam certiſſima praedicat remedia. p. 187.

In phlegmone et eryſipelate non timet Noſter de epithematibus humidis, quae tepida ac frigida, prout opus eſt, hic ſuadet. p. 188.

In vigeſima ſeptima ac vltima carcinomatum mammarum, cum et ſine amputatione curatorum, exempla collegit. In amputatione mammarum plane reiicit ligaturam arteriarum mammariarum, eique agaricum ac lintea carpta praefert. Cicutam, remedium anticancroſum a STOERCKIO certiſſimum iudicatum, licet omnem cautionem adhibuit, et ipſum Viennenſe extractum cicutae propinauit p. 194.

 aegris,

*) v. p. 605.
**) v. ſupra p. 606.

aegris, omni ex parte obſequioſis, non inter certiſſima remedia refert.

p. 197. Mulier, per viginti et quinque annos, ſcirrhos duos in mamma ſiniſtra prope papillam ſine incommodo habuit, ab externa cauſſa ortos. Poſtea autem dolores apparebant, et ſcirrhi, in carcinoma mutati, variis remediis antea tentati, rumpebant. Hoc itaque carcinoma apertum Noſter vegetabili diaeta, et crebrioribus euacuationibus cum pulpa tamarindorum in ſero lactis ſoluta, interne, et oleo myrrhae per deliquium externe, felici cum ſucceſſu ſanauit.

III.

Diſſertatio anatomico phyſiologica de valuula EUSTACHII, Praeſide IOANNE FRIDERICO LOBSTEIN, Anat. et chir. P. P. O. Defenſa a *Io. Mich. Dioboldt*, Argentinenſi. Argentorati. 1771. 4. p. 26.

Cum haec et ſequens diſſertatio, et ob inſtitutorum experimentorum facilitatem, naturaeque imitationem, et ob diligentiam, in diſquirenda partium ſtructura adhibitam, nobis non omnino diſplicuiſſent: eas Lectoribus noſtris breuiter indicare non dubitauimus. Enumeratis auctoribus, qui valuulam Euſtachianam, quam valuulam magnam melius dici poſſe putat Cl. Auctor, primum deſcripſerint, icones eiuſdem dederint, vel eam prorſus in dubium vocauerint; atque nonnullis dubiis verbis definitis, ipſam valuulae, vti in fetu perfecto conſpicitur, figuram, ſitumque naturalem deſcribere
p. 9. aggreditur. Aperta nimirum iuxta longitudinem vena caua ſuperiore vſque ad diaphragma, oriri vidit ſtrigam eminentem, tenuis originis, quae, ſub

ouali foſſa progrediens, ſenſim in membranam expanſa, et ad ſuperiorem auris partem veniens, gracili fine, e regione ſuae originis deſinat. Hoc aſpectu eam duo arcus formare dicit, alterum ad oſtium venae cauae inferioris, ſemicirculo aequalem; alterum cauum auris reſpicientem, illo minorem. Separata ſcalpello tunica ſinus interiori, p. 12. muſculoſae valuulae fibrae reperiuntur, quae, cum ex ima circuli oualis parte, tum ex calloſo orificii auricularis circulo oriuntur, et in ſtrigam illam confluunt. Vt vſus huius valuulae clarius pateret, p. 13. vena caua ſuperiore aurisque parte ſuperiore inciſis, et ſanguine purgatis, atque corde in naturali ſitu manente, venae cauae inferiori in abdomine ſiphonem immiſit, eumque ſenſim aqua repleuit, quae, conuexam valuulae EVSTACHII partem in cauum auris intrudens, illud introiit; flumine vero aquae intermiſſo, limbus valuulae conuexus redditus venae oſtium clauſit, impediitque, quo minus aqua reflueret. Vſum igitur valuulae primarium in eo conſi- p. 15. ſtere exiſtimat Cl. Auctor, vt cauitatem auris ſinusque ab oſtio venae cauae diſcernat. Quod quidem in cadauere, cum fibrae omnes laxae ſint, exacte perfici negat. Sanguinem vero venae cauae ſuperioris per hanc valuulam, ne in cauam inferiorem ruat, impediri, tum ſolum concedit Auctor, cum illa venae oſtio appreſſa ſit; ea enim eleuata, illud omnino fieri poſſe putat, niſi vis ſanguinis, ex caua inferiore venientis, maior id prohibeat. Qua in re ab aliis anatomicis diſſentit. Alium vſum, ex quo p. 16. conſenſus, qui ſit inter valuulam illam et foramen ouale, pateat, colligit eſſe in eo, quod illa cum cauae oſtii inferiori parte tubum quaſi longiorem formet, quo vehementius ſanguis in foramen ouale mittatur. Id quod cum ex praeſentia et defectu, incremento et decremento, harum partium

congruente inter ſe, tum ex ſitu earum et actione fibrarum demonſtrat, obiectionemque, quae ex contractis fibris oriri poſſit, refutat, et denique, tempore diaſtoles incipientiſque ſyſtoles ſanguinem ex dextra aure per foramen ouale fluere, contendit.

IV.

Diſſertatio inauguralis anatomico phyſiologica de foramine ouali. Defenſa a IOH. MICHAEL DIOBOLDT, Argentinenſi. Argentorati. 1771 4. pag. 30.

Ex ſcribendi ratione, ipſiusque Auctoris verbis et coniunctione, quam haec cum priori diſſertatione habet, vtramque dirigente Cl. LOBSTEINIO propoſitam eſſe, colligimus: nos igitur praecipua momenta recenſere hic conabimur. Fatis foraminis oualis eiuſque valuulae enarratis, Cl. Auctor harum partium deſcriptionem, et ex fetu, et ex adul-
p. 10. tis deſumtam, exhibet. Quapropter ſepto interauriculari, annulo ouali, foramine ouali et eius valuula, quae in anteriore aure conſpiciantur, nominatis, in aure poſteriori conſpici affirmat, valuulam ex coniunctione membranae dextrae et ſiniſtrae auris enatam, eamque cum ſepto in horizontali linea progredientem, et cuius duo cornua, alterum ſuperius,
p. 13. alterum inferius, conſpiciantur. Ex eo, quod in praecedente diſſertatione inſtituerat, experimento repetit, aquam per foramen ouale in aurem poſteriorem fluxiſſe. Praeterea autem per venas pulmonales auri poſteriori immiſſa aqua, non aurem dextram intrare potuit, niſi magna vi adhibita. Sepa-
p. 15. rata interiore ſinuum membrana, fibrarum duplex ſtratum, alterum validum ad dextram annuli oualis partem tendens; alterum tenuius, ſiniſtram eiuſdem

dem oram petens; ex calloſo circulo, in vtraque aure ſimili fere modo progredi videbat. Spatium, quod haec fibrarum ſtrata repleat, in anteriore aure occupare fibras, ex poſteriore aure venientes, et ad valuulam Euſtachianam tendentes; in poſteriore vero directionis variae et complicatas fibras. Sic effici in anteriori ſinu columnam ſuperiorem craſſiorem, inferiorem tenuiorem. Valuulae fibras a dextra circuli oualis parte oriri, eamque ſuperius et inferius ita diſponere, vt ſemilunaris fingatur et efformetur. Phyſiologorum de harum partium vſu ſen- p. 19.
tentias refert, reiectisque caeteris, Haruaeanam amplectitur, ſtatuitque ideo has partes adeſſe, vt tempore dilatationis et initio contractionis auricularum ſanguis in aurem poſteriorem emittatur. Quod p. 27.
ipſum conſenſum harum partium cum valuula Euſtachiana, de quo in ſuperiori diſſertatione dictum eſt, quoque confirmat, atque ex obliquo ſanguinis influxu, cur in fetu perfecto foramen ouale ſuperius apertum reperiatur, patere arbitratur.

V.

IOHANNIS ANTONII SCOPOLI S. C. R. et Ap. M. Conſil. Mineralogiae Prof. etc. Flora Carniolica, exhibens plantas Carniolicae indigenas, et diſtributas in claſſes, genera, ſpecies, varietates, ordine Linnaeano. Editio ſecunda aucta et reformata. Impenſis I. P. Krauſii, Bibliopolae Vindobonſ. 1772. 8. mai. Tom. I. alph. 1. pl. 10. Tom. II. alph. 1. pl. 9. tab. aen. 65.

Primae editionis recenſionem ſuo tempore *) dedimus; haec autem, non modo multum aucta, ſed

*) v. comm. noſtr. Vol. IX. p. 415.

ſed etiam plantarum iconiſmis perfectior reddita fuit; praeterea naturalem, quem antea elegerat Cl. Auctor, ordinem, ideo cum Linnaeana methodo commutauit, quia, vt Floriſta, quaeſiturus claſſes naturales, enormes ſaltus facere, et vnicum genus integram familiam quandoque conſtituere debeat, pleraque etiam herbaria eo ordine diſpoſita ſint, et Floriſtae praecipua cura ſit, non eligere claſſes, ſed plantas ſuas bene deſcribere, et probe determinatas ad genera propria referre. Haec omnia egregie praeſtitit Cl. Auctor. Praemiſit vbique generum characteres, eorumque ſcriptores, ADANSONIUM quoque notauit, et cuilibet ſuum reddidit inuentum, paſſim etiam eoſdem reformauit, et genera aliter conſtituit. Synonyma ſelecta, nomina triuialia Ill. LINNAEI, loca natalia ſollicite annotauit, praeter ſpecifica nomina, quae characteres diſtinctiuos ſecundum recentiorum methodum inuoluunt, ſpecierum etiam diagnoſes appoſuit, et deſcriptiones perfectas, non ſolum rariorum, ſed et vulgarium plantarum addidit, vno verbo, omnia egregie perfecit, quae a Floriſta vnquam deſiderari poterant.

Licet autem in plurimis LINNAEUM ſecutus fuerit, eiuſque methodum, genera et ſpecies plerumque retinuerit; aliquando tamen ab Eodem receſſit, aliorum, et inprimis TOURNEFORTII nomina generica ſubſtituit, genera nonnulla vel aliter et accuratius definiuit, vel noua ſtabiliuit. Species plures ad alia genera amandauit, multasque pro varietatibus propoſuit. Quo itaque conſtet, in quibusnam a duce, quem elegerat Cl. Auctor, praecipue receſſerit, plantasque nunc nominauerit, coniunxerit et ſeparauerit, primaria annotemus.

Tom. I. p. 405. In *Didynamiis gymnoſpermis* ſubdiuiſionem, non a calice quinquefido, cum per gradus inſenſibiles dege-

degenerent in labiatos, ſed a germinibus, vel corona villorum, e corollae tubo naſcentium, tectis, vel eadem deſtitutis, deſumſit: hinc etiam e. g. *Chamaepitidin* non *Teucrii*, ſed cum HALLERO *Bugulae* ſpeciem conſtituit: *Teucrium* enim germina nuda, *Bugula* vero eadem corona villorum cincta habet; *Chamaepitys* eodem ornatu incedit, et baſis tubi corollae dilatata, et capſulae inſtar ſeminibus circumpoſita, eandem *Bugulae* potius, quam *Teucrio* iungit.

Tetradynamiarum characteres eſſentiales, in prima editione, ex circumferentia diſci nectarei, e qua ſtamina prodeant, deſumſerat Cl. Auctor; cum vero haec nota nimis ſubtilis ſaepe eſſet, veraque diſcrimina in varia ſtructura fructus natura collocaſſet, priorem characterem prorſus omiſit, et TOURNEFORTIUM, qui fructus anatomen optime tradidit, ſecutus eſt; hinc ſcripſit: Tom. II. p. 1.

Siliculoſas in genera diuidunt valuae ſepto parallelae aut contrariae, mono- aut polyſpermae, emarginatae vel integrae, ſtyliferae aut muticae, ſepto diſtinctae aut nullo. Siliquoſarum vero eſſentias genericas ſuppeditant calyx erectus aut patens, ſiliquae figura, valuae rectae, aut reuolutae. T. II. p. 19. *Agaricos* praeeunte LINNAEO, in edit. I. ex pilei figura determinauerat, hoc vero infidum diſcrimen eſſe, poſtea inuenit, illumque ordinem elegit, quem ſola ſtructura et habitus ſuppeditaret. Attendendum enim eſſe monuit, *an fungus naſciturus, volua tectus, an nudus ſit, an mori incipiens putreſcat, vel exſiccatus perſiſtat contractis fibris, an eius ſemina decidant, aut diffluant, vel explodantur; quaenam ſit proportio caulis ad pileum, quae pilei fructificantis figura naturalis, qui denique lamellarum ſitus, numerus, figura, diſpoſitio, vita; quibus omnibus in quolibet indiuiduo bene obſeruatis, ſpes erit naſcituram aliquando perfectam in his hiſtoriam.* T. II. p. 414.

Nomi-

Nomina generica, a Cl. TOURNEFORTIO et aliis adhibita, ab Ill. LINNAEO autem reiecta, bono conſilio ſaepe reſtituit, vt ſunt:

Limnopeuce.	Sphondylium.	Tithymalus.
Morocarpus.	Ros ſolis.	Caryophyllata.
Bonarota.	Lapathum.	Populago.
Linagroſtis.	Onagra.	Bugula.
Aquifolium.	Chamenerion.	Calamintha.
Rapunculus.	Thymelaea.	Caſſida.
Stramonium.	Moſchatella.	Squamaria.
Belladonna.	Hypopithys.	Ketmia.
Groſſularia.	Knavel.	Vulneraria.
Peruinca.	Tunica.	Caltha.
Kali.	Oxys.	Balſamina.

et quae ſunt alia. *Onopordon* praeterea *Acanos* dixit, quo nomine plantam et olim THEOPHRASTUS, et nunc ADANSONIUS propoſuit. *Rhinanthum* mutauit in *Mimulum*, et *Hypochaerin* appellauit *Achyrophorum*; prius nomen ex PLINIO, poſterius ex VAILLANTIO repetierat ADANSONIUS.

Verum mittamus nomina, ad res ipſas perueniamus, et genera quaedam, vel curatius definita, vel
Tom.I. noua ratione conſtituta, commemoremus. Ex *Panicis*,
p. 52. *Sanguinale* et *Dactylon* a LINNAEO dictis, duce HEISTERO, *Digitariae* genus conſtituit, illudque inprimis ab *Andropogone* glumis muticis differre monuit.
p. 63. *Sesleriae* genus, in priori editione conditum, denuo retinuit, illudque non tam *Airae*, quam *Phleo* po-
p. 63. tius proximum eſſe aſſeruit. Proprium *Airae* characterem a calice bifloro haud deſumi poſſe, vel exinde patet, quia et quaedam *Auenae* ſimilem habent, et *Aira coerulea* vni - et quinquefloros gerit. Hinc ea Cl. Auctor ad hoc genus retulit gramina, *quorum ſpiculae conſtant receptaculo ſuſtinente flores plerumque binos, biglumi calice, binisque petalis compoſitos,*

poſitos, *quorum vtrumque muticum eſt*, *aut vnicum ariſtatum, ariſta minime tortili; praeterea huic generi proprium eſt*, *habere flores hermaphroditos*, *petalum vnum*, *abſque duplicatura*, *et germen a duabus ſquamulis nectariferis vallatum.* De *Bromo* ſcripſit: *Gramina polyantha mutica ab ariſtatis diuidere potui; Feſtucas vero et Tritica, a Bromis notam aliquam, quae vere diſtinguat*, *inuenio nullam. Coniungam itaque haec tria genera in vnum, cum idem ſit, ſiue ordines accurati militent, ſub vno vexillo generis naturalis, ſiue ordo quilibet proprium genus conſtituat, dum modo cognitio ſpecierum difficilior non reddatur. Character itaque Bromi erit ſpicula multiflora, plus minus ariſtata*, *floſculis omnibus hermaphroditis.* Praeterea huc reduxit *Dactylin glomeratam,* quam a *Poa* remouet, petalum vnum ariſtatum, a *Cynoſuro* calix multiflorus et bracteae defectus, a *Dactyli* calix acutiſſimus. *Scherardiam*, *Aſperulam* et *Rubiam* nunc ſeparatim conſeruauit, et in *Aſperula aruenſi* ſtamina, in tubo corollae recondita, et capſulas duas, vnam abortiuam, vidit, hiſque notis tantum a *Galio* differre monuit, et *Aſperulas*, *taurinam*, *tinctoriam* et *odoratam*, LINN. inter *Galia* reliquit; *Galio* enim fructum ſubrotundum, ſiccum, non coronatum, et ſtamina, vltra faucem corollae elata tribuit. *Myoſotidis* genus dubium eſt, et margo baſeos tubi corollae introflexus, crenulatus et germina protegens, ſeminaque nitentia idem cum *Lithoſpermo* coniungunt, a quo differt corollae centro, ſquamulis quinque clauſo, et ſtigmate ſimplici. *Saniculam*, cum *Aſtrantia* iunctam, denuo exhibuit; et vbique vmbelliferas a ſeminibus praecipue definiuit. In *Dauco* ſemen ſingulum, quatuor angulis donatum, e quibus pili rigidi prodeant, inter angulos linea eſt eleuata; quorſum ergo pertinent plures *Caucalidis* ſpecies, vt *grandiflora*, *leptophylla*, et *platycarpos.*

Margin references: p. 76. — p. 106. — p. 99. — p. 121. — p. 185. — p. 189.

Cau-

p. 191. *Caucalis* ſemina gerit minime ſulcata, aculeis ſparſis, denſis hiſpida; huc retulit *Tordylium nodoſum*, et *Anthriſcum*, nec non *Scandicem Anthriſcum* LINN. Poſterioris enim ſemina roſtro carent, et prioris neque emarginata ſunt, neque compreſſa, hinc a *Tordyliis* diuerſa. *Athamantae* genus expunxit, reſti-
p. 192. tuit vero *Libanotidem*, eidemque fructum oblongum ſtriatum, villoſum, non echinatum, neque marginatum adſcripſit. *Oreoſelinum* et *Ceruariam Selini* ſpecies fecit. Seminum alae marginales, et dorſum tribus lineis longitudinalibus angulatum, notas eſſe *Imperatoriae*, *Aethuſae* et *Angelicae* conuenientes
p. 199. monuit Cl. Auctor; hinc duo ſemina, dorſo vnico cohaerentia, alibi vero libera, *Angelicae* characterem conſtituere; in *Imperatoria* vero eadem planiora, tota interna facie inuicem cohaerentia, dorſumque lineis eleuatis, non autem angulis ſtriatum
p. 207. eſſe aſſumſit. *Scandix odorata* ſemine differt a *Pectine veneris*, *cerefolio* et ſimilibus eamque ad *Myrrhidem* denuo reduxit, cuius eſſentiam conſtituunt ſemina longa, pentagona, angulis ſcabris, acutis; *Chaeropyllum hirſutum* autem ſemina gerit ariſtata, longa,
p. 218. ideoque ad *Scandicem* reduxit. *Chaerophyllo* fructum laeuem, tenuem, longum, nitentem, reflexis ſtylis terminatum adſcripſit. *Seſeli* amplum fecit genus, omnesque vmbelliferas, quae fructum oua-
p. 212. tum, ſtriatum, ſtylisque deflexis terminatum habent, eodem comprehendit, et *Seſeleos* ſpecies fecit: *Athamantam Meum*, *Sium nodiflorum* et *Falcariam*, *Siſon amomum*, *Aegopodium*, *Apium graueo-*
p. 217. *lens*, et *Carum*. Denique et RIVINI genus, *Siler* dictum, denuo introduxit, eidemque fructum oblongum, et ſemina conuexa atque porcata tribuit: monuitque in fructu immaturo ſtrias, per ſiccitatem attenuatas, breues alas repraeſentare, eas autem in perfectis ſeminibus obtuſas eſſe, nec alis

ſimi-

ſimiles. *Cotinum* ſeorſim recenſuit, *Scillam* autem p. 247. *Antherico* iunxit, et, cum in *Antherico calyculato*, ſtigmata tria abſque ſtylis, et ſiliculas tres, polyſpermas, conſtanter obſeruaſſet, eandem ad *Scheuchzeriam* amandauit. In *Lychnidum* familia omnia va- p. 303. riant, ſolus ſtylorum numerus conſtans eſt; qui vero, ex mente Cl. Auctoris, ordines quidem, non autem genera diuerſa conſtituit: hinc eandem coniunctim propoſuit, et *Saponarias* quoque *Lychnidis* ſpecies conſtituit. Ita et *Alſines* genus naturale eſſe, p. 313. et *Saginam*, *Alſinem*, *Moehringiam*, *Stellariam*, *Arenariam*, et *Spergulam* LINNAEI comprehendere, conceſſit quidem, attamen ex lege methodi ſexualis, ob ſtamina 4. 5. 8. ſeparatim conſeruauit *Saginam*, *Alſinem* et *Moehringiam*, reliquos vero fratres, qui ſtamina 10 gerunt, ſimul omnes *Stellariae* nomine coniunxit, *Lychnidis* exemplo permotus, quae ſpecies tri- et pentagynas, nec non petala bifida et integra comprehendit. *Ceraſtii* genus etiam diui- p. 319. dit, et *Sphaerocarpa*, quae ſecundum ordinem LIN- et NAEI conſtituunt, ad *Stellariam* reduxit, reliqua, quae 320. capſulas habent ceratoides, oblongas, cartilagineas, apice decemdentatas *Centunculi* genere recenſuit. *Sedorum* gentem, propter habitum, nectarium, et p. 323. porportionem numericam partium floris et fructus vno genere comprehendit, et in *Rhodiola* ſiue *Sedo roſeo* ſtamina non ſemper 8, ſed et 6 ad 10, et ſiliculas 3 ad 6: praeterea flores maſculos, cum rudimento feminei ſexus, cui quatuor nectareae ſquamae circumſtabant, obſeruauit. In *Meſpilis* p. 344. ſtylorum numerus inconſtans eſt; *Meſpilum chamaemeſpilum* digynum, et *Crataegum Oxyacantham* monogynum, in *Cotoneaſtro* 3 et 5, in *Aucuparia* 3 et 4 ſtylos vidit; hinc *Meſpili* characterem naturalem conſtituunt calicini dentes et petala quinque, ſtamina quadruplo plura, ſtyli tot, quot locula, bacca infera vm-

 bili-

bilicata, calice, filamentis et ſtylis perſiſtentibus terminata. Coniungit itaque *Crataegum*, *Sorbum*, et *Meſpilum*. *Crataegum azarolum* LINN. vero ad *Pyrum* amandauit, cum in fructu locula 5 euidenter
p. 357. appareant. *Tormentillam*, *Comarum* et *Fragariam* *Potentillae* addidit: ſi enim *Breynia* eſt *Capparis*, tunc et *Fragaria* erit *Potentillae* ſpecies, et *Tormentilla* ab hac, vt *Gentiana ciliata* ab *aſclepiadea* dif-
p. 369. fert. *Glaucium* a *Chelidonio* iterum ſeparauit; ſiliquam eius ſtigmate quadrilobo, ſcyphiformi, quod prius erat lamina, ſtylo applicata, terminatam eſſe, cognouit, monuitque, ſi flos in hoc genere, non vero fructus attendendus, tunc nec *Papauer* a *Cheli-*
p. 408. *donio* eſſe ſeparandum. *Leonuri* generis eſſentia adhuc dubia eſt, ſola forte corolla aliquid valet: hinc pro charactere aſſumſit, galeam integram, et ellipticam: et labium trifidum, ſegmentis omnibus, aut lateralibus, acuminatis: addenda ſtamina, villis aſperſa: addidit huic generi denuo *Galeopſidem Galeobdolon* L. *Sta-*
p. 410. *chydem* LINN. retinuit, et pro nota eſſentiali ſtamina exteriora deflorata, lateraliter exſerta, et labii laciniam mediam emarginatam aſſumſit. *Betonica officinalis* eaſdem quidem notas gerit; ſed caret corona villorum, germina protegentium, quae in *Stachyde* adeſt:
p. 413. hinc et *Betonicam alopecurodem*, *officinali* multum ſimilem, pro *Betonicae* ſpecie aſſumere Cl. Auctor noluit, cum eiusdem germina villis quoque
p. 424. ſint tecta. *Serpillum* non ſolum cum *Thymo* coniunxit, ſed etiam *Meliſſam grandifloram* et *Calamintham* LINN. eidem appoſuit, cum et harum calycis fructiferi faux villis conniuentibus clauſa deprehendatur.

T. II. Ex *Alyſſo calycino* et *montano* LINN. nouum
p. 13. cum [illegible]ANSONIO fecit genus, nomine *Adyſeton* et characterem in ſilicula emarginata, compreſſa, ſeptoque ſtylifero, valuis parallelo, poſuit; vtrius-

que

que ſpeciei folia villoſis ſtellis ſunt hirſuta. *Biſcutella* ſiliculam habet compreſſam diſpermam, ſepto contrario ſtylifero: ſemen in hac medio ſepti loco affixum eſt, quod in *Adyſeton* ſuperiori loco appenditur. *Spartium* nunc cum *Geniſta* combinauit, p. 50.
cum vexilli maior et minor latitudo certos limites non admittat; *Onobrychidem* autem conſeruauit propter legumen monoſpermum, quod multiloculare p. 76.
eſt in *Hedyſaris*. *Tetragonolobum* quoque a *Loto* p. 87.
legumine tetragono tetraedro, angulis alatis diuerſum, prout et *Dorycnium* ſeparatim conſeruauit, et, ſi vltimum proprium genus non eſſet, *Trifoliis* potius, quam *Lotis* adiungendum eſſe, ſcripſit. *Leontodon* LINN. plantas complectitur, quibus ſe- p. 99.
minum pappus ſtypitatus et ſimplex, et iterum alias, quibus idem ſeſſilis et plumoſus eſt: hanc confuſionem vt euitaret Cl. Auctor, ex vno genere bina fecit, quorum vnum *Hedypnoin*, alterum *Leontodon* dixit. Illius character eſt calix, baſi et apice dilatatus, conſtans ſquamarum ordinibus tribus, intimo duplo longiore; ſemina pappo ſtipitato, ſimplici, terminata; receptaculum conuexum, alueolatum glabrum; hucque pertinet *Taraxacum officina-* p. 111.
le. *Leontodon* vero Auctoris gerit ſemen coronatum pappo plumoſo, ſeſſili; receptaculum planiuſculum, alueolatum; alueolis marginatis, aut membranula lacero dentata vallatis, et comprehendit *Leontodon hiſpidum*, *hirtum*, et *autumnale* LINN. Inter *Hieracia* et *Sonchos* limites nullos inuenire potuit, nec figuram calicis, aut maiorem minoremue latitudinem eiusdem ſquamarum diuellere poſſe genera, pluribus aliis notis inuicem ſimilia, affirmauit: hinc eadem coniunxit, ſimulque *Leontodon aureum* eidem adiecit, cum et huius pappus ſimplex ſit et ſeſſilis. Species vero *Hieraciorum*, quibus pappus p. 113.
plumoſus et receptaculum villoſum eſt, nouum

conſtituunt genus. Si enim *Andryala a Senecione*
generice differt, tunc et *Hieracia*, eadem nota di-
verſa, coniungi non debent. Dixit hoc genus
Apargiam Cl. Auctor, quo nomine propoſuerat DA-
LECHAMPIUS plantam, *Achyrophorum* a VAIL-
p. 123. LANTIO dictam. *Serratulam* partim ad *Cirſium*,
partim ad *Carduum* reduxit, *Cirſioque* ſeminis pap-
pum ſeſſilem et manifeſte piloſum, ac thalamum
p. 131. piloſum; *Carduo* autem pappum ſimplicem tribuit;
praeterea *Cnicum pygmaeum*, *oleraceum*, et *ſpinoſiſſi-*
p. 134. *mum* inter *Cirſia* recenſuit. *Carthamum lanatum*
nomine generico *Atractylis*, easque *Centaureae* ſpe-
cies, quae ſemina, pappo carentia, habent, *Rha-*
pontici genere exhibuit; reliquas, ſeminibus pappo-
ſis ornatas, ſub *Centaurea* omnes comprehendit.
p. 147. *Matricariam* et *Pyrethrum*, HALLERO duce, ſe-
parauit, et priori calicem hemiſphaericum, ſquamis
multis imbricatum, marginalibus minime membra-
naceis, tribuit, a qua *Pyrethrum* ſeminibus, corona
denticulata terminatis, differt, vti *Sherardia* ab
p. 149. *Aſperula*. *Filaginem* LINN. cum *Gnaphalio* con-
iunctim tradidit, communis enim vtriusque facies
filamentoſa aut tomentoſa, nec non medium inter
vtrumque genus *Gnaphalium leontopodium* coniun-
ctionem ſuadent; poſterior planta polygama eſt, ca-
pitulo medio *Gnaphalii*, lateralibus vero *Filaginis*.
p. 168. *Inulam* etiam *Aſteri* denuo aſſociauit, addiditque
huic generi *Doronicum bellidiaſtrum*, et *Arnicam*
p. 176. *ſcorpioidem* LINNAEI. *Solidaginem*, *virga aurea*
dictam, *Doriae* genere et nomine propoſuit. Quo
nomine forſan omnes *Solidagines* comprehendit,
genericum enim hoc nomen nullibi occurrit. *Sa-*
p. 185. *tyriorum* ſiue *Orchydum* flores, inſecto diptero ſimi-
les, ouarium ſcilicet ventri, petala alis, opercula
anthennis, ſcutum capiti, ſtylus roſtro, labium pe-
dibus; hinc vt diptera ex roſtro, ita et genera

Saty-

Satyriorum ex ſtylo dignoſcenda eſſe aſſeruit. In
his plerumque Ill. HALLERUM ducem elegit, in-
primis in genere *Orchidis* et *Epipactidis*, quod vlti-
mum vero nomen cum *Serapias* commutauit: reti-
nuit quoque *Corallorhizam*, addiditque *Ophrydis*
genus. *Blitum* cum TOURNEFORTIO ab *Ama-* p. 237.
rantis, *Oſtryam* quoque cum MICHELLIO a *Car-* p. 243.
pino diſtinxit; e contrario *Elaeagnum* et *Hippophaen* p. 260.
calicis ſegmentis tot, quot ſtamina e calice nata,
corolla nulla; et in feminis ſtylo vnico, baccaque
globoſa, monopyrena, vt charactere naturali, cum
Oſyride conuenire, et ſolum numerum partium,
ſexumque diuerſa genera naturalia non conſtituere
perhibuit: hinc tria haec genera combinauit, pro-
vt et *Lupulum* ad *Cannabim* amandauit. In *Filici-* p. 262.
bus et reliquis *cryptogamiis* plerumque LINNAEI
genera retinuit, *Struthiopterin* vero et *Oſmundam*
ſecundum HALLERUM definiuit. *Lichen-agari-* p. 288.
cos MICHELLII, ab HALLERO *Sphaeriae* nomine p. 397.
propoſitos, a LINNAEO vel *Fungis* adiunctos, vel
penitus expulſos, cum ADANSONIO nomine *Val-*
ſae recenſuit, et receptaculum ſphaericum, aut cy-
lindricum, carbonario puluere plenum, et apice
dehiſcens, pro charactere exhibuit. *Merulium* de- p. 461.
nique cum HALLERO ab *Agaricis* ſeparauit, et
Eluelam GLEDITSCHII aſſumſit. p. 476.

A generibus pergamus ad ſpecies, quarum plures ad alia reduxit genera, aliasque accuratius definiuit, et veras a ſpuriis, ſiue varietatibus, ſedulo diſtinxit. Plantarum Linnaeanarum, ad alia genera relatarum, indicem alphabeticum Ipſe Cl. Auctor operi praemiſit, quarum nonnullas modo repetamus, plures ex notatis antea generibus, noua ratione ſtabilitis, innoteſcunt.

Aegilops ouata LINNAEI eſt *Phleum*

Aegilops incuruata LINNAEI eſt *Agroſtis.*
Agroſtis arundinacea - *Arundo* *).
Alopecurus paniceus - *Panicum.*
Andromeda poliifolia - *Rhododendron.*
Aphanes aruenſis - *Alchemilla.*
Arctium Carduelis - *Cirſium* **).
Auena elatior - *Holcus.*
Braſſica campeſtris - *Eryſimum.*
Braſſica erucaſtrum - *Eryſimum.*
Cacalia alpina - *Tuſſilago* ***).
Cheiranthus eryſimoides - *Eryſimum.*
Chlora perfoliata - *Gentiana* ****).
Chryſanthemum leucanthemum - *Matricaria.*
Chryſanthemum corymboſum - *Pyrethrum.*
Cynoſurus criſtatus - *Phleum.*
Cynoſurus durus - *Poa.*
Eryſimum Barbarea, Alliaria, officinale - *Siſymbrium* *****).
Feſtuca decumbens, fluitans - *Poa.*

Feſtu-

*) Quaerit Cl. Auctor, cur *Agroſtis*? cum pappus adeo manifeſtus, nec ariſta recta, ſed e medio modice refracta ſit.

**) Cuius capitula ſphaerica conſtant ſquamis imbricatis patentiuſculis, apice non retrorſum, ſed introrſum flexo, filamenta ſunt piloſa, ad baſin latiora.

***) Quippe quae a Petaſitide floribus hermaphroditis quadrifidis, nec alia nota, differt.

****) Quam in Syſtemate Nat. Edit. XII. eo nomine propoſuit LINNAEUS, antea pro Gentiana exhibita.

*****) Harum ſiliqua non tetragona eſt, qualem exigit Eryſimi character Linnaeanus; et, cum in Barbarea ſubtrigona ſit, haec Siſymbrium cum Eryſimo coniungere videtur.

Feſtuca ouina	LINNAEI	eſt	*Bromus.*
Gypſophila ſaxifraga	-		*Tunica.*
Holcus Halepenſis	-		*Andropogon.*
Hyoſeris foetida	-		*Lapſana.*
Inula crithmifolia	-		*Senecio.*
Leontodon aureum	-		*Hieracium.*
Lepidium alpinum	-		*Draba.*
ruderale	-		*Naſturtium.*
Myagrum alpinum / *ſatiuum*	-		*Alyſſum.*
Myoſotis Lappula	-		*Cynogloſſum.*
Onoſma echioides	-		*Cerinthe.*
Ophris ſpiralis	-		*Serapias.*
Orchis abortiua	-		*Serapias.*
Pimpinella glauca	-		*Paſtinaca.*
Schoenus aculeatus	-		*Agroſtis* *).
Siſymbrium arenoſum	-		*Arabis.*
Turritis hirſuta	-		*Arabis.*

Addamus alias, quae ſpecies illuſtrant, obſeruationes. *Circaea alpina* diſtincta eſt ſpecies, ſpecificus vero character non conſiſtit in caule adſcendente, nec in vno racemo, neque in calice colorato; ſed in figura, glabritie, et dentato ambitu foliorum. *Veronica chamaedrys* multum variat, et inter hanc et *montanam* LINN. nullum verum diſcrimen inuenire potuit, habitu excepto, qui modo mollior eſt, modo rigidior: hinc vtramque coniunxit, imo et *Veronicam Teucrium* non ſeparauit. Nec *multifida* et *Auſtriaca* inter ſe differunt; *ſpicata* denique varie laruata incedere, et characterem ſuum occultare ſolet: ideoque et *longifoliam* ab eadem ſeparare non potuit.

Tom. I, p. 9.

p. 14.

*) Vel Agroſtidis ſpeciem, vel nouum genus eſſe monuit. Flos quilibet calice conſtat euidente, biglumi, mutico, petalis duobus, ſtyloque vnico et ſtigmate ſimplici.

p. 80. potuit. Inter *Bromos* Linnaeanos, *ſecalinum*, *ſquar-*
roſum, *hordeaceum*, *aruenſem*, et *tectorum* certos li-
mites non inuenit, eosque nomine *Bromi polymor-*
phi coniunxit, et pro diagnoſi aſſumſit: vaginas folio-
rum villoſas, nodos faſcia atro rubra notatos, ſpi-
culas teretes, lanceolatas, craſſas; calicem longitu-
dine petali primi, glumas et petala ſtriata, peta-
lumque internum truncatum, ciliatum: Nomine
p. 87. *Auenae piloſae* comprehendit varias LINNAEI ſpe-
cies, *flaueſcentem* ſcilicet, *fatuam*, *pratenſem*, *nudam*,
et *fragilem*, monuitque eſſentialem ſuum characte-
rem hoc gramen mirifice occultare, et ſtaturam ſpi-
cularum numerumque floſculorum a climate et
loco natali variare; in his omnibus panicula eſt ere-
cta, non adeo longa, racemis et pedicellis tenuibus,
calix coloratus, receptaculum piloſum, petalum
maius apice inciſum, et e dorſo proferens ariſtam
tortilem infractam, floſculo duplo longiorem. *Ce-*
p. 128. *rinthem maiorem*, *minorem* et *maculatam* LINN.
glabrae nomine coniunxit; omnibus enim vna eſt
facies, eademque floreſcentia; *maior* gerit folia ob-
tuſiora, per aetatem coeruleſcentia, albis verrucis
magis aſperſa, nec non corollae ſegmenta breuiora:
maculata folia poſſidet modo glabra et magis macu-
lata, modo ad apicem verrucoſa et corollae ſegmen-
ta longiora; *minor* diuerſa eſt corollae ſegmentis
breuioribus. LINNAEUS in ſpecierum edit. II.
maculatam Ipſe expunxit et *minori* addidit. Nonne
p. 167. corolla clauſa et patula euidenter diſtinguunt maio-
rem et minorem? An *Ribes alpinum* a *rubro* diſtin-
ctum eſſet, dubitauit Cl. Auctor; *Rubri* racemi florales
primo erecti ſunt; dein vero reflectuntur, quales
etiam exhibet figura *Ribeſii alpini*, a IOH. BAV-
HINO data. *Groſſulariam* et *Vuam criſpam* baccis
hirſutis et glabris quoque ſeparauit LINNAEUS;
aſt, fructu glabro praeditam *Groſſulariam* dari,
con-

concedere Cl. Auctor noluit. *Chenopodia* foliis angu- p. 174.
loſis inter ſe multum conuenire, et *viride* atque *album*,
forte etiam *murale* ac *rubrum* varietates modo conſti-
tuere aſſeruit, ſcripſitque: ſi *Chenopodium Daturaefoli-
um*, ſiue *hybridum* a *viridi* natum fuiſſe ſuſpicari potuit
LINNAEUS, quidni etiam ex *anſerino pede* veterum p. 178.
varias proles demum natas, dubitabimus? *Gentiana
campeſtris* et *amarella* vnam conſtituunt ſpeciem, ſunt-
que notae communes: Corollae, inſtante pluuia
ſe claudentes, auriculae tenuiter laciniatae, erectae,
calicinorum dentium margines reflexi, corollae ba-
ſis tam firmiter adhaerens calici, vt auulſa interio-
rem eius cutem ſecum rapiat, ſtigmata lamelloſa
erecta, integerrima et obtuſa. Inter *Eringium cam-* p. 185.
peſtre et *amethyſtinum* nullum diſcrimen obſeruauit,
niſi quod folia in vno minus, in alio magis inciſa
eſſent. In *alpino* folia caulina pinnatifida, quae
LINNAEUS deſcripſit, nunquam vidit; aſt capi-
tulo florali oblongo circumſtant folia amethyſtina,
quorum alia ſetacea et reflexa, alia vero pinnatifi-
da et lanceolata ſunt. *Pimpinellae* ſpecies bene p. 209.
diſtinxit Ill. HALLERUS, quem et ſecutus eſt Cl. Au-
ctor. *Droſeram* vero *longifoliam* et *rotundifoliam* p. 232.
combinauit: cognouit enim ex copioſis ſpecimini-
bus folia ab vna in alteram ſpeciem ſenſim degene-
rare. *Aſparagus acutifolius* et *aphyllus* non ſunt p. 249.
diuerſae ſpecies; ſi enim folia pro ſpinis habentur,
erit *aphyllus*, ſi vero folia dicas, erit *acutifolius*;
Aſparagi aphylli ſpecimina, Cl. Auctori ab amicis
data, omnes notas habuerunt *acutifolii*. *Iuncus mo-* p. 257.
nanthos a Cl. IACQUINIO dictus, et ab Auctore in
edit. I. diſtinctus, culmos vni-bi-et trifloros gerit,
et hinc eandem pro varietate *Iunci trifidi* LINN.
nunc exhibuit. *Roſarum* ſpecies genuinas cognoſ- p. 351.
cere difficillimus eſt labor, hinc Cl. Auctor ſcripſit: et 355.
quid calix, quid figura fructus, quid hirſuties aut

glabrities, quid denique ſpinae valeant in deter-
minandis *Roſarum* ſpeciebus, qui plura ſpecimina,
eaque in variis regionibus collecta, poſſidet, et in-
vicem conferre voluerit, facile poterit iudicare; ca-
licis autem fabricam figura fructus conſtantiorem
eſſe, obſeruauit. An forte vnica ſpecies, a Deo
creata, ex qua reliquae omnes deinde natae? Cum
itaque recentiorum, et LINNAEI etiam obſerua-
tiones Auctori non ſatisfacerent, nomina tantum
ex BAUHINI Pinace repetiit, et aliorum aliquando
ſuppoſuit, melius eſſe ratus fateri, quid neſciat, quam
ſententiae ſubſcribere, a veritate adhuc alienae.
p. 361. *Potentillam auream* et *vernam*, *Ranunculum repen-*
p. 394. *tem* et *Flammulam*, forte et *Ranunculum Monſpelia-*
cum ac *Lapponicum* a *niuali* non differre, contendit.
T. II. *Hieracium Piloſella* mire ludit caule vnifloro, bi-
p. 105. tri- et quadrifloro, etiam caule ramoſo folioſo, aliis-
que modis, hinc varias, praeter neceſſitatem conſti-
tutas, feciſſe ſpecies tradidit, docuitque conuenire
omnes ſtolonibus repentibus piloſis, calicibus pro-
ferentibus ſpinulas fuſcas, carnoſas, flaueſcente
glandula terminatas, calicinis ſquamis craſſis et vil-
loſis; ſemifloſculis non vltra 90; receptaculo pla-
no, foliis ad lanceolatam figuram accedentibus.
p. 157. *Petaſitides* a foliis veteres, a figura thyrſi florumque
ſtructura et numero recentiores diſtinxerunt; atta-
men omnes, ſcilicet *Tuſſilaginem albam*, *frigidam*,
hybridam et *Petaſitidem* LINN. vnam forte ſpeciem
conſtituere, Cl. Auctori probabile videtur, notas com-
munes et quomodo flores in diuerſis annis et indiui-
duis variare ſolerent, copioſius annotauit, id quod ſen-
p. 240. tentiae ſuae multum roboris conciliauit. In *Quercus*
genere folia infida eſſe, conſtantiores gallas, cor-
ticem et cotyla, foliaque in eadem arbore ſerrata et
integra occurrere: hinc *Quercum*, *Smilax* et *Ilex*
dictam, non differre, immo et *gramuntiam*, et *Cer-*

ris

ris nominatam prioribus addi poſſe, aſſeruit Cl. Auctor. *Quercum Smilacem* ab ipſo LINNAEO ad *Ilicem* relatam eſſe, ex ſpecierum edit. II. conſtat. In extricandis *Salicum* ſpeciebus maximas difficultates, pluresque a ſcriptoribus, magni etiam nominis, commiſſos errores ſe inueniſſe, libere faſſus eſt; hinc etiam ſuas potius accurate deſcribere, quam ad aliorum nomina reducere laborauit. De *Salice alpina* e. g. quam Tab. 61. delineauit, dubius haeſit, an eſſet *lanata*, an *fuſca* LINN. et ſcripſit: an haec translato pappo volitante genuit reliquas latifolias? vtrum ſtatura puſilla violenta plantae in ſolo fertili naturalis et elatior euadit? In genere autem monuit, cognitionem ſpecierum difficilem reddere 1) icones non bonas, 2) deſcriptiones imperfectas, 3) miram efficaciam ſoli, caloris, frigoris, humidi, ſicci, ventorum, niuis, in mutando earum habitu, ſtatura, hirſutie, figura foliorum, ſtipulis, pedunculis, amentis, nectariis, capſulis, geſtatione, germinatione, vita etc. In *Cryptogamiis* plures plantas accuratius diſquiſiuit, et partim nouas ſpecies conſtituit, partim alias varietatibus aſſociauit. *Lichenes*, praecipue illos, qui *ſcyphiferi* et *fruticuloſi* a LINNAEO, et *Coralloides* a DILLENIO dicuntur, per plures annos ſe collegiſſe, et omni ſtudio examinaſſe, limites vero inter ſpecies detegere neutiquam potuiſſe monuit, et, cum probabile ſit, omnes haſce plantas *Lichenis pyxidati* varias aetates et degenerationes eſſe, eaſdem in ſpecies non ſeparare, potius omnes nomine *Lichenis ſquamoſi* proponere voluit.

p. 252. p. 259. p. 368.

Praeterea copioſae huic Florae inſunt obſeruationes, quae plantarum ſtructuram egregie declarant, et hinc omnem attentionem merentur. In *Hippuri vulgari* anthera iuuenis vere ſeſſilis eſt, et Tom. I. p. 5.

locula

locula obſcure rubra poſſidet, floreſque non omnes
hermaphroditi ſunt, ſed in eodem verticillo inter-
p. 7. dum etiam feminei. *Liguſtri* corolla vere infundi-
buliformis non eſt, filamenta inter receptaculum et
corollam prodeunt, etſi eius tubo fere agglutinata
ſunt, baccam replet ſicca ſpongioſa violacea pulpa,
quae ſacculos duos monoſpermos conſtituit. *Ve-*
p. 10. *ronica aphylla* non in corymbo floret, ſed peduncu-
los duos treſue ex apice caulis emittit, et, ſi planta
diligentius conſideratur, folia non omnia radicalia
p. 27. videbuntur. *Saluia officinalis* omnino tetrandra
eſt, fulcrum enim ſuſtinet filamentum, vtroque ex-
p. 33. tremo gerens antheram fertilem. In *Valeriana*
dioica nunquam Cl. Auctor vidit flores dioicos, ſed
nunc omnes hermaphroditos, nunc filamento vno
altero caſtrato inſtructos; nunc maſculos et femi-
neos in eadem planta, ita tamen, vt maſculi flores
continerent rudimentum germinis et ſtyli; ſine ſe-
minibus perfectis nullam hactenus inuenire potuit.
p. 40. *Schoenus* LINNAEI a *Scirpo* in eo tantum differre
videtur, quod in hoc genere omnes ſquamae ferti-
les ſint; in eo autem eae ſolae, quae ſuperiorem
capituli partem conſtituunt, id quod probare vo-
luit Cl. Auctor propria obſeruatione rudimentorum
floris et fructus in ſinu vno alioue earum ſquamu-
larum, quas pro glumis calicinis Ill. LINNAEUS ha-
p. 49. buit. *Graminum* generibus limites certos non vbi-
que poſuiſſe induſtriam Ill. LINNAEI Cl. Auctor aſſe-
ruit, atque hinc, cum infloreſcentia et numerus
partium floris fructusque non ſufficere videantur,
eadem potius in ſola ſtructura quaerere voluit; et,
dum e. g. *Aegylopem ouatam* ad *Phleum* amandauit,
p. 56. ſcripſit: *Phleum* voco ex ſtructura floris, nam ſexus
vix aliquid probat, modo enim flores hermaphroditi
ſunt: modo ſtamina ſola videntur, modo germina
et ſtamina deſunt: et *Alopecurum* ab omnibus aliis
grami-

graminibus differre glumis calicinis monophyllis,
corollaceis cucullatis ex SCHREBERI litteris ad-
duxit. *Saginam* glandulae nectariferae coniungunt p. 119.
cum *Alſine media*, capſula vero quadriualuis cum
Moehringia ; *procumbens* illa petala gerit in ſyluis
maiora, in agris minora. *Drypis* capſulam fert te- p. 225.
nuem, calice indurato et conniuente ita tectam, vt
cum eo cadere debeat, antequam dehiſcat, hinc
capſulam quinqueualuem MICHELII paradoxam
eſſe, neque eam cum LINNAEO circumſciſſam
dici poſſe, monuit, cum nullum ſponte ſe ape-
riendi ſpatium habeat, et culter capſulae pellicu-
lam baſi abſcedentem quidem repraeſentet, ſed ſe-
paratio haec minime naturalis ſit. Semen vnicum
continet reniforme, ex hilo demittens filum, quo
imo loco capſulae affigitur. *Statice armeria* anthe- p. 227.
ras baſi bifidas, ſegmentis inflexis, et germen cir-
cumdatum annulo nectarifero quinquelobo, lobis
ſtaminiferis oſtendit; pili ſtylorum ſuperiores con-
colore glandula terminantur, et petala, dempto ca-
lice, vi elaſtica ſeſe ſubito expandunt. *Dictamni* p. 284.
albi fructus conſtat loculis quinis, ſuperne dehis-
centibus, et itidem in medio bidentatis; in loculo
quolibet continetur capſula coriacea, in duo crura
diuaricata, profunde diuiſa, e cuius fundo ſuperne
naſcitur lamina bifida, carinata, protegens ſemen
vnicum, ſplendens. *Cherleria ſedioides*, in horto p. 312.
culta, produxit nectaria decem integra, nec non fi-
lamenta omnia ex receptaculo. In *Ceraſtio ſemide-* p. 321.
candro LINNAEI ſtamina quinque et ſtylos tres
numerauit HALLERUS; ſtamina vero 10 et qui-
dem omnia antherifera, et ſtylos 5 obſeruauit Cl.
Auctor, viditque filamenta exteriora antheras facile
et citius dimittere, et hinc nata forte obſeruatio
LINNAEI de ſtaminibus 5 fertilibus totidemque
ſterilibus. *Aſari Europaea* proles non eſt mono- p. 328.
ſed

ſed hexagynia, licet enim ſtyli, primo connati, vnicum prae ſe ferant; apice tamen ſunt liberi, et cum capſula in 6 locula diuiditur, tunc ſtyli ſeparantur, et quilibet ſuum loculum ſeorſim terminat; ſingulum loculum ſepto longitudinali in duas partes diuiditur, eidemque vtrinque bina ſemina adhaerent. Ita et *Portulaca oleracea* non mono-ſed pentagynia eſt, vti pridem vidit HALLERUS. Nec *Iſopyrum*
p. 402. polygya erit, ſed trigyna potius, germina enim modo duo vel tria euidentiſſimo ſtylo terminata, totidemque triſpermas capſulas Cl. Auctor vidit.
p. 386. *Atragene* differt a *Clematide* ſtaminibus exterioribus in nectaria lanceolata, triloba, emarginata et integra degenerantibus, quae LINNAEUS petala vocat, corollam vero pro calice ſumit; hanc metamorphoſin ſtaminum etiam in *Clematide Vitalba* ob-
T. II. ſeruauit Cl. Auctor. In *Myriophylli* notis genericis non
p. 238. conueniunt ſcriptores. In *ſpicato* inuenit Cl. Auctor calicem quadridentatum, corollam nullam, ſtamina 8, germina 4, ſtigmata papilloſa, et femineos inferiores prioribus ſimiles, ſed abſque ſtaminibus.
p. 250. *Bryoniam* in Auſtria dioicam eſſe, tradidit Cl. IACQUINIUS, quo hac de re certus eſſet Auctor, ex agro Gorizienſi eandem in hortum tranſtulit, plantamque florentem monoeciam obtinuit, viditque in maſculis filamenta tria bifida, ſegmentorum marginibus coronatis, et antheras adnatas, in feminis ſtylum vnum et ſtigmata duo lunata.

Poſſemus facile plura ex perfectiſſimo hoc opere repetere, niſi breuitati ſtudendum eſſet. Ad ordines naturales ſollicite reſpexit, licet artificialem aſſumſerit, et, quosnam ingredi deberent genera,
T. I. ſaepius annotauerit. Ita *Salicornia* affinitatem habet
p. 4. cum *Salſola* et *Beta*, hinc inter *Oleraceas* recen-
p. 5. ſenda. *Limnopeuce*, quia ſtylum ex apice germinis emittit, remoueri debet ab *Elaeagnis*, et aſſo-

ciari

ciari familiae *Zingiberum*. *Hedera* cum vmbelliferis p. 168.
coniungi nullo modo poteſt. *Acorus* proximus
Iuncoidi MICH., haec *Scheuchzeriae*, *Scheuchzeria* p. 254.
Antherico: hinc familia *Liliaceorum* ADANSONII
vere naturalis eſt. *Aliſma* et *Sagittaria* affinitatem
indubiam habent; ſed vtraque gens monocotyledon
a multiſiliquis remouenda in ordine naturali: *Bu-
tomus* cognatus *Aliſmae*, *Veratrum Sagittariae*, et p. 267.
cum *Butomus Scheuchzeriae* proxime accedat, ita
quatuor haec genera coniungunt *Iuncos* cum *Lilia-
ceis*. *Knavel* affinitatem cum *Theſio* maiorem, p. 298.
quam cum *Alchemilla* habet, hinc remoueri debet
a *calycifloris*.

Annotauit etiam frequenter inſecta, quae plan-
tas inhabitare ſolent, et alia, quae ex plantarum
diſquiſitione ad nos redundant, commoda. e. g.
Melois veſicatorii copiam inſignem alit *Liguſtrum*;
Oleae infenſus *Curculio*, in baccis habitans; *Cheno-
podium Scoparia Cimices* pellit; *Pinguicula* indicat
in vicinia latentem *Tophum* ſiue *Porum aqueum ſoli-
dum* WALLERII; *Valeriana tripteri* florente *Gryl-
lus* ſtridet in campis, *Vpupa* foetidum nidum aedifi-
cat, *Rana* in fruticibus laete coaxat. *Rubi fruti-
coſi* foliis laruae *Phal. Bombycis*, defectu *Mori*, nu-
triri poſſunt, ſed vilius ſericum inde obtinetur.

Verum eiuſmodi plura commemorare nolumus,
modo adhuc nonnulla, quae de viribus plantarum
medicatis Cl. Auctor adduxit, breuiter repeta-
mus; inprimis cum ea, quae in priori Florae edi-
tione annotauerat, nunc omiſſa, alia vero addita
fuerint. *Valerianae officinali* antepilepticam virtutem, Tom. I.
inſigni exemplo Florae edit. I. confirmatam, in aliis p. 33.
poſtea caſibus felici ſemper ſucceſſu expertus eſt.
Verbaſcum thapſum in phthiſi bouilla laudauerat
LINNAEUS, et in Carniolia vbique in morbis p. 155.
pulmonum bouillae gentis pro ſpecifico haberi,

Auctor

p. 170. Auctor retulit. *Vincae* minoris decoctum lacteum
p. 266. ſanauit raucedinem, aphoniae fere ſimilem. *Oxy-*
mellite Colchico curauit vetulam hydropicam ao. 65.
in duobus autem aliis hydropicis nihil idem profuit.
p. 268. *Aeſculi Hippocaſtani* culturam maximopere commen-
dauit: purgat et ſanat equos, vnde nomen accepit,
fructus excorticatus et pulueriſatus in aqua tepida
ſpumeſcit, eamque aptam reddit purgandis linteis
loco ſaponis; folia inſeruiunt pro pabulo pecorum
cornutorum; cortice coria praeparari poſſunt; in-
fuſum fructus pro maceratione Cannabis inſeruit,
hocque ipſo melius forte lauari poteſt ſericum cru-
dum, cum vulgaris ſapo impediat, ne ſericum ſat
viuide coloretur. Cineres etiam dant ſal pro depu-
rando ſerico valde proficuum; ex fructu quoque
paratur amylum, puluis ab extractione ſubſtantiae
ſaponaceae reſiduus, ablutus, et cum furfure triti-
To. II. ceo mixtus, nutrit gallinas. Ita et *Pini Piceae* cul-
p. 246. turam et oeconomiam vtiliſſimam et neceſſariam
Tom. I. ſummopere ſuaſit. Baccae *Sorbi Aucupariae* non
p. 346. ſolum nutriunt pecora et gallinas, ſed etiam ſuccum
praebent, ex quo ſpiritus vini parari poteſt. *Che-*
p. 369. *lidonii maioris* decocto necantur vermes, qui putri-
To. II. dis equorum vlceribus innaſcuntur; herba eiuſdem
p. 241. cum pinguedine mixta, ſanant incolae mictum
cruentum in bobus, quem folia *Quercus, robur* dictae,
producere ſolent. *Thlaſpi Burſae paſtoris* herba re-
p. 17. cens, cum oleoſis tempeſtiue adhibita, ſanat haema-
p. 133. turiam in bobus et tauris. *Onopordi Acanthii* radix
cocta et aſſumpta in modum Theae, ſpecificum eſt
p. 285. in gonorrhoea incipiente. *Equiſetum ſyluaticum* bo-
bus maxime nociuum, quippe dentium iacturam et
diarrhoeam efficit.

Reliqua, quae nouas, a Cl. Auctore exhibitas, vel deſcriptas, vel icone expreſſas plantas concernunt, ſilentio praeterire debemus, licet ex illis maxi-

maximam quoque aeſtimationem mereatur opus. Diſſertationem de plantis ſubterraneis promiſiſſe Tom. II. p. 473 ſolummodo adhuc notemus, eamque botanicis gratiſſimam fore, facile praeuidemus.

VI.

Philoſophical Tranſactions giving ſome account of the preſent undertakings, ſtudies, and labours, of the ingenious, in many conſiderable parts of the world. Vol. LIX. for the Year 1769. P. I and II. pagg. 530. tab. aen. 46. London printed for Lockyer and Davis 1770.

i. e.

Tranſactiones philoſophicae, quae laborum, ab eruditis in variis orbis terrarum partibus nouiſſime ſuſceptorum, quandam exhibent notitiam. Vol. LIX. P. I et II. ad annum 1769.

Voluminis quinquageſimi noni pars prima continet ſequentes articulos.

1) Epiſtola Cl. I. MOULT ad Cl. PERCIVALL Med. Doct. *in qua noua methodus radicem* Salab *praeparandi traditur*. Cl. Auctor eodem fere artificio, quod Cl. RETZIUS *) in Suecia adhibuit, etiam *orchidis morionis* radices ita praeparauit, vt ſimiles iis fierent, quae ex Aſia ſub nomine radicis Salep afferuntur. Poteſt etiam ex *orchide palmata* praeparari. Vtitur vero Cl. Auctor inprimis nouis p. 1.

*) v. Act. Academ. Suecic. Vol. XXV. p. 245. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 209.

nouis radicibus, quae antiquis accreſcunt, eaſque, cuticula detracta, in furnum piſtorium immittit, in quo intra dimidium quadrantis horae tranſparentes fiunt. Reliquam exſiccationem in conclaui ſicco peragit. Planta ipſa in ſolo ſicco ſterili optime creſcit, et cultura eius omnino commendari meretur.

p. 4. 2) *Breuis narratio de ſtructura et effectu ſpeculorum cauſticorum parabolicorum a defuncto* Domino HOESERO Dreſdae *elaboratorum, quae nunc* a Domino EHRARD *ſub arce Dresdenſi habitante poſſidentur.* Auctore Cl. WOLFE M. D. Recenſentur experimenta a Cl. HOFFMANN cum ſpeculis cauſticis Hoeſerianis inſtituta, quorum maxima pars iam in promtuario Hamburgenſi (*Hamburgiſches Magazin*) continetur.

p. 9. 3) *Caſus rarus de tribus acubus a puella deglutitis, et ex humero ſuppuratione expulſis;* in epiſtola Cl. LYSONS ad Cl. NICHOLLS. Haec epiſtola continet hiſtoriam puellae viginti duorum annorum, quae acus tres, in ore detentas, forte deglutierat. Hae in oeſophago haerentes chirurgicis quidem inſtrumentis ante aliquot menſes inferiora verſus detruſae fuerant, ſymptomatum tamen vehementia minime remota eſt, quin potius raucedinem inſignem, haemoptyſin, dolorem in latere dextro ſub coſtis ſpuriis, tuſſi qua excruciebatur, et omni corporis motu auctum, et aliquoties conuulſiones experiebatur, quibus rectus inprimis ſuperior oculi dextri muſculus ita afficiebatur, vt aperto etiam oculo palpebra pupillam tegeret. Similis effectus in ſiniſtro quoque oculo obſeruabatur, ſed poſt aliquot ſeptimanas medicamentis remouebatur. Effluxis

tan-

tandem aliquot menſibus, tumor in humero dextro ſe oſtendit, qui tamen paullo poſt euanuit, altero in ſuperiore parte ſcapulae ſiniſtrae eleuato, qui paulo poſt in abſceſſum mutabatur, ex quo, a chirurgo aperto tres acus deglutitae extrahebantur. Vulnus vero illud carnoſam trapezii partem occupabat. Ex vita ſedentaria aegrae catamenia quidem ceſſauerant; haemoptöe tamen, qua aegra afficiebatur, ex eorum defectu non explicari poterat, cum ea ab eo ipſo tempore, quo acus ex oeſophago remotae erant, iam inceperat. Iter harum acuum ex oeſophago ad humerum maxime admirandum eſſe videtur, cum ipſos pulmones affectos, et ſputum cruentum, et tuſſis, diaphragma autem laeſum, dolor ad coſtas ſpurias ortus indicent. Oculorum tandem affectio, non niſi ex conſenſu nerui intercoſtalis cum tertio pare neruorum cerebri ceterisque, explicari poteſt. Ceterum difficillimum eſt intellectu, cur, dolore et tumore in dextro latere primum obuiis, aciculae tamen in ſiniſtro latere inventae ſint.

4) *Epiſtola* Ill. WILLIAM HAMILTON ad Cl. MATY, *in qua variae obſeruationes circa montem Veſuuium aliosque vicinos montes igni vomos occurrunt.* Alio loco iam varias obſeruationes Ill. Auctoris circa eruptionem montis huius indicauimus, quarum continuatio hic traditur *). Ex ea patet plurimos Veſuuio vicinos montes et ipſum Veſuuium ignis vi olim ortos fuiſſe. p. 18.

*) Philoſ. Tranſact. Vol. LVIII. ad annum 1768. p. 1. comment. noſtr. Vol. XVII. p. 386.

p. 22. 5) *Epiſtola* Cl. DAINES BARRINGTON ad Cl. WATSON *de variis arboribus, quae pro indigenis magnae Britanniae vulgo habentur.* Oſtendit Cl. Auctor caſtaneam in Anglia non indigenam eſſe, ſed ſatiuam, eaque occaſione de aliis arboribus, quae ex aliis regionibus in Angliam primum delatae ſunt, diſſerit.

p. 39. 6) *Relatio de caſu, in quo caput oſſis humeri a reliquo humero ſerra, et magna deinde huius oſſis portio exfoliationis ope ſeparata eſt, motu tamen totius artus ſuperſtite.* Auctore Cl. WHITE, Chirurgo. Ea eſt admiranda naturae vis in reſtituendis partibus variis, a reliquo corpore ſeparatis, vt plurimae quoque obſeruationes probent iacturam inſignium fragmentorum oſſeorum a natura iterum reparatam fuiſſe *). En nouum huius rei exemplum! Adoleſcens ſedecim annorum habitus ſcrophuloſi inflammatione et deinde abſceſſu in humero ſiniſtro afficiebatur, quo aperto, caput humeri carie affectum deprehendebatur. Cum corporis conſtitutio et ſymptomatum vehementia vix amputationem in articulo humeri permitterent, inciſionis ope caput humeri, quod luxatum iam erat, Cl. Auctor extraxit et a reliquo oſſe ſeparauit. Quo facto, paullo poſt alia quoque oſſis pars exfoliatione protrudebatur et intra quatuor menſes vulnus ita conſolidatum eſt, vt hoc brachium altero ne vnum quidem pollicem breuius eſſet, motus brachii omnes eadem, qua antea, facilitate peragerentur et, quantum tactus ope iudicari poſſet, humeri caput ipſum perfecte reſtitutum eſſet. Sub curatione Cl. Auctor nullis faſciis, ferulis, vel aliis machinis brachium in vno eodemque ſitu ſeruare conatus eſt, qua ſimplici methodo

*) Conf. Aduerſ. Med. Practic. Vol. III. p. 45. ſeq.

thodo ſine dubio id obtinuit, vt liber brachii motus etiam poſt operationem ſuperſtes remaneret. Cum in hoc caſu caput oſſis humeri iam ex parte reſtitutum videretur, antequam portio oſſis corrupta, inter hoc caput et os ſanum poſita, ſeparata eſſet: apparuit callum, quo amiſſa integra oſſium fruſtra reſarciuntur, non ex oſſis fracti extremitatibus tantum, ſed et ex proximis arteriolis exſudare et quaſi ſecretionis ope in vacuum locum deponi. Denique haec obſeruatio probat amputationem humeri in articulo, capite etiam hoc carie affecto, non ſemper inſtituendam eſſe, cum operatio, quae hic deſcribitur, non adeo periculoſa ſit, et brachium integrum ſeruetur. Idem de amputatione femoris in articulo quoque valet *).

7) *Epiſtola* Cl. WILL. BORLASE ad Cl. MORTON, *in qua relatio de ſtanno natiuo in Cornubia reperto continetur.* Iam ante aliquot annos ſtannum natiuum in Cornubia a Cl. ROSEWARNE repertum fuiſſe alio loco monuimus **). Nunc aliud huius rei exemplum idem inuenit, ſtannum nimirum cryſtalliſatum (*tin diamond*, Germanis *Zinngraupe*) rubeſcens vel granatico colore praeditum (*of the rozin kind*), vbi in cuiusdam cryſtalli medio fragmentum natiui ſtanni incluſum eſt. p. 47.

8) *Commentarius de origine papyri naturalis, circa vrbem* Cortona *in* Toſcania *reperiundae.* Auctore Cl. IOHN STRANGE. Probat materiam illam p. 50.

Sſ 3 papyro

*) Si iconem contemplamur, ſuſpicio epiphyſeos relictae non ſine fundamento eſſe videtur.

**) vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 498. Act. Acad. Stockholm. Vol. XXVIII. p. 231. LINNAEI Syſtem. Natur. Edit. XII. T. III. p. 236. et Phil. Tranſact. Vol. LVI. p. 35 et 305. Conf. Cronſtaedt. Mineral. ex edit. Cl. BRÜNNICHE p. 199.

papyro (vel panno tenui, ex ſerico confecto, quod noſtrates *Watte* vocant) ſimili, qua etiam apud nos poſt inundationes prata obteguntur, non ex fibris diuerſarum plantarum filamentoſarum, ita inter ſe intertextis conſtare, ſed ad conferuas pertinere; qua occaſione botanicus *conferuae* apud DILLENIUM et LINNAEUM character varie emendatur, et ſpecimina papyri artificialis, ex hac conferua, nec non ex geniſta iuncea confectae, deſcribuntur.

p. 59. 9) *Experimenta circa vim lateralem exploſionis electricae.* Auctore Cl. IOSEPH PRIESTLEY.

p. 63. 10) *Experimenta varia circa vim exploſionis electricae.* Auctore EODEM.

p. 71. 11) *Relatio de terrae motu Macaenſi et ſingulari ſpecie ſimiarum, cauda nulla inſtructarum, quae in interiore parte Bengalenſis regionis inueniuntur.* Ex litteris Cl. DE VISME ad Cl. BAKER. Simia hic deſcripta videtur eſſe ea ſpecies, quae ab Ill. BUFFON *) *Gibbon*, a LINNAEO vero in Mantiſſa altera p. 425 *Homo lar* vocatur. Longitudo tamen manuum in figura hic adiecta non tanta eſt, quanta a BUFFONIO delineatur. Ab incolis *Golock* dicitur.

p. 74. 12) *Epiſtola* Cl. ROBERTSON a Cl. WELL, *in qua demonſtratio legis motus corporis deflexi duabus viribus, perpetuo ad duo puncta fixa tendentibus, continetur.*

p. 79. 13) *Epiſtola* Cl. PAXTON ad Cl. MILLES. In hac fulguris effectus nonnulli indicantur.

14) *Epi-*

*) Hiſtoir. natur. Vol. XIV. p. 92. comm. noſtr. Vol. XV. p. 659.

14) *Epitome obſeruationum meteorologicarum, Plymuthi a. 1768 factarum.* Auctore Cl. FARR. p. 81.

15) *Relatio de aurora boreali* d. 6 aug. 1768. *Lutetiis Pariſiorum a Cl.* MERCIER *obſeruata.* p. 86.

16) *Obſeruationes circa probabilitatem et iudicium de vitae ſpatio, de augmento generis humani, de mutuo nexu amplitudinis et frequentiae vrbium, Londini nominatim, quoad ſalubritatem et numerum incolarum.* In epiſtola Cl. R. PRICE ad Cl. BEWIS. p. 89.

17) *Diſſertatio epiſtolaris de oſſibus et dentibus elephantum, aliarumque belluarum in America ſeptentrionali aliisque borealibus regionibus obuiis, qua indigenarum belluarum eſſe oſtenditur.* Auctore Cl. R. E. RASPE. Ex alio tranſactionum loco *) patet oſſa maiorum animalium, quae a nonnullis pro carniuoris habita ſunt, in America ſeptentrionali ad fluvium *Ohio* inuenta fuiſſe. Illa Cl. RASPE occaſionem dederunt, vt paullo accuratius in originem eorum inquireret. Demonſtrat vero ea aliaque oſſa inſolitae magnitudinis, quae in Europa et Aſia boreali reperta ſunt, alio plane modo ſepulta fuiſſe, quam corpora marina, quae profundius in lapidibus latent; hinc non eſſe peregrina, nec marina, et belluas haſce indigenas, et fato ſuo aut hominum vi exſtinctas fuiſſe. Belluas has olim in his regionibus habitaſſe, et mutatione climatis, vel axis aut figurae terrae interfectas fuiſſe plurimi putarunt, qui omnes hic egregiis argumentis a Cl. Auctore refutantur. Cum itaque haec oſſa in pluribus ab ele- p. 126.

Sſ 4 phan-

*) vid. Phil. Tranſact. Vol. LVIII. p. 34. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 388. it. v. obſeruationem Cl. COLLINSON. Phil. Tranſact. Vol. LVII. p. 468. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 268 et 281.

phantinis aut aliorum animalium cognitorum oſſibus differant, aliae cuidam ſpeciei incognitae, et nunc penitus deletae, adſcribenda eſſe Noſter putat. Eſſe potuit elephantorum ſpecies in ipſo ſeptentrione, reliquis omnibus praecellens frigoris patientia, quae forte in antarcticis noſtris terris boreali-
p. 136. bus parallelis adhuc habitat. Cauſſam vero, cur tam ingens ſceletorum et oſſium aceruus in tam breui ſpatio Americae repertus fuerit, Cl. Auctor ponit in eo, quod belluae ſalis, quo terra in eo loco abundabat liguriendi deliciis in hanc paludem allectae, paludoſa terra ponderi corporis cedente, ibidem ſepultae fuerint.

p. 138. 18) *Relatio de ſingulari ratione incrementi animalculorum, in infuſis variorum vegetabilium reperiundorum, cum deſcriptione noui ſalis indiſſolubilis ex ſeminibus cannabinis, in aqua putreſcentibus orti.* Auctore Cl. IOHN ELLIS. Ill. DE MÜNCHHAUSEN in egregio opere, cui titulus (*der Hausvater*) praefixus eſt *) aſſeruit, ſemina fungorum in aqua excludi et viuere et mori, demumque figi et in fungos excreſcere; quae res Ill. LINNAEUM eo permouit, vt ſemina haec, ex animali natura in vegetabile mutata, animalibus inſereret, nomineque *chaos fungorum* inſigniret **). Inuentum hoc Cel. ELLISIUM eo permouit, vt accuratius in rem tam mirabilem inquireret. Reperit vero ſemina haec moueri quidem, non tamen motu ipſis proprio et intrinſeco, ſed ab animalculis minutiſſimis, vix viſibilibus, quae iis ſeminibus forte veſcuntur, motum hunc excitari. Plurimas hac occaſione Cel. ELLISIUS circa animalcula infuſoria inſtituit obſeruationes et in infuſo ſeminis cannabis animalcula microſcopica vidit, quae ſponte

*) Vol. I. p. 149.
**) Syſt. Ed. XII. p. 1326.

ſponte in duo alia animalcula ſecederent, quam tamen obſeruationem ſe primum Cl. DE SAUSSURE debere, candide profitetur. Quod vero ſal illud indiſſolubile ex infuſo ſeminum cannabinorum confectum attinet, notandum eſt illud etiam in infuſo ſeminum lini et tritici reperiri. Aqua non ſoluuntur eius cryſtalli, ſed, ſi putredo increſcit, ſenſim deſtruuntur. Hinc Cl. Auctor quaerit, num forte partes vegetabilium oleoſae, quae in ſuperficie infuſorum cum ſpuma natent, cryſtalliſentur? In tabula adiecta quinque ſpecies delineantur, quae ad genus zoophytorum, quod LINNAEUS *voluox* dicit, pertinent. Plurimae ex his pinnis minutiſſimis mouentur, quae tantum, ſi animalcula torpida fuerint, conſpici poſſunt, quod arte obtineri poſſumus, ſi gutta infuſi *geranii zonalis* LINN. infuſo, quod microſcopio examinatur, addatur.

19) *De computatione diſtantiae ſolis a terra ope theoriae grauitatis.* Auctore Cl. HORSLEY. p. 153.

20) *Obſeruationes meteorologicae in oppido* Bridgewater et Lugduan *inſtitutae* a. 1768. Communicatae a Cl. MILLES. p. 155.

21) *Deſcriptio methodi propoſitae templum cathedrale Londinenſe* S. Paulo *dicatum ab effectibus fulminis defendendi.* p. 160.

22) *Obſeruationes circa tranſitum Veneris per diſcum ſolis* d. 3. Ian. 1769. Auctore Cl. I. HORSFALL. p. 170.

23) *Obſeruatio tranſitus veneris per diſcum ſolis in Caſtello* Sherborn *et* Oxonii *facta.* Auctore Cl. HORNSBY. p. 172.

p. 183. 24) *Similes obſeruationes* auctore Cl. HORSLEY.

p. 189. 25) *Similes obſeruationes in oppido* Kew *factae.* Auctore Cl. I. BEUIS.

p. 192. 26) *Similes obſeruationes*, a Cl. I. CANTON Londini *factae.*

p. 195. 27) *Relatio de variis inſcriptionibus ſepulchralibus et figuris* Bonnii in Germania *repertis.* Auctore Cl. I. STRANGE, in litteris eius ad Cl. WEST.

p. 198. 28) *Relatio de ſyſtemate vaſorum lymphaticorum in amphibiis*, ex epiſtola Cl. HEWSON ad Cel. HUNTERUM. Clariſſimus huius epiſtolae Auctor, qui inventione vaſorum lymphaticorum in auibus inclaruit *) eadem nunc in teſtudinis anatome detecta exponit. Impletis enim ramis eorum maioribus maſſa ceracea, minoribus mercurio viuo, obſeruavit: differre haec vaſa lymphatica a lymphaticis auium in eo, quod maiores rami, in humeri vaſa lymphatica excurrentes, nullas glandulas tranſirent. In meſenterio vaſa ſanguifera comitantur, ad cuius radicem in ſiniſtro ſpinae dorſi latere cum lymphaticis ſplenis anaſtomoſin faciunt, et rete formant, quod aortae dextrae (notum enim eſt duas in amphibiis aortas eſſe) incumbit. Canalis, qui ex hoc rete exit, vbi paullulum adſcendit, ante aortam dextram largum format receptaculum, quod intrant vaſa lymphatica ventriculi, pancreatis, duodeni cet. et ex quo ductus thoracici tres exeunt. Horum vnus in dextro latere poſitus eſt, in quem vaſa lymphatica colli aliarumque partium intrant, qui ſubclauiae dextrae immittitur, duo vero in ſiniſtro, qui aortam

*) vid. Philoſ. Tranſact. Vol. LVIII. p. 217. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 396.

aortam ſiniſtram vtrinque cingunt, lymphatica vaſa huius lateris recipiunt, deinde coniunguntur, et, facto plexu reticulari, ramum exeuntem ſubclauiae ſiniſtrae inſerunt. Hic plexus in auibus deſideratur. Vaſa lymphatica in contextum celluloſum orificiis ſuis hiare, et hinc contextum illum ad ſyſtema vaſorum lymphaticorum pertinere, Cl. Auctor probat.

29) *Relatio de ſyſtemate vaſorum lymphaticorum in piſcibus,* auctore EODEM. Deſcribuntur vaſa illa, qualia ea in *Gado aegleſino* Cl. Auctor reperit, quam deſcriptionem hic ommittimus. In piſcibus ſyſtema lymphaticum glandulis valuulisque penitus deſtituitur. Vaſa lactea in iis reticulum inter muſcularem villoſamque inteſtinorum tunicam formant, leniori iniectione, a parte muſculari facta, facile demonſtrandum. Praeterea monet Noſter villos inteſtinorum in omnibus, quae diſquiſiuit, animalibus ex reticulari fabrica vaſorum lacteorum conſtare, nec ea in ampullam, vt LIBERKÜHNIUS ex homine deſcripſit, terminari, cuius obſeruatio etiam hanc ob cauſſam Noſtro ſuſpecta eſſe videtur. Addit ſub finem epiſtolae indicem praeparatorum ad hiſtoriam vaſorum lymphaticorum in amphibiis et piſcibus ſpectantium, quae Regiae ſocietati exhibuit. p. 204.

30) *Litterae* Cl. LANE ad Cl. CAUENDISH *de ſolubilitate ferri in aqua ſimplici ope aeris fixi.* Solutionem ferri in aquis mineralibus vtplurimum a chemicis acido cuidam minerali volatili tribui notum eſt, quae tamen aquae alcali potius abundant. Cum vero per experimenta Cl. CAUENDISH *) pateat, terram calcaream ope aeris fixi in aqua ſuſpendi p. 216.

*) vid. Philoſoph. Tranſact. Vol. LVI. p. 141. comm. noſtr. Vol. XV. p. 504.

pendi, ſimile quid cum ferro fieri Cl. Auctor ſuſpicatus eſt, quod et experimenta eius probant. Monemus tamen inter illa quaedam eſſe, in quibus ſolutio ferri acido forte ſubtili, ex materiis fermenteſcentibus exhalanti, adſcribenda eſt.

p. 228. 31) *Relatio de variis phaenomenis, ſub ingreſſu veneris in diſcum ſolis obſeruatis.* Auctore Cl. HIRST.

p. 236. 32) *Obſeruatio tranſitus veneris per diſcum ſolis* d. 3. ian. 1769 *in vrbe* Leiceſter, *facta* a Cl. LUDLAM.

p. 241. 33) *Epiſtola* Cl. I. HOPE ad Cl. WATSON *in qua rara planta, in inſula* Skye *reperta, deſcribitur.* In loco quodam huius inſulae haec planta a Cl. ROBERTSON detecta eſt, quam Cl. Auctor *Eriocaulum decangulare* eſſe putat, eiuſque deſcriptionem vberiorem hic communicat.

p. 247. 34) *Obſeruationes aſtronomicae*, a Cl. HOLLAND *in America ſeptentrionali factae.*

p. 253. 35) *Obſeruationes aſtronomicae in inſula* Hammerfoſt, a Cl. DIXON *factae.*

p. 262. 36) *Obſeruationes ſimiles* in Promontorio ſeptentrionali (North Cape) *factae*, a Cl. BAYLE.

p. 273. 37) *Obſeruatio tranſitus veneris* in inſula Coudre *ad* Quebecum *facta* a Cl. WRIGHT.

p. 281. 38) *Caſus ſingularis ex epiſtola* Cl. GOOCH *ad* Cl. WARNER. Vir quinquaginta annorum, laxiori corporis habitu praeditus, per decem annos febre ſingulari, in anni ſpatio bis recurrente, laborare ſolet,

ſolet, quae catarrhalis ſpeciem prae ſe fert, iuncto tamen eo ſymptomate, vt pruritum inſignem cutis, praeſertim circa articulos, ſentiat, quem maculae in cute rubicundae, tumor exiguus et rigiditas digitorum ſequuntur. Quae vbi per viginti quatuor horas durauerint, cuticula in toto corpore ſeparatur, ita vt in quinque digitis manuum pedumque, forma chirotecarum, vna cum vnguibus ſecedat, non ſine inſigni aegri dolore. Reparatur tamen damnum illud mox noua cuticula, quae primis diebus maxime ſenſilis eſt, vngues vero intra ſex menſes reſtaurantur.

39) *Obſeruatio ingreſſus veneris in ſolem*, d. 3. Iunii 1769. *habita* Gryphiswaldae a Cl. MAYER. p. 284.

40) *Obſeruatio eclipſis ſolis* d. 4. iun. 1769 a Cl. SMEATON *habita*. p. 286.

In parte ſecunda pauciores obſeruationes occurrunt, quae propius ad nos pertinent, cum plurimae ex iis de aſtronomicis rebus tractent. Repeiuntur vero in ea ſequentes : p. 11.

41) *Relatio de tranſitu veneris per diſcum ſolis in* Penſyluania d. 3. iun. 1769. *obſeruato, communicata* a Cl. MASKELYNE. p. 289.

42) *Obſeruationes eiusdem tranſitus habitae in* Suecia. *Communicatae* a Cl. P. WARGENTIN. p. 327.

43) *Obſeruationes ſimiles* a Cl. WILSON, Glasgouii *factae*. p. 333.

44) *Similes obſeruationes*, a Cl. LIND prope Edinburgum *factae*. p. 339.

45) *Si-*

p. 347. 45) *Similes obſeruationes* Gibraltariae *factae a* Cl. IARDINE.

p. 351. 46) *Obſeruationes*, a Cl. WINTROP Cantabrigiae *in* Noua Anglia *factae.*

p. 359. 47) *Commentarius de varia quantitate pluuiae, quae in vno eodemque loco in varia altitudine deſcendere videtur.* Auctore Cl. HEBERDEN.

p. 363. 48) *Obſeruatio eclipſis lunae, prope* Edinburgum *facta* d. 12 dec. 1769 a Cl. LIND.

p. 367. 49) *Relatio de auroris borealibus duabus*, Oxonii *obſeruatis* a Cl. SWINTON.

p. 374. 50) *Relatio de tranſitu veneris per ſolem* Lutetiis Pariſiorum *obſeruato.* Ex litteris Cl. DE LA LANDE et MESSIER.

p. 378. 51) *Relatio de eodem tranſitu* Londini a Cl. AUBIN *obſeruato.*

p. 379. 52) *Relatio de oleo ex* Carolina ſeptentrionali *a* Cl. BROWNRIG *tranſmiſſo*, auctore Cl. W. WATSON. Cum in America olea non creſcat, et inſignis olei copia quotannis ex Europa huc transferatur, nouum hoc inuentum oleum omnino attentionem meretur. Praeparatur vero ex ſeminibus plantae, quam LINNAEUS *Arachin* vocat, quae ex Africa a nigritis ſeruis allata nunc in America vbique fere colitur, cum ſemina eius, ex quibus oleum hoc expreſſione obtinetur, victus loco adhibeantur. Neque ſemina, neque oleum ipſum rancidum fieri aſſeritur. Ab Anglis haec planta *groundpeaſe* vocatur.

53) *Ca-*

53) *Catalogus quinquaginta plantarum regiae ſocietati, ex horto Chelſeano a. 1768. exhibitarum a* Cl. HUDSON. p. 384.

54) *Deſcriptio vaſorum lymphaticorum vrethrae et colli veſicae*, auctore Cl. W. WATSON. Quamquam multorum eruditorum ſtudium eo fuit conuerſum, vt lymphaticorum vaſorum naturam in homine declararent, nondum tamen anatomici eo peruenerunt, vt completum vaſorum horum ſyſtema conficere poſſent. Plures enim partes eſſe, quarum vaſa lymphatica adhuc ignorantur, neminem latet. Inter illas vrethra eſt et veſica vrinaria, quas tamen vaſis his non deſtitui, Cl. Auctoris deſcriptio hic tradita probat. Communia habent haec vaſa plura cum vaſis ceterarum partium, vt progreſſum in ſuperficie, teneritatem, pelluciditatem, anaſtomoſes, valuulas cet. Incipiunt in vtroque latere capitis gallinaginis et paruulis orificiis reſorbentibus in interna membrana veſicae et vrethrae aperiuntur. Excurrunt ſuper proſtatam et collum veſicae, iunguntur crebrius inter ſe, continuantur in contextum celluloſum tunicae veſicae internae ſubſtratum, et anaſtomoſin patiuntur cum lymphaticis vaſorum ſeminalium, cum quibus ad vicinas glandulas conglobatas et tandem ad ductum thoracicum, vti omnia fere reliqua lymphatica vaſa, tendunt. In membranacea tantum vrethrae parte, eiusmodi vaſa reperiuntur, in qua maxima liquoris copia inuenitur. Frequens inflammatio et induratio, quas orificia eorum experiuntur, ſine dubio cauſſae ſunt illius ſpeciei gonorrhoeae benignae, quae raro vel nunquam curatur, et ex accumulatione fluidorum tenuium, reſorptione eorum impedita, oritur. Mediantibus his vaſis virus quoque venereum ad ipſam maſſam humorum vniuerſalem, ſine vllo p. 392.

malo

malo locali praegreſſo transferri poteſt. Adiecta eſt huic deſcriptioni tabula aenea, in qua vaſa haec vrethrae et colli veſicae lymphatica delineantur.

p. 399. 55) *Eclipſis primi ſatellitis iouis cet. in obſeruatorio Greenwichienſi obſeruata.*

p. 402. 56) *Obſeruatio ſimilis* a Cl. WILSON *facta.*

p. 404. 57) *Obſeruationes aſtronomicae* in Suecia *factae* ex literis Cl. FERNES.

p. 407. 58) *Obſeruatio tranſitus veneris* in *vico* Eaſt Dereham *a* Cl. WOLLASTON *facta.*

p. 414. 59) *Obſeruatio eiusdem tranſitus in Penſyluania facta,* a Cl. FRANKLIN *communicata.*

p. 422. 60) *Obſeruatio eiusdem tranſitus in arce Windſorienſi facta* a Cl. HARRIS.

p. 432. 61) *Explicatio duorum nummorum Samniticorum* auctore Cl. SWINTON.

p. 444. 62) *Obſeruatio tranſitus veneris in Marylandia facta* a Cl. LEIDS.

p. 446. 63) *Experimenta, quae probant cauſſam luminis, quod nocturno tempore in mare obſeruatur, ex putrefactione ſubſtantiarum animalium oriri.* Auctore Cl. CANTON. Notum eſt variare multum eruditorum circa originem lucis huius ſententias, et recentiores fere omnes illud vermiculis, in aqua marina viuentibus, tribuere. Contraria vero ratione Cl. Auctor illud putredinis eſſe effectum contendit, illudque variis experimentis comprobare tentat.

Piſci-

Piſcibus enim, inprimis *Gado merlango* et *halece* in aquam marinam immiſſis, et vaſe in gradu caloris 54 thermometri Fahrenheitiani graduum detento, putredine accedente piſcis lumen ſpargere incepit, eaque aucta aqua ipſa luceſcebat. Increuit tamen tantum per viginti quatuor horas, quibus elapſis, nullam amplius lucem edidit. Comparatis vero his phaenomenis cum aqua fluuiatili, in qua piſcis putredini relinquebatur, nihil eiusmodi in hac aqua apparuit. Aqua autem ſimplex, cui ſal marinum ea doſi admixtum fuerat, vt aequalem grauitatem ſpecificam cum aqua marina obtineret; idem praeſtitit, cum e contrario aqua, cui tanta ſalis copia admiſcebatur, quantam continere poſſet, nullum lumen ederet. Piſces in aqua marina vel modice ſalſa celerius, quam in dulci, aut in ea, cui maior ſalis copia addita fuerat, putredinem ſubeunt.

64) *Obſeruationes aſtronomicae* Lutetiis Pariſiorum a Cl. MESSIER *factae.* p. 454.

65) *Obſeruationes aſtronomicae* a Cl. WATER et DYMOND *factae, in ſinu Hudſoniano.* p. 461.

66) *Epitome litterarum* a Reu. Patribus Soc. Ieſu Pekini in China *commorantibus ad Regiam ſocietatem ſcriptarum, in qua de characteribus Sinenſibus, eorundemque cum hyeroglyphicis characteribus Aegyptiorum conuenientia agitur.* p. 489.

67) *Relatio de tranſitu mercurii per diſcum ſolis* d. 25 octobr. 1743. Cantabrigiae in noua Anglia *obſeruato* a Cl. WINTHROP. p. 505.

68) *Methodus lentes obiectiuas teleſcopiorum refringentium accurate ſphaericas parandi.* Auctore Cl. SHORT. p. 507.

VII.

Pharmacopoea Heluetica in duas partes diuiſa, quarum prior materiam medicam, botanico-phyſico-hiſtorico medice deſcriptam; poſterior compoſita et praeparata modum praeparandi, vires et vſum exhibet, ſcitu et conſenſu gratioſi collegii medici Baſileenſis digeſta. Praefatus eſt Ill. ALBERTUS DE HALLER, accedunt ſyllabus medicamentorum in claſſes diuiſus et duo indices neceſſarii, primus morborum et curationum, alter trilinguis lat. germ. gall. Baſileae ſumtibus et litteris Ioh. Rod. Imhof. et filii. 1771 fol. Alp. 7. pl. 11.

Quo latius patent rei medicamentariae fines, eo difficilior eſt diſpenſatorii conficiendi labor, relatus inprimis ad adeo diuerſum medicorum ſtudium iudiciumque. Siue enim praeſtantiſſima tantum ſelectiſſimaque cogantur, quae ab haud paucis adhuc deſiderentur, ſupererunt varia; ſiue amplius moliaris opus, quae abeſſe malint multi, nunquam deficient. Aequi tamen alienae induſtriae iudices, atque a prauo partium ſtudio remoti, inſtitutum laudabunt vtrumque, probabuntque vt perutile, proque ſcribendi conſilio diuerſo valde quoque neceſſarium. Et ex ampliorum quidem pharmacopoearum genere ea iam eſt, quam indicamus, Heluetica, conſcripta a viris, quorum nomina quidem latent, peritia tamen et doctrina abunde ſatis elucet; a talibus idcirco, qui digni erant, quorum laboribus praefararetur Ill. HALLERUS. Cuius quidem ſummi viri praefamen, vti complura habet vtiliſſime dicta, ita quoque varias de ſimplicibus continet animaduerſiones,

nes, tum ex proprio obſeruationum penu, tum aliunde petitas, quibus, quae in opere ipſo dicta ſunt, vel emendantur, vel adaugentur confirmanturque. Sic notat inter alia, pro aſaro, quod equis, ad vomendum natura non factis, male propinari monet: hominibus thoram venenatam dari in alpibus occidentalibus: tithymali cataputiae grana aluum ducere, eſſeque grati ſaporis, neque rari in Aquilecenſibus vſus: chamaepityos infuſum theiforme in ſenum arthritide vere profuiſſe. Colchici radicem recentem rapacei ſaporis plane, vt vult *) Cl. KRATOCHVILL abſque noxa comedi: ob inertiam diffitendum eſſe anagallidi, lycoperdo ceruino, brunellae, betonicae: ob veneni ſuſpicionem lycoperdo bouiſtae, coccinellae, granis kermes, euphraſiae, mercurialis, ſcrophulariae toti claſſi: ob acre rancidum ſpermati ceti, foeniculi et meliloti virtuti emollienti: gummi copal minerale eſſe bitumen: gummi gutta vſum ſe eſſe vigeſies abſque noxa, ſi flatulentum ventriculi tumorem excipias: ebuli ſemina potenter mouere vrinam, ineſſe tamen ingrati quid, quod diu non feras: helleborum, vt ranunculos, per vetuſtatem forte acrimoniam deponere: iridem paluſtrem luteam pariter eſſe acerrimam, aluumque ducere: ſpongiam vſtam ſtrumas nondum confirmatas ſoluere, cum ſaccharo datam, vi, vt videatur, ſalſa, quum ſolus aer marinus grandes ſtrumas diſſipet. Praefationem excipiunt diſſertatiunculae de pharmacopoei dotibus et ſtudiis, de eiusdem officiis, de vſu diſpenſatorii, atque de medicamentorum nominibus fallacibus, compendioſis, ambiguis, lectu perquam vtiles.

Ipſum opus, vt inſcriptio iam docet, bipartitum eſt, parteque priore ſimplicia, et quae in officinis

*) v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 130.

non parantur, ſed aliunde tranſmiſſa habentur, ordine exponuntur alphabetico, nominibus tum vulgo receptis latinis, francogallicis, teutonicis, tum in hiſtoriae naturalis auctorum praeſtantiſſimorum veterum recentiorumque monumentis vſitatis; indicatis ſimul optimis vegetabilium depictorum iconibus, remediorum locis natalibus, bonitatisque notis; adiecta praeterea virium medicatarum breui et ſobria declaratione. Additus eſt index tam francogallicorum, quam teutonicorum nominum.

Altera parte praeparata pariter atque compoſita ſiſtuntur, itidem ad literarum ordinem, non ſolum ex aliis id genus libris petita vberrima, ſed etiam paſſim noua, nuſquam adhuc dicta; vel ſaltim rectius praeſcripta; interdum nimia; quae tamen vel nomine tenus tantum laudare breuitatis ſtudioſis nobis haud licet. Subiecta eſt cuilibet medicamini virtutum modique in morbis vtendi ſignificatio breuis, concinna, non nimium laudatrix, cautelis quoque additis congruae applicationi proſpiciens. Allata etiam paſſim eſt virorum doctorum fideque dignorum auctoritas, qui de vera medicamentorum praeparatione et vtilitate ſcienter atque recte praeceperunt. In ſyllabo repetuntur praeparatorum compoſitorumque ad claſſes ſuas reuocatorum nomina et in indicibus, priore quidem, quaenam cuilibet morbo curando inſeruire poterant remedia, intus extuſue applicata; poſteriore, quibus nominibus illa tum Francogallis, tum Germanis veniant, indicatur. Vnde quidem apparet, qui pleniorem cupiant pharmacopoeam, iis hanc maximo iure poſſe commendari.

VIII. Phar-

VIII.

Pharmacopoea Danica regia auctoritate a collegio medico Havnienſi conſcripta. Havniae apud Heineck et Faber, Bibliopolas, Typis Nicolai Mölleri, Aulae Typographi 1772. 4. mai. Alphab. I. pl. 20. c. praef.

Quo plenior erat Heluetica pharmacopoea, eo haec Danica contractior eſt. Eſt et ipſa in duas diſtincta partes. Prima offeruntur ſimplicia, non omnia, ſed ſelecta ad trium naturae regnorum ordinem. Addita ſunt officinalibus nominibus vernacula Danica, Noruagica, Lapponica, Germanica, inque vegetabilibus Linnaeana triuialia; ſique indigena planta eſt, vbi in Flora Danica icon exhibeatur, indicatum fuit. Sequuntur characteres ſenſibus obuii, ſaporis, odoris, figurae. Traditur porro locus natalis, canoneſque generaliores de collectionis tempore et aſſeruationis modo proponuntur. In notis bonitatis exponendis magna poſita eſt opera, inprimis ſi de exoticis agitur, et praeſtantioribus medicamentis, vt ſunt cortex Peruuianus, moſchus, manna, aliaque.

Altera pharmacopoeae huius pars medicamenta compoſita et praeparata exhibet. Multa hic compoſitorum fruſtra quaeſieris, alia tamen egregia et nobilia inuenies, tum ex optimis auctoribus hauſta, vt eſt v. c. Elixir balſamicum WERLHOFII, tum noua quoque haud pauca. Sunt etiam alio plane et concinniori modo praeſcripta, e quibus tantum Elixir pectorale RINGELMANNI, vulgo Regis Daniae, laudaſſe ſufficiat. Quum enim in aliis diſpenſatoris formula eius extet ampliſſima, hic ita deſcriptum habetur, vt extracti liquiritiae vnciae

ſex, aquae foeniculi libra vna, tresque librae ſpiritus ſalis ammoniaci aniſati inuicem mixtae per viginti quatuor horas digerantur, deinde colentur. Si quae compoſitiones ſunt, quae recentem, dum praeſcribuntur, exigant praeparationem, aſteriſco eae fuerunt indicatae. Claſſibus illis medicamentorum, quorum ſimilis eſt praeparatio, praefixi ſunt ſui cuilibet canones. Ordo ceteroquin hac in parte alphabeticus ſeruatur. De viribus medicaminum, et de morbis, aduerſus quos poſſint valere, additum nihil eſt, quippe quae medicum rationalem et vere doctum fugere nequeunt.

IX.

Traité des maladies des yeux, et des moyens et opérations propres à leur guériſon, par LOUIS FLORENT DESHAIS GENDRON, Profeſſeur et demonſtrateur Royal pour les maladies des yeux aux écôles de chirurgie, et adjoint de l' academie Royale de chirurgie Tom. I. à Paris, chés Claude I. B. Heriſſant 1770. 12. plagg. 16. cum dedicatione et praefatione. Tom. II. ibid. eodem 12. plagg. 17½ cum praefatione.

h. e.

Tractatus de morbis oculorum, eorumque curatione Auct. LUDOVICO FLORENTIO DESHAIS GENDRON, Tom. I. II.

Fuſum ſatis, et ex aliis ſcriptoribus vt plurimum congeſtum, offert nobis Cl. Auctor opus: in quo quidem recenſendo ideo breuiores erimus, cum plera-

pleraque iam cognita ſint, vel parum ex propria experientia, quamuis per quadraginta annos morbos oculorum tractauerit, probatum adiiciatur.

Continet tomus primus partem anatomico-phyſiologicam oculi, cum pathologia palpebrarum; alter morbos bulbi complectitur. Ex anatomicis ea notatu digniora nobis videbantur, cum humorem cryſtallinum ex arteria lymphatica, per ipſum vitreum humorem traducta, quae lympham ſuam lentem inter et capſulam deponat, vbi a lente abſorbeatur, deriuet. Veram porro et ſolam ſedem viſus in tunica choroidea ponit. Etſi vero haec ſententia a multis doctis viris reprobata eſt, nec cum ipſa experientia conuenire videtur; his tamen argumentis confirmare tentat: 1) ſubſtantiam cerebri inſenſibilem, ita etiam neruum opticum, Auctore Cl. MARIOTTE, omnis ſenſationis expertem eſſe; 2) piam matrem verum organon ſenſationum eſſe, ideo etiam tunicam choroideam, vt propaginem piae matris, organon viſus conſtituere, praeſertim cum ſolida ea ſit, elaſtica, admodum ſenſibilis, et nigredine ſua radios abſorbeat, ne diffundantur; 3) in plurimis oculi inflammationibus ſolam choroideam pati, retina inſenſibili cet. Quid vero de hac ſententia ſtatuendum ſit, et quouſque haec argumenta eam probare poſſint, non decernimus; iudicio potius atque perſpicuitati aliorum relinquendum putamus. Tom. I. p. 60. p. 98.

Iam ad pathologiam palpebrarum cum Noſtro accedimus: nec hic omnes morbos, eorumque diviſiones, quae multae ſunt; neque cauſſas eorum multiplices, vel diagnoſes et prognoſes; nec tandem methodum medendi, quae noua vt plurimum non videtur, recenſebimus; quaedam potius, non plane contemnenda, eligemus. Tumores cy- p. 133. p. 195.

ſticos palpebrarum Cl. Auctor ſaepiſſime per ſal culinare, aqua ſolutum, diſcuſſit. Si eiusmodi tumores in ſuperficie interna palpebrarum proxime ad cantum oculi internum conſpiciuntur, viae lacrymales facillime ab operatione laeduntur; viis vero lacrymalibus ipſis iam laeſis, operatio plane ceſſet; ſin tumor ſedem ſtatim ſub cute externa habeat, cutis ipſa tranſuerſim a canto interno ad externum incidatur, ne muſculo orbiculari officiamus; interna autem cutis, ſi tumor ibi appareat, per longitudinem incidatur, vt leuator palpebrae ſaluus maneat. Inſtrumentis ab aegro reformidatis, butyrum antimonii inter cauſtica eminet. Suturam quoque cruentam in vulneribus palpebrarum emplaſtris glutinantibus ſemper poſt habendam eſſe

p. 249. defendit, In relaxatione palpebrae ſuperioris h. e. ſi ea iuſto longior ſit, faſciam comprimentem, aqua calida et ſpiritu vini camphorato imbutam, nec non fumigationes ex decocto roborante ſuadet, cum operatio, qua ſuperabundans pars praeſcindatur vel anceps ſit, vel, ſi aeger aetate prouectior, aut malum iam inueteratum ſit, plane nulla iudicetur. Sic

p. 254. et in retractione palpebrae ſuperioris ſ. lagophthalmo operationem, accurtatam partem prolongandi, prorſus diſſuadet, cum vulnus linteis carptis difficile extendi, nec labia eius a ſe inuicem ita diduci poſſint, vt ex lata cicatrice prolongatio palpebrae

p. 267. ſequatur. In ancyloblepharo, vbi palpebrae verſus ſe inuicem, vel cum cornea concretae ſunt, ſolam ſeparationem, per filum ſericum, ſpecillo applicandum, vel ſcalpellis variis inſtituendam, locum habere aſſerit, porro ne iterum concreſcant, interponenda lamina plumbea caueatur.

p. 305. Fiſtulae lacrymalis cauſſas vel extra vias lacrymales deriuat, vel in iis ipſis quaerit. Accidere interdum aſſerit, vt materia in ſacco lacrymali contenta

tenta, viam, inter ſomnum aegri, per naſum vltro ſibi paret, cuius tamen contrarium paullo poſt defendit. Cum Cl. ST. YVES afferat, ſaccum lacrymarum, ſtante aegro, plicam formare, qua ductus inferior tegatur; Noſtro probabilius videtur, materiam in ſacco contentam, tranſpiratione per noctem diſſipatam, denuo inter vigilandum, ex compreſſione glandulae lacrymalis, et ſecretione lacrymarum, in ſaccum vacuum ductarum, reſtitui. Fuſius methodos Cl. LA FOREST, PETIT, MEIEAN et CABANIS perſtringit, docetque, nullam earum ſemper ſatisfacere, quippe meliores et faciliores inuentu ſint, quam applicatu. Suppuratione facta, iniectionem ex decocto conueniente ſuadet, cui deinde turundas plumbeas (tente de plomb) ſubiungit, iisque ſaepius repetendis multum vtilitatis tribuit. Corpora tandem peregrina in oculum immiſſa, grauibus ſymptomatis ſtipata, cito et vi, ſi opus eſt, extrahi monet: ſic ſpinam in puero, ad duos digitos tranſuerſales in oculum iniectam, poſt duos dies vi extraxit, oculo tamen coeco relicto.

p. 340.

p. 378.

Alterum tomum Cl. Auctor ita abſoluit, vt morbos bulbi ipſius, vel partium, quae bulbum cingunt, pertractet, eosque in tunicarum, humorum neruorumque diſtinguat: earumque partium aegritudines demum ſubiungat, quae poſt bulbum in cauitate orbitae conſpiciuntur. Ophthalmias primum perpendens corneam interdum ita inflammari docet, vt tota rubeat: oculos vero interdum inflammari et rubere, ſine vllo dolore ab aegris percepto, quam ex ruptis vaſis ſanguineis coniunctiuae, ſanguineque in contextum celluloſum coniunctiuae effuſo deriuat. Cum inflammationum oculorum cauſſam in primis viis non quaerat, earum euacuatio-

To. II.

p. 5.

num rationem non ſatis habet: ſumma enim cautione eas tum, cum morbus in decremento ſit, ad-
p. 25. hibendas eſſe; interdum tamen, quem quidem ſtatum non definit, in plethoricis purgantia, quid? quod ipſa emetica ſub initium morbi requiri. Inter collyria aquam ophthalmicam Cl. DACQUIN *)
p. 32. admodum commendat. Ophthalmoxyſin diſſuadet, eique diſciſſionem vaſorum varicoſorum cum lanceola, cum tutior et minus dolorifica ſit, prae-
p. 38. fert. In puero Noſter bulbum oculi per oedema tunicae coniunctiuae, ex cacochymia ſcrophuloſa oriundum, ad oui gallinacei magnitudinem exten-
p. 69. ſum vidit. Operatio in hypopyo ex eo non ſatis tuta videtur, cum maturitas puris ſaepiſſime nos lateat, indeque, quo iuſto tempore inciſionem inſtituamus, incerti reddamur; hinc conſultius agi, ſi hypopium ſibi relinquatur, donec ſibi ipſi viam paret. Pus enim in camera dolores non creare, nec ob craſſitiem ſuam per factam aperturam tranſire poſſe, vulnus mox iterum claudi, vt ita pus nouam viam ſibi faciat neceſſe ſit: duas ergo cicatrices oriri, eamque ex vulnere artificiali maiorem et deformiorem fieri. Quam ſententiam Auctor ex adiecto exemplo probat. Quouſque vero ea ſtare poſſit, numne cum experientia conueniat, non determinamus.

In

*) Aqua haec ſic paratur: R. Tutiae Alexandr. in aqua roſar. ter ablut. et ſuper porphyriten tritae; Caryophyll. pulueriſat. aa. vnc. vnam et dimidiam; Sacchar. cand. vnc. vnam; Camphor. et aloes aa. drachm. vnam et dimidiam; Vini Hiſpan. libras quatuor; Aquae roſar. pallid. libram dimidiam; Aquae chelidon. foenicul. euphraſ. et rutae aa. vnc. duas. Mixta haec digerantur per quindecim dies, et ſeruentur.

In leucomate porro aloe, et inter topica colly- p. 84.
rium ex bile lucii piſcis vel anguillae, aqua roſarum,
foeniculi, chelidonii et ſaccharo cando paratum
palmam reliquis praeripiunt; operationem vero in-
utilem iudicat. Sic et compreſſionem in ſtaphylo- p. 114.
mate diſſuadet, cum ea haud raro totus oculus per-
ditus ſit; operationem vero CELSI commendat;
quae tamen, ſi tumor lata gaudet baſi, nulla eſt.
In exemplo quodam, vbi ſtaphyloma ex vlcere or-
tum erat, aquam viridem et lapidem infernalem
ſalutares habuit. Paracentheſin in hydrophthal- p. 143.
mia tum demum inſtituendam eſſe, cum dolor ve-
hementia ſua excedat, reliquaque medicamina fru-
ſtra adhibita ſint; noxiam vero, operatione abſo-
luta, compreſſionem ſaepiſſime inuentam fuiſſe aſ-
ſerit. Vueam, interdum ad laminam internam cor- p. 270.
neae accreſcentem, a Cl. DEMOURS primum de-
ſcribi aſſerit: hinc et eius conſilio plaudit, qui ocu-
los radiis lucis varie mutatis, h. e. nunc luce, nunc
tenebris conſpicuis, exponi ſuadet, vt inde vueae
partes ex ſitu ſuo quoque varie mutentur, recteque
rurſus componantur. Hoc conſilium et tum va- p. 177.
lere, ſi, vulnerata cornea, vuea in vulnus intraue-
rit; vueam enim, per fortiores radios lucis motam,
ſaepiſſime ex vulnere retrahi, experientia probat.
Nec ophthalmiis male conſuli, ſi radii lucis in ocu-
los inflammatos interdum intrarent: oculo enim
eiuſmodi nimis diu omni lumine priuato, pupillam
omnem ſeſe contrahendi vim amittere, et nimis
dilatatam manere ſolere credit. Imagines, oculis p. 210.
obuerſantes, quas fixas et fluctuantes defendit, ex
maculis opacis, in cornea, capſula lentis cryſtallinae,
vel membrana hyaloidea, ſitis, vel in humore aquo-
ſo innatante, vel tandem ex lacrymis alienatis deri-
vat. Cum in gutta ſerena pupilla aegroti oculi dila- p. 223.
tata et immobilis maneat, ſi altera oculi ſani contra-

hitur,

hitur, etiam vitium externum, quod plurimi auctores negant, locum habere monet; ſed nec pupil-
p. 229. lam in gutta ſerena ſemper praeternaturali modo dilatari, interdum inſigniter contrahi cum dolore premente in oſſe frontis et radice naſi obſeruatum eſt. Exemplum adiicit Cl. Auctor pueri, gutta ſerena poſt febrem miliarem adfecti, ſolis emeticis et purgantibus, ſaepius repetitis, ſanati.

p. 256. Cataractae Cl. Auctor varias ſpecies, variique coloris adfert, quarum et nonnullas haereditarias obſeruauit. Matura ea tum cognoſcitur, ſi lens cryſtallina tota obſcura eſt, h. e. obſcuritas in omnibus eius punctis aequalis, adeo, vt pupilla vel prorſus alba, vel alio colore praedita conſpiciatur, nec vllum ab aegro obiectum poſſit diſcerni, cum ipſis non niſi vmbrae appareant. Si malum venereum in cauſſa eſt, frictiones mercuriales commendat.

p. 272. Sic iuueni Auctor, cui dimidia pars lentis cryſtallinae poſt varios morbos venereos obſcurata erat, vt obiecta ad dimidiam tantum partem conſpiceret, per frictiones mercuriales bonum reſtituit viſum. Cum extractionem depreſſioni praeferat, duas addit conditiones, vbi haec illa tutior Noſtro videtur: in cataracta complicata h. e. ſi inflammatio continua vel periodica aegrum vexant; vel ſi palpebra inferior inuerſa ſit, ne pupilla a palpebris iuſte poſ-
p. 276. ſit tegi; monet vero, in depreſſione, motus et mutationes acus in oculo ſemper eſſe debere concentricos, h. e. proportionatos figurae oculi eius, qui operationem inſtituit. Cl. FERREIN methodum, etſi aliorum perluſtret, non refert; ipſe vero, ſi cuſpidem acus in lente cryſtallina firmauerit, acum cum duobus digitis verſus os temporum imprimit. Exemplum adiungit, vbi lens inter operationem in cameram anteriorem prolaberetur; quae tamen non diu poſt, per pupillam regrediens, ad fundum

camerae poſterioris tenderet, vt ita aegro viſus reſtitueretur. In extractione chirurgum attendere iubet, ne humor vitreus, qui difficilius tardiuſue reſtituatur, copioſius effluat: inde aegrum, quo id euitetur, inter operationem ſupine iacere oportet. Methodum Cl. DAVIEL, cuius inſtrumentis, excepto forcipe, ſimul vtitur, aliis, quas nonnullas communicat praefert; ab ipſo tamen in eo diſſentit, cum operationem in ipſis initiis cataractae inſtitui debere neget. p. 288.

Protuberantiam lentis Noſter ex humore cryſtallino, a blanda ſua et naturali indole ita recedente, vt volumen eius inde augeatur, pelluciditas et figura recta perdantur, et lens ipſa iuſto ſolidior fiat, deriuat. In femina Noſter eiuſmodi protuberantiam vidit, quae et iridem et vtramque cameram occuparet, quid? quod ad corneam vſque fere accederet, vt ergo plenaria adeſſet coecitas; cum vero hoc malum non niſi extractione poſſit tolli, iure monet, lentem antea debere extrahi, quam ad eiuſmodi inſignem magnitudinem increuerit. Ex obſeruatione adiecta quoque patet, poſſe oriri hoc malum ex humore cryſtallino et vitreo oſſificatis, quam oſſeſcentiam etiam membranae oſtendunt. Lens porro ex ſede ſua vi propellitur, vt 1) in capſula ſua verſus latera tantum prematur, 2) verſus pupillam procedat, 3) pupillae proxima ſit 4) in camera ipſa tandem anteriore propulſa ſedem figat, vbi iridem inter et corneam ſubſiſtat, cuius exemplum Noſter obſeruauit. Lentem in eiuſmodi ſtatu vtplurimum mox pelluciditatem ſuam amittere; interdum vero diutius eam ſeruare ſolere; Pupillam ſemper ſimul inſigni modo dilatari, vt viſus inde obſcurior naſcatur. Priores ſpecies per ſe vtplurimum curantur; vltima vero operationem requirit. Iuuenis lentem per frictionem oculi ex ſitu p. 314. p. 316. p. 320. p. 325.

ſuo

ſuo mouit, vt obiecta inde obſcure et imperfecte diſcerneret; poſtero vero die lens ſponte ſedem
p. 327. ſuam repetiit, et viſus recte reſtitutus eſt. Abſceſſus lentis ex congeſtione puris, vel in eius ſubſtantia, vel in ſuperficie tantum declarat Auctor. Auxilia, quibus myopes presbyopesque iuuantur, plenius
p. 348. recenſet. Nonagenarius, iam diu presbyops, poſt
p. 404. grauem morbum recte reſtituebatur. Oculus interdum carcinomatica labe afficitur, in quo ſola exſtirpatio locum habet: facilior redditur, ſi humores effundantur, antequam oculus exſcindatur. Reliqua omittimus.

X.

D. BALTHAS. LUDOVIC. TRALLES ad Ill. viri CHRISTIANI GOTTLIEB LUDWIGII diſquiſitionem de vi opii cardiaca, aduerſariis medico practicis *) inſertam, humaniſſima reſponſio. Vratislauiae ſumtibus Io. Erneſt. Meyeri. 1771. 4. pagg. 67.

p. 8. Velit Cl. Auctor probe penſitetur, ſe, dum opii vim cardiacam vrget, loqui de prima actione eius in circulum vitalem, neque ſollicitum eſſe de iis, quae deinde hanc primam et immediatam actionem, tandem exſpirantem, et abſolutam, et finitam ſequantur. Atque ita largitur Noſter lubenter, ſumto opio, languere poſſe et ſolere circulum, poſtquam antea ille auctus fuerit. Id quod ex torpore et ſtupore poſt vſum opii relictis et ex aliis, quae ſequuntur illius vſum, et a Noſtro commemorantur, ſymptomatibus luculenter patet. Quapropter opium Noſter nec analepticum, nec robo-

*) Quae Lipſiae prodierunt Vol. I. Parte III. p. 504. it. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 506.

roborans, nec excitans medicamentum iudicat, ſed cardiacum h. e. quod in cor agit.

His hactenus diſputatis, reſpondet Noſter ad Cl. LUDWIG dubitationes, de cardiaca opii virtute enatas, atque contra WHYTT, VAN SWIETEN et VINTERL vim circuitum ſanguinis excitandi et celeriorem reddendi i. e. exaeſtuantem vim opii cum Cl. YOUNG defendit. Cl. YOUNG enim in ſemetipſo vim opii exaeſtuantem expertus eſt. Quapropter opio vis acris et calefaciens et ſapor amarus adſcribitur. Atque ita non multum diſſentire Cl. TRALLES a Cl. LUDWIG vidimus. p. 11.

Id quod etiam apparet ex canone practico, quem ſtabiliuit Cl TRALLES, illoque, quem dedit Cl. LUDWIG, et quem plane ſimilem iudicamus. Praeterea enim in opio exhibendo Cl. LUDWIG reſpiciendum eſſe putat ad primas vias, quae liberae eſſe debent pariter, ac via ſanguinis, *). Atque eo redit quoque Ill. TRALLESII ſententia, quam complectitur ita: „dum opium prima ſua et immediata actione in cor et arterias ſanguinemque inibi contentum, eſt cardiacum, atque circulum accelerat, calorem auget, ſanguinemque rarefacit; abſtinendum erit ſollicite ab opiatis omnibus, vbi a circulo aucto et accelerato atque humorum incaleſcentia et raritate, mala qualiacunque corpus adflixerint ac vitae metuendum eſt.„ Igitur omnibus febribus omnino acutis et inflammatoriis, opium non conducit. p. 28.

Omni dolori, cum plethora, orgaſmo et febre coniuncto, opium obeſt. Semper enim tum dolores exacerbantur opio, vt in cephalalgiis plethoricis p. 36.

quas,

*) v. aduerſ. med. pract. Vol. I, p. 514, comm. noſtr. Vol. XVII. p. 507.

quas, adhibito opio, ſopor, imo apoplectici non raro ſequuntur inſultus. Pari modo non conuenit pleuritidi opium.

p. 42. Actis antea omnibus agendis, febreque lenita, et dolore tamen continuante et a ſola fibrarum inteſtinalium ſtrictura atque conuulſione earumque ſenſibilitate et irritabilitate pendente, opium ad ſopiendos inteſtinorum dolores vehementiores adhiberi poteſt. Primis enim viis non depurgatis, nocet opium, dum excretionem aluinam ſua dote ſiſtit.

p. 44. Inflammatio et alui obſtructio videntur quidem opii vſum vetare in voluulo et iliacis; inflammationi tamen et alui obſtructioni ſi remediis occurratur, opioque vel praemittantur vel cum eo coniungantur, poſſe opium et in his iuſtum locum habere Ill. TRALLES arbitratur. Qua occaſione de laxantium cum opio coniunctione diſputat, inſimulque opii vſum ad incarceratam herniam, quae ſaepe eſt cauſſa ilei morbi, facilius reponendam vtilem iudicat et ſtricturas ſpaſticas ventriculique et inteſtinorum conuulſiuos motus conſopiendos, praemiſſa, vti et praecipit b. SWIETEN, venaeſectione.

p. 51. Vix vnquam alibi magis probare opium Noſtro videtur dotes anodynas, quam in doloribus ſub partu ſpuriis, ore vterino ſpaſtice conſtricto. Pariter in doloribus poſt partum, tollendis, qui plerumque a grumis ſanguinis aut portionibus placentae retentis pendent.

p. 53. Progreditur Noſter ad dolores rheumaticos, arthriticos et podagricos. Nil vero ad hos omnes valet opium, nec in iis a Noſtro propinatum eſt aegris. Commemorat autem exemplum, a HAHNIO notatum, vbi opium podagrico non ſolum nihil nocuit, ſed et eum iuuit. Erat autem ille cacochymicus et cachecticus magis, quam plethoricus laxaque potius, quam ſtrictiore fibra laborabat.

De

De excretionibus, opio moderandis, haec habet Noſter. Si dolor quis cum haemorrhagia adeſt, ob ſtimulum, vaſa laceſſentem et irritantem, aut ſpaſmos remotiorum partium, ſanguinem ad partem affectam propellentes, opio locus eſſe poteſt, non aliter. In haemoptyſi poteſt illud prodeſſe ad tuſſim vehementiorem leniendam, ſi caetera remedia non iuuant. In vomitu et mictu cruento ex renum vitio nulla eſt opii indicatio. Quod ſi vero veſica potiſſimum afficiatur doloribus, cauſſa indagata et oppugnata, minuuntur hi dolores opio. In haemorrhoidum nimio fluxu prodeſt opium tum, cum colici dolores concurrunt, eumque nimis augent. Haemorrhagiis vteri iis conducit opium, quae pendent ab irritamento in vtero, cum omnium expulſionem promoueat, vti ſupra iam monitum eſt a Noſtro apud puerperas. p. 57.

In diarrhoeis et dyſenteriis opii vſum breuiter demum expendit, illudque ad ſopiendos quidem dolores, purgantibus praemiſſis, locum habere poſſe putat, ſuadet tamen, opio adhibito, denuo purgare has vias, illudque circumſpecte in his morbis adhiberi, vti et Cl. ZIMMERMANN *) pariter commendat. p. 65.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 609.

XI.

CAROLI STRACK M. D. et in vniuerſitate Moguntina inſtitut. med. Prof. Publ. Ordin. Eminent. Cels ac Princ. Elect. Mog. conſil. iud. aulica Elector. vtil. ſcient. Academ. Erford. et Princ. Haſſiens. Societ. Academ. Gieſens. ſocii obſeruationes medicinales de colica pictonum maximeque ob arthritidem. Francof. et Lipſ. 1772. 8. pagg. 80. cum dedicatione et praefatione.

Obſeruationes has de colica pictonum inſeruit olim Cl. STRACK diario medico Pariſienſi *) iam eas accuratius collectas, et multis curationum exemplis auctas, proponit hic latino ſermone. Dubiam potiſſimum iſtius morbi in cauſſam, de qua multum diſputarunt auctores, inquirit, de eaque aliquid certius an ſtatui queat, tentat Cl. Auctor.

p. 12. Quot cauſſae colicae pictonum numerentur, in primo capite tractatur a Noſtro. Alii in plumbo atque ceruſſa, alii in lithargyrio, ſtanno, cupro, antimonio crudo: rurſus alii in diuerſis pigmentis, nec non in pomis, pyris, vuis, non ſatis maturis quaeſiuerunt. Quapropter et variis nominibus hunc morbum inſigniuerunt, nimirum pictonum, deauratorum, figulorum. Item alii morbum pictonum vegetabilem nominarunt. Germanis hic morbus *Huettenkatze* audit, quoniam metallurgis adeo eſt familiaris. TRONCHIN octo diuerſas morbi pictonum numerat ſpecies. IOANNES GRASHUIS arbitratur omnia quaecunque in hoc morbo pro cauſſa haberi poſſe, quae interiorem inteſtinorum tunicam muco ſuo

*) Iournal de médécine de Paris l' an. 1765. mois d' avril p. 325. et l' an. 1766. mois de fevrier p. 125.

ſuo orbent; CITESIUS a gente hoc nomen pictonum deriuat. Alii iſtius morbi rationem plane incognitam pronuntiant.

Cl. STRACK autem multorum aegrorum, hac colica pictonum laborantium, cum haberet curam, qui non ſolum has a nobis ſupra commemoratas cauſſas non admiſiſſent, ſed etiam vino puro et optimo vterentur, quorum porro ſuppellex culinaria diligentius ordinata, nec non a vaſis ſuſpectis vacua eſſet, ad aliam cauſſam, praeter iamiam dictas, reſpiciendum putauit. Atque cognouit Cl. STRACK nullam aliam cauſſam huic colicae pictonum inſeruire, quam materiam arthriticam vagam, in infimum ventrem delatam: ad quam ſolam etiam non fruſtra direxit totam curationem; cuius tanta apud Auctores eſt diuerſitas, quanta cauſſarum variarum multitudo. p. 13.

Felicem vero ſuae curationis ſucceſſum, cum arthriticae materiae, vt cauſſae huius morbi, obviam eat remediis, nunc probat exemplis in capite ſecundo. Quorum octodecim in hoc capite a Noſtro ſunt collecta, ex quibus patet, curationis inſimul ratione habita, materiam arthriticam, in infimum ventrem conuerſam, hanc colicam effeciſſe. Decoctum enim lignorum, antimonium crudum, balneaque calida et tepida indicationi cauſſali curatoriaeque ſemper in his exemplis ſatisfecerunt. Balnea ſaepe et diu autem erant vſurpanda, inprimis Noſter ſuaſit Wiſbadenſes aquas thermales. Item ad praecauendum morbi reditum balnea commendat. Expertus enim Noſter eſt facilem huius colicae pictonum reditum, eumque tanto certiorem, quanto breuius balnea fuerint in auxilium ab his aegris vocata. Quapropter ducentis et vltra eiuſmodi aeger vſus eſt balneis. p. 14.

 Inter

p. 40. Inter hos rurſus aegros, a Noſtro obſeruatos, permulti ſunt, qui partim ab aliis medicis, partim a ſemetipſo aliis atque aliis tentati fuerint diu et fruſtra medicamentis; electa autem Noſtri methodo medendi, non multum ante commemorata, res aegrorum in melius vergere coeperunt. Id quod probat et illuſtrat ſequens exemplum.

p. 41. Vir labe abdominali laborare Noſtro videbatur indeque penitus emaciatus afferebat abdomen contractum, in quo Noſter longam ſcirrhorum ſeriem tangebat, qui, iuxta anum orti, retro veſicam vrinariam progrederentur, ad inteſtini coli curuaturam ſigmoideam vſque, meſorectoque inhaererent. Ipſum autem colon conuulſum erat. Direxit itaque, rebus aegri ſic ſeſe habentibus, ad ſcirrhos curationem Cl. STRACK, per tres licet menſes, fruſtra tamen.

p. 42. Interea autem animaduertit abdomen a doloribus magis tendi; his e contrario ceſſantibus, tenſionem remitti. Obſeruauit enim inteſtinum colon, dolore vexatum, planum, durum, craſſum, eminens: quo ſedato, molle et ſano ſimillimum idem inteſtinum fuit. Concludebat idcirco, vitii cauſſam conſiſtere in quapiam re, quae iret rediretque, et, ob colorem cinereum faciei, antequam dolor inceperit, luteum autem, dolore ſedato, ob vrinam albam difficilemque eius miſſionem cum ſedimento: rurſus ob ſudorem, qui cutem vrebat atque pungebat, vti cineres ardentes, omninoque pruritum cum ſumma ſcalpendi neceſſitate, vt ſigna arthriticae materiae retrogreſſae, ab arthritide, in imum ventrem ſeſe conuerſa, hunc morbum deriuauit. Colicae enim arthriticae ſignum proprium inſuper quoque hic aderat, quod ita a Noſtro deſcribitur: *eſſe medio in tormento abdominales muſculos adeo ſenſibiles contractosque, vt aeger corpus excitare nequierit,*

curtis

curtis quaſi nimium ipſis cornibus ; ſed debuiſſe eum idem incuruum et inclinato capite pronum tenere. Quod proprium arthriticae colicae ſignum eſſe puto.

Interrupit itaque Noſter curationem ſcirrhi cum cicuta, atque methodum ſupra memoratam contra arthritidem cum feliciſſimo euentu et in hoc aegro adhibuit. p. 44.

Tum perquiruntur diuerſae auctorum ſententiae in capite tertio. Ex obſeruationibus nimirum Cl. Auctoris eae cauſſae, quae ſupra a nobis iam commemoratae ſunt, conſiderantur atque ex iis monſtratur, has cauſſas poſſe interdum colicam efficere, nunquam autem colicae pictonum inſeruire. Refutatis itaque auctoribus, qui colicam pictonum, ſaturninam appellant, aſſerit Noſter cum Cl. MUSGRAVE colicam hanc pictonum arthriticam eſſe, atque antimonium crudum, quod Cl. TRONCHIN, inter cauſſas huius colicae refert, eſſe optimum contra colicam pictonum remedium. p. 57.

Porro docetur in capite quarto, per quas notas colica pictonum arthritica diſtinguatur. Hae autem notae in tam cognitu difficili arthritidis omnino cognitione vel *magnae* ſunt et ab vnoquoque facile cognoſcuntur: vel *paruae*, quae morbum pro alio quopiam affectu oſtendunt, arthritidemque ſimulant. Vt ſunt dolor vagus aliarum atque aliarum partium externarum atque internarum, vbi in abdomen arthritica materia ſaepe ſeſe confert, facileque ab vnoquoque cognoſcitur. p. 68.

At vbi dolor ab initio ventrem occupat fixus, difficilius eſt ſcitu, num colica a materia arthritica ſit, an ab alia quadam cauſſa pendeat? Diſtinguitur autem maxime per has notas: ſi cum iſtius colicae cauſſa veroſimilis nulla alia recte comparari poteſt, ſi p. 69.

dolor vehemens adeſt, ſine febre et inflammatione, cum pulſu paruo et lento. Si cutis color flauus oliueusque, oculi caui, limbo plumbeo cincti, ſunt. Si dolores articulares aeger ſenſit, ſeu citam et magnam membrorum laſſitudinem atque defatigationem, poſt labores exiguos cum aſthmate. Si debilitas, ſomno finito, maior eſt, quam ante eum. Si ſudor cutim vrit, eaque papulis miliaribus rubris referta eſt. Si in faciei atque potiſſimum frontis cute titillatio erronea, vbi aeger, admota manu, nihil ſentit. Vrina tenuis cum ſtranguria vrens, ſeu ſubalbicans, veluti ſerum lactis cum ſedimento albo, laeue,pingue, mittitur. Haec Noſtro ſigna videntur, quae arthriticam cauſſam huius colicae prodant.

p.71. Denique de diuerſo materiae arthriticae exitu differitur in capite quinto. Egreditur autem haec materia per ſudorem, per vrinam et per abſceſſum, rariſſime per alui fluxum. Interdum per ſudorem et vrinam alternatim, quibus interueniunt abſceſſus. Has ſingulas criſes itaque Noſter hic pertractat.

p.73. Bonum ſignum iudicat Cl. STRACK, intenſos dolores iuxta quintum et decimum balneum. Morbi enim materia tum mouetur, atque febris accedit. Magna porro inter ſudorem et vrinam eſt ſimilitudo, cum quoad humores, tum quoad criſin. Vt enim pulſus alter a magno ictu incipit et per minores exit, ita alter a paruo in magnos ictus tranſit. Aegre per aluum arthritica materia quaerit exitum. Quod ſi vero fit, alui fluxus non eſt ſtercoreus, ſed aqueus, ſingulare et inconſueto foetore coniunctus. Id quod Noſter ſemel expertus eſt.

p.78. Singulare prorſus eſt arthritidi vagae miaſma, atque ab omni alio morbo diuerſum, nec non hunc mor-

morbum eſſe epidemicum facileque reuerti poſſe putat. Non conuenit, etiamſi videatur, cum podagra. Podagricorum enim nodi ſi exulcerantur, albam calcaream inodoramque materiam, arthriticorum e contrario, quibus et inde ſuadet veſicatoria, vlcera nigram, et vt putridum oui vitellum olentem materiam emittunt, quae emplaſtra et lintea carpta tingit, abſque tamen oſſium carie. Fonticulus, quem Noſter excitari iuſſit in aegra arthritica, ſimilem materiam nigram atque foetentem alliciebat.

XII.

Noui commentarii Academiae ſcientiarum Imperialis Petropolitanae. Tom. XIII. pro anno 1768. Petropoli, typis Academiae ſcientiarum 1769. 4. mai. 3 alph. 8. pl. tab. aen. 14.

Quamquam in vniuerſum pauciores commentarii ex actis Petropolitanis ad inſtitutum noſtrum pertinent, cum mathematica et aſtronomica prae phyſicis copioſiora ſint: tamen his ipſis nouiſſimis annis Cl. PALLAS, GMELIN cet. laboribus et itineribus id effectum eſt, vt plures nunc ad hiſtoriam naturalem ſpectantes obſeruationes hiſce commentariis inſerantur.

Ex *claſſe phyſico-mathematica* duo tantum commentarii nominandi nobis ſunt, ſcilicet Cl. L. EULERI diſſertatio *de aequilibrio et motu corporum, flexuris elaſticis iunctorum* et EIUSDEM commentarius *de ſtatu aequilibrii fluidorum*, cuius ſectio tantum prima hic traditur. p. 259. p. 305.

In *claſſe* autem *phyſica* ſequentes commentarii continentur; p. 419.

p. 419. 1) Cl. I. A. BRAUN *de calore animalium.* Pleraque animalia, ſi non omnia, calorem quendam habent addititium, quem quoque vitalem, inſitum et innatum vocare ſolent. Hic tamen calor non in omnibus animalibus vnus idemque eſt, ſed inſigniter in variis animalibus differt. Id tamen praecipue in eo omni attentione dignum eſt, quod in animali ſano, idem caloris gradus diuerſo tempore et loco conſtans ſit. In aegrotante vero corpore et in ſtatu praeternaturali vel, vt in lipothymia fieri ſolet, fere euaneſcit, vel, vt in febre ardente, multum augetur. Haec aliaque, quae huc ſpectant, egregie experimentis hic additis Cel. BRAUNIUS comprobauit. Vſus vero eſt ad caloris gradum explorandum thermometro Delisliano in quibus o, ſiue ziphra, calorem bullientis aquae et numerus - 150 punctum congelationis aquae indicat. In exploratione ipſa variae cautiones adhibendae ſunt, quae Cl. Auctor fuſius hic deſcribit. Huc pertinet, vt ſufficiens adhibeatur tempus, cum alias minor caloris gradus obſeruetur, vt oculus obſeruatoris nec ſupra, nec infra punctum thermometri conſtitutus ſit cet.

p. 422. Iam quod gradum caloris in homine ſano attinet, experimenta, quibus eum determinare conſtituit Cel. Auctor, ita inſtituit, vt thermometrum in os ſani hominis inſereret, ibidemque tam diu detineret, donec hydrargyrum in thermometro non amplius adſcenderet. Mercurius vero circa numerum 96 et 95 ſcalae Delislianae ſtetit, qui cum numero 98 et 97$\frac{1}{2}$ ſcalae Fahrenheitianae conuenit, et ita gradum caloris ſani hominis, a FAHRENHEITIO determinatum, paullulum ſuperat. Cum vero alii (vt BOERHAAVIUS, DE HAEN cet. vid. HALLER *Elém. Phyſ.* T. II. p. 35) gradum minorem repe-

repererint, patet illos non ſufficiens in experimentis ſuis habuiſſe tempus. Vrinae calor cum caloris gradu indicato conuenit, vel eum vno aut $1\frac{1}{2}$ gradu ſuperat, qui gradus ſine dubio gradus caloris viſcerum adiacentium eſt. Experimentis vero ſuis conſtantem hunc calorem reperit Cl. Auctor adeo, vt nec aetas, nec ſexus, nec temperamentum, nec aliae circumſtantiae eundem, poſita ſanitate hominis augere vel imminuere poſſent, ſed fere ſemper (ſi vnum aut ad ſummum $1\frac{1}{2}$ gradum excipias) idem eſſet gradus. Gradus autem caloris corporis humani minimus eſt inter corpora animalia quadrupedia. Vituli enim calor 104 graduum thermometri Fahrenheitiani eſt, cum quo porcelli calor conuenit: capella calorem $101\frac{1}{2}$ ſcalae Fahrenheitianae habet, nec multum agni et ouis calor variat. Maximus caloris gradus, quem in animalibus quadrupedibus Auctor Cel. inuenit 104 graduum eſt. Aues vero calorem quadrupedum multum ſuperant. In anſere enim eſt $107\frac{3}{5}$ ſcalae Fahrenheitianae: in auibus autem minoribus maior eſt, cum v. c. in rubecula ad $111\frac{1}{5}$ gradum adſcendat, et igitur calorem humanum quindecim fere gradibus ſuperet.

Quod vero animalia ſic dicta frigida attinet, notandum eſt ea, per experimenta Auctoris Cel., omni addititio calore carere, ſed tantum calorem aquae aut aeris ambientis habere. Saepius hoc in piſcibus, branchias agitantibus et pulmone carentibus, Auctor Cel. expertus eſt, qui omnes, in diuerſas aquas diuerſae temperiei immiſſi, eundem caloris gradum aſſumſerunt, quem aqua illos ambiens habebat. Animalia vero marina, quae pulmones habent, addititio calore inſtructa ſunt. Ranae autem cum piſcibus conueniunt, idemque de animalibus hyeme p. 427.

 ſopi-

ſopitis valere, Auctor Cel. ſuſpicatur, licet nulla circa illa experimenta inſtituerit. Inſecta congregata quidem aliquem calorem efficere poſſunt, qui tamen ad calorem internum proprie referendus non eſt *). Gradum morboſi caloris calorem naturalem in febribus multum ſuperare et ad 105, 106, 107 et 108 gradum ſcalae Fahrenheitianae adſcendere notum eſt. Monet tamen Cel. BRAUNIUS, pauca huius generis experimenta genuina eſſe, ſed in plerisque non ad legem thermometri, ſed ad ſenſum calorem determinatum fuiſſe.

p. 430. His praemiſſis ad quaeſtionem: num certi et determinati gradus caloris ſint, quos tolerare homines et animalia ferre poſſint aut nequeant? ita reſpondet, vt doceat, eos in diuerſis ſubiectis diuerſos eſſe, cum homines maiorem vel minorem gradum caloris atmoſphaerae, pro conſuetudine, ferre et ſuſtinere poſſint. Hic, vti per experimenta recentiorum patet **) calore ſanguinis vitali multo maior eſt. Ita RICHMANNUS in tepidariis gradum 125 Fahrenheitianae ſcalae ferre potuit, idemque de ſe ipſo Cl. Auctor aſſerit. Frigoris vero gradus, quem homines et animalia ſuſtinere poſſunt, longe difficilius determinatur, vt itaque hic magnus campus nondum cultus ſuperſit, vlterioribus eruditorum experimentis excolendus. Quod vero ad originem huius caloris innati ſpectat, illum Cl. Auctor cum pluribus recentioribus ex motu ſanguinis progreſſiuo et attritu huius fluidi heterogenei inde orto, deriuat.

2) Cl.

*) Conferantur haec experimenta cum iis, quae in T. II. Elem. phyſ. HALLERI p. 28. ſeq. ex variis ſcriptoribus collecta ſunt.

**) vid. Cl. TILLET in Mem. de Paris 1764 p. 166. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 256. HALLER. Elem. T. II. p. 34.

2) Cl. P. S. PALLAS *obſeruationes de oſſibus Sibiriae foſſilibus, craniis praeſertim rhinocerotum atque buffalorum.* Quamquam poſterioribus maxime ſeculis pluribus in regionibus borealibus elephantum effoſſa ſint ſceleta, in nulla tamen tanta eiuſdem eboris copia reperitur, ac in Siberia, ita vt inter merces indigenas eiusdem regionis vulgo referatur. Neminem vero fugit, mire inter ſe variare eruditorum de origine eboris huius foſſilis ſententias *); quorum tamen liti Cl. Auctor ſe non immiſcet, ſed ex ſpeciminibus, in Muſeo Petropolitano ſervatis, probat, non elephantos tantum, ſed et alia quoque calidiorum regionum fera animalia in Siberia olim habitaſſe. Deſcribit vero primum varia integra rhinocerotum crania, et cornua, et hac occaſione, cum ſceleton rhinocerotis a nullo auctore deſcriptum ſit, de cranii fabrica in hoc animali varia monet, quae ſingularis plane eſt et in multis a ſtructura craniorum in aliis animalibus differt. Diſtinctionem rhinocerotum in vnicornes et bicornes vanam eſſe, cum ſpecie non differant, monet. Dentes primores nullos hoc animal habere, licet vulgo eiusmodi dentes a molaribus remotos, et in vtraque maxilla ſolitarios, ei LINNAEUS aliique tribuant; convenire potius rhinocerotem dentium conformatione cum bradypode aut daſypode. Iis vero, quae Cel. Auctor de fabrica cornuum rhinocerotum filamentoſa in vniuerſum monet, omiſſis, ad alterius cuiusdam animalis reliquias, in Siberia repertas, accedimus, quae idem hic egregie deſcribit. Sunt illae crania buffalorum gigantea, quae magnitudine omnium buffalorum et vrorum, hodie cognitorum, crania longiſſime ſuperant, cum longitudo eorum 25 pollices aequet. Tandem etiam cornu *gazellae recticornis* (*capra gazella* LINN. *le paſan* BUFFONII

p. 436. [right margin, beside first line]

p. 460. [right margin, beside line "dam animalis reliquias"]

NII

*) vid. Cl. RASPE differt. ſup. p. 647.

NII) in Siberia deteſtum hic accurate deſcribitur, et de locis in quibus ebur foſſile reperiatur, nec non de fabrica dentium elephantinorum in vniuerſum varia egregia monentur, tandemque ex ſceletorum diuerſitate aliisque argumentis probatur, clima Siberiae olim longe mitius fuiſſe et animalia omnia, quorum exuuiae hic deſcribantur, quae in calidiore India nunc tantum reperiuntur, in Siberia olim habitaſſe et ſe multiplicaſſe.

p. 478. 3) Cl. C. F. WOLFF *obſeruationes de formatione inteſtinorum, in ouis incubatis inſtitutae. Pars tertia, in qua phaenomena amnii ſpurii interna deſcribuntur, et ſimul de formatione meſenterii, thoracis, abdominis alarum, pedumque agitur.* De prima et ſecunda harum obſeruationum parte, quae in duodecimo commentariorum Academiae volumine continentur, vt et de theoria, quam Cl. WOLFF ſuis experimentis confirmare tentat, iam alio loco *) ad Lectores retulimus. In tertia itaque experimentorum ſectione partium embryonis gallinacei, in prioribus diſſertationibus ſecundum externum habitum conſideratarum, phaenomena interna, anatomiae microſcopicae ope explicata Cel. Auctor, enarrat. Deſcribit vero primum partes in titulo huius commentarii indicatas, quales eae die quarto incubationis apparent, et ex his abdomen, thoracem, peluim, inteſtina cet. non praeformata eſſe et deli-
p. 518. neata, ſed ſucceſſiue generari aſſerit. Cum enim ex eius obſeruatione variae corporis partes, veluti thorax certo tempore nondum exiſtant, neque eo tempore exiſtere poſſint, cum v. c. eodem loco, quo thorax oriri debet, amnium verum oriatur, quo in fetu totus truncus anterius perficitur, partes has ſuc-

*) vid. Nou. comm. Acad. Scient. Petropol. Vol. XII. p. 403. Comm. noſtr. Vol. XVII. p. 703. ſeq.

ſucceſſiue productas eſſe ſequitur. Subtiliorem deſcriptionem, quae a Lectoribus ſine iconibus vix intelligi poteſt, omittimus.

4) *Deſcriptio leporis puſilli.* Auctore Cl. P. S. PALLAS. p. 531. Deſcribit Cl. Auctor hic animalculum, quod in campis Tranſuolgenſibus in itinere, per Ruſſici imperii prouincias Aſiaticas facto, reperit. Forma et magnitudine illud externa ad murinum genus accedit, pedum vero planta hirſuta, digitorum numerus, quinarius in palmis, et quaternarius in plantis, velleris color cet et dentes ſuperiores duplicati oſtendunt, illud leporino inſerendum eſſe. Apertos campos (*Steppen*) colit, ibique in cuniculis ſub terra latet, ex quibus nocturno tempore potiſſimum exit. A Tartaris *Sulgan* vocatur, aeſtate variis herbis ſucculentis paſcitur, hyeme vero excrementis maiorum animalium phytivororum, equorum et ouium victitat. In craſſo inteſtino aſcarides Cel. Auctor reperit, quae cum iis forma conueniunt, quae in homine cet. occurrunt.

XIII.

IOANNIS FRIDERICI MECKEL noua experimenta et obſeruationes de finibus venarum ac vaſorum lymphaticorum in ductus viſceraque excretoria corporis humani eiusdemque ſtructurae vtilitate. Berolini apud Frideric. Nicolai. 1772. 8. pl. 7.

Qui iam alio tempore vaſorum lymphaticorum naturam egregie dilucidauerat Cl. Auctor *) indefeſſus corporis humani ſcrutator, pergit nunc in eorum progreſſu enucleando, et nouo vtiliſſimoque,

*) v. comm. noſtr. Vol. VII. p. 336.

que, obſcurorum vaſorum iter perſequutus, invento ſcientiam anatomicam adauget. Quinque autem ſectionibus lymphae ad ſanguinem reditum per vaſa reſorbentia et lymphatica, cum venis communicantia, nec ex tela celluloſa orientia, demonſtrat: et de his, quae ad vniuerſum reſorptionis genus ſpectant, primo loco: deinde de ea in mammis, veſiculis ſeminalibus, hepate et veſica vrinaria facta, agit.

Viam ex vaſis lymphaticis ad venam cauam iam aliunde cognouerat Noſter, nunc eam ex glandulis conglobatis ad truncos venarum per eadem vaſcula lymphatica illo detexit experimento, quo glandulam lumbarem per ductum lymphaticum mercurio replebat, ex qua vena, ad truncum venae cauae exporrecta, tandem preſſione mercurii adaperta fuit. Erat autem haec glandula ſemiſcirrhoſa. Quo ipſo ſimul intellexit, vaſa haec lymphatica inter ſe et cum minimis venis glandulae immediate committi, quae ſane connexio, nondum cognita, in multiplicem a naturae auctore noſtri corporis vſum facta
p. 13. ſit. Glandulae namque lymphaticae, ex innumeris tortuoſis lymphaticis ductibus conſtructae, hanc venarum anaſtomoſin habent, vt lympha depuretur, atque ab heterogeneis et aquoſis, ſiquidem ea gelatinoſa eſſe debet, moleculis liberetur; in morbis vero variis, praecipue in ſenio, praeter impedimenta, lymphae oppoſita, crepatura vaſorum lymphaticorum et ineuitabilis incurabiliſque hydrops praecaueatur: qua ratione vero idem in glandularum obſtructione, in truncorum lymphaticorum compreſſione et obſtructione eorum eueniat, docet atque medicamentorum efficacium actionem inde erudite deducit.

p. 24. Mammarum ſtructura, ab aliis ſtudioſiſſime deſcripta; Noſtro tamen per inſtituta tentamina noua

aliqua

aliqua detegenda reliquit. Fecit autem experimenta, in defunctis puerpera et grauida, mamma quidem tum in ſitu relicta, tum ex nexu ſoluta, viditque per papillae tubulos immiſſum hydrargygyrum partim ad venas celerrime tranſiiſſe, in venam axillarem vſque, partim in vaſa lymphatica receptum ad glandulas axillares perueniſſe. Immo inopinato euentu lactiferos tubulos in papilla inter ſe communicare conſpexit, nec propinquos tantum, quin etiam remotiſſimos, ita, vt, dum quinque tantum tubulos repleuiſſet, quindecim tandem plenos turgidosque obſeruaret. Nuckianum tamen circulum, nunquam adſumendum, ſe inueniſſe negat, horum etiam lactiferorum tubulorum anaſtomoſin in minoribus eorum ramis fieri aſſerit, et hinc euenire, vt lac crudum per venas refluat, acris etiam lympha, vt in cancro, facilius per totam glandulam diffundatur. Porro ex his intelligitur, immediatum eſſe nexum cum vaſis lymphaticis tubulorum lactiferorum, nec haec ſolum ex tela celluloſa enaſci: itemque de venis valere, quae et cum arteriis et cum his tubis galactophoris, et cum tela celluloſa communicare conſpiciuntur; de arteriarum autem anaſtomoſi dubiam eſſe ſententiam iudicat. Cognitio autem haec varias demonſtrat ſtructurae vtilitates, inter quas eſt, lac ex arteriis ſecerni, nondum perfectum, ſed heterogeneum, cui lymphatica vaſa nimiam tenuitatem reſorptione ſua demant, nimis craſſas vero et terreſtres, ſalinasque moleculas venae abſumant, et dulce liquidum blandumque lactis reddant. Quae animaduerſiones ad lactis et nutricis qualitates diiudicandas, quatenus pertineant, docetur, et hinc, iuniores nutrices aetate prouectioribus anteponendas eſſe, recte iudicatur. Deinde in cognoſcendis et medendis morbis inde egregia deſumuntur argumenta, ne lactis regreſſui forte

p. 51.

adſcri-

adſcribantur morbi, quorum ratio in peruerſa ſanguinis mixtione haeret, vt potius reditus liberior lactis per adaptata remedia promoueatur. Siquidem febres etiam variae in puerperis ab aliis longe, ac lacte, cauſſis enaſcantur, vt defectus lactis morbi effectus potius, quam cauſſa exiſtat, illudque febre ſuperata feliciter redeat, reſorpta vero materia putrida, ex vtero nouos morbos generet. Structura etiam mammae declarat, quare obſtructiones per hydrargyrum cum camphora reſoluantur optime,
p. 68. etiam illae, quae pene ſcirrhum fecerant. A cicuta parum ſpei et emolumenti Noſtro euenit. Si autem reſolutio non fit, nullum, niſi in tempeſtiua et ante cancri acceſſum facta extirpatione, auxilium eſt.

p. 71. Semen ex veſiculis ſeminalibus iterum ſanguini reaffundi, communis opinio eſt; viae, quae reſorbent, non aeque patent. Huic tamen officio tantum venas praeeſſe, iniectio Cl. Auctori manifeſtavit, qua, immiſſa per ductum deferentem, cera non veſiculae ſolum replebantur, ſed venae hypogaſtricae etiam et plexus venarum, ad veſiculas reperiundarum; nulla vero vaſa lymphatica, quae tenerioribus partibus reſorbendis inſeruiant. Haec enim, copioſe ad teſticulum inuenienda, ex illo longa via ad plexus vaſorum lymphaticorum lumbares deferuntur, quod, ſicuti vehementer optamus, propediem demonſtrare promittit Noſter. Simul autem inde patet, nec accumulationem, nec corruptionem huius liquidi in receptaculis metuendam eſſe.

p. 82. Bilis deinde in hepate per reſorptionem praeparatur. NUCKIUS iamiam, facta in ductum hepaticum iniectione, liquidum per vaſa lymphatica facile redire vidit, et Cl. Auctor experimentis idem reperit, cui etiam contigit, vt ex ductu hepatico aditus in venam cauam pateret facile, nunquam in venam portarum aut arteriam hepaticam, multo

minus

minus vnquam tranſitus in celluloſam telam ſucceſſit. Quod pari ratione in mammis euenit, in quibus, ſi celluloſa tela repleta eſſet, omnis ad vaſa lymphatica progreſſus protinus ceſſaret, itidemque in vaſis ſeminalibus, vt venas et vaſa lymphatica immediata connexione vti euidentiſſime appareret, neque ex contextu celluloſo demum ad lymphatica vaſa tranſitus eſſe perſpiceretur. Quare nunc mutat ſuam, de vaſorum lymphaticorum origine, olim ſuſceptam ſententiam Noſter; immediatum potius nexum venas inter et vaſa lymphatica, ſecernendis liquidis perficiendis, inſeruire affirmans, in hepate potiſſimum ſuperfluam tenuemque aquam reſorbendo; reliquam vero bilem accurate miſcendo, ſiquidem in morbis etiam per easdem vias bilis ad ſanguinem redeat.

Notatu denique dignum eſt, ex veſica vrinaria, tum aerem immiſſum per vrethram, tum ipſam aquam per venas exitum inueniſſe: ſicque in ſtatu etiam naturali non improbabiliter aliquam tenuioris fluidi particulam reſorberi. Id quod exemplo declarat ex iuuene, qui, pauco reddito lotio, ſub axillis continuo humorem, odore ac colore lotii profudit, qualia exempla Noſtro varia occurrerunt, quibus confirmatur, ex vrina ſubtiliſſimum liquidum reſorberi. P. 99.

XIV.

Verzeichnis einer Sammlung von Bildniſſen gröſtentheils berühmter Aertzte, ſowohl in Kupferſtichen, ſchwartzer Kunſt und Holzſchnitten, als auch in einigen Handzeichnungen: dieſem ſind verſchiedene Nachrichten und Anmerckungen vorgeſetzt, die ſowohl zur Geſchichte der Arzeneygelahrtheit als vornehmlich zur Geſchichte der Künſte gehören von I. C. W. MOEHSEN. *des Königlichen Preuſſiſchen Obercollegii medici und Obercollegii* ſanitatis, *wie auch der Römiſch Kayſerlichen Academie der Naturforſcher Mitglied etc. Mit Vignetten. Berlin, gedruckt bey Friedrich Willhelm Birnſtiel, Königlicher privilegirter Buchdrucker* 1771. 4. *mai. Alph.* 2. *Bog.* 14. *)

i. e.

Index collectionis imaginum maximam partem celebrium medicorum, tam aeri vario modo inciſarum, quam ligno, nec non in quibusdam delineationibus. Cui praemittuntur variae relationes et annotationes, hiſtoriam medicinae pariter ac potiſſimum artium attinentes, Auctore I. C. W. MOEHSEN.

Cl. MOEHSEN, cuius indefeſſum hiſtoriae literariae ſtudium nuper indicauimus **), iterum hoc opere ad hiſtoriam medicinae ac artium multum contuliſſe nemo negabit. Quapropter huius vtiliſſimi libri ſaltem ſumma indicanda non superſedere nos poſſe iudicauimus.

Prima

*) Prodiit idem liber quoque ibidem, eodem anno eademque forma, charta tamen et pretio minori apud bibliopolam Chriſtian Freder. Hirnburg.

**) v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 678.

Prima pars conſtat ex introductione, tractatione et explicatione paruarum tabularum aenearum huius operis, ab initio et fine nonnullarum ſectionum inſertarum. Altera pars ſiſtit catalogum alphabeticum iconum, potiſſimum clariſſimorum medicorum et eorum, qui artem medicam excoluerunt, atque additamenta ad primam partem: denique alphabeticus catalogus pictorum atque delineatorum, nec non chalcographorum, qui delineationes iconum aeri inciſarum ipſi effecerunt.

In introductione primae partis neceſſitas, commoda atque varius vſus eiuſmodi collectionis imaginum declarantur a Cl. MOEHSEN. Atque hac occaſione de varietate tabularum aenearum, earumque raritate, vt Cl. LIEBERKUHNII effigies: porro minus noti medici, quem CORREGGIO pinxit, cet. et integritate, additis fontibus, e. g. de capite GALENI, HIPPOCRATIS, DIOSCORIDIS e. ſ. p. docte diſſeritur. Denique de vtilitate huius operis in doctorum virorum hiſtoria proponitur, et quis dubitabit de vtilitate, cum Cl. MOEHSEN plures, quam quingentos habeat, qui in KAESTNERO deſint, et trecentos, quorum Cl. IOECHERUS non mentionem fecerit? Hi quoque aſteriſco a Noſtro ſunt diſtincti. Pars I.

Iam progreditur Noſter ad coniunctionem medicinae cum artibus, atque ad vtilitatem, quam medicina artibus attulit, demonſtrandam. Veteres amaſſe omnino magnopere artes, inprimis picturas, probatur a Noſtro ex templis, quae multis picturis ornata erant. Templum enim AESCULAPII non ſolum a medicis, ſed etiam ab artificibus, vt APELLE, aliisque, multis picturis eſt donatum. Dum diſquiritur, quatenus anatomia artificibus p. 53.

 ſcitu

ſcitu ſit neceſſaria, de anatomica cognitione veterum medicorum et artificum agitur. Tempore GALENI, vti ipſe dicit in ſuis anatomicis adminiſtrationibus, anatomia non multum colebatur a veteribus medicis, cum familiae AESCVLAPII hanc ſcientiam in ſuis templis occultarent, et clanculum tractarent, ad quam et HIPPOCRATES eſt referendus. Quaeſitum igitur eſt, cur nullus HIPPOCRATES, nullus PHIDIAS et nullus APELLES inter recentiores inuenirentur; cum tamen recentiores plura commoda ad artes tractandas et ſcientias colendas haberent, quam veteres? Ac Noſter putat, et nos in temporibus GALENI adhuc viuere ex hac parte.

p. 65. Tum diſquiritur: num veteribus artificibus anatomica cognitio aeque neceſſaria ſcitu fuerit, quam recentioribus. Ac, ſi quis largiretur, graecos non adeo anatomiae eſſe gnaros, iis etiam haec ſcientia non adeo multum inſeruire potuit, quam recentioribus. Spectabant enim quotidie naturam, corpora bene et ſecundum naturam formata, et in eorum incremento nulla arte impedita atque coacta, carnoſa, et formoſa. Capita Graecorum non variis linteaminibus atque faſciis, quas GALENUS apud Romanos vituperat, comprimebantur, ſed libera et expedita naturalem magnitudinem et pulchritudinem nanciſci poterant. Quapropter veterum capita a parte ſuperiori pulchram et naturalem oualem prae ſe ferunt formam. Ac ſic et reliqua veſtimenta Graecorum et Romanorum incrementum naturale, flexilitatem, rotunditatem, plenitudinem, eminentiaſque corporum nullo modo impediebant. Nam bene recteque nutriebantur. Accedebant dein balnea et corporum exercitia varia apud veteres, in arte gymnaſtica, quae non minus

minus corpus firmabant et ſtabiliebant, ac nuda corpora, quae veteres ſaepe in his exercitiis monſtrare oportebat, ſitum, vim, valorem et vſum muſculorum verum et naturalem, artificibus ante oculos ponebant. Inde et medicis athletarum diaeta et habitus ita erant regenda, vt fierent quidem corpora carnoſa, minime tamen obeſa. Porro veteres ſaepenumero poterant in animi commotiones varias inquirere, et iram, iracundiam, dolorem, timorem ceteraſque ex vultu cognoſcere.

Quapropter neceſſitas anatomicae cognitionis recentioribus a Noſtro nunc monſtratur, inſimulque, quomodo DE LA TORRE primus ſit, qui LEONHARDO DE VINCI, cuius picturae admodum rarae ſunt, vtilitatem anatomicae cognitionis in ſua arte declaret, oſtenditur. Anatomia enim pulchritudini et accuratioribus delineationibus magnopere inſervit. MUNDINUS Profeſſor Bononienſis, qui 1305 vixit, primus fuit, qui anatomiam coleret et in ſcriptis poſteritati relinqueret. Latino quidem idiomate ſcripſit MUNDINUS; multae tamen arabicae denominationes, vt *mirach* abdomen, *ſiphac* peritoneum e. ſ. p. in eo inueniuntur. Quapropter et arbitratur Noſter, non iure MAGNUM HUNDT 1501 profeſſorem Lipſienſem primum anatomicum a nonnullis habitum eſſe. Poſſunt porro et recentiores, anatomica cognitione imbuti, veterum delineationes atque picturas diligentius atque accuratius diiudicare, indeque artem ſuam augere et ditare atque perfectiorem reddere. DE VINCI anatomicam cognitionem dein imitati ſunt MICHAEL ANGELO BUONAROTTI et RAPHAEL, qui multum ſibi in ſua arte per anatomiam conſuluerunt. p. 71.

His praemiſſis, de meritis VESALII et TITIANI ob anatomiam artificum: item de operibus p. 80.

VESALII accurate hic refertur a Noſtro. Qui ſcire cupit, quale VESALIUS medicis, chirurgis et artificibus praeſtiterit auxilium, amandatur hic a nobis ad noſtrum Auctorem, qui ſimul de operis VESALII variis editionibus, et de diſcrimine figurarum in editionibus 1543 et 1555, cuius et BOERHAAVE *) mentionem fecit, qui ſuadet, vtramque editionem poſſidentibus, ſecundae textum, et tabulas primae conſulere, docte diſſerit. Nos vero hoc vnicum ſolummodo, breuitatis ſtudioſi, per inſtituti rationem, addimus, Cl. MOEHSEN, qui vtramque editionem diligenter inter ſe contulerit, putare, ſecundam 1555 editam eſſe optimam, quae emendatiorem textum non ſolum, ſed plures etiam minores tabulas in ſe contineat: ideoque eam, qui habeat, prima indubitato carere poſſe.

p. 91. Iam monſtrat Noſter neceſſitatem indicis optimorum operum anatomicorum, ab idoneis artificibus curatorum, atque incipit de tabulis anatomicis EUSTACHII, qui primus poſt VESALIUM fuit. Editae enim ſunt hae tabulae 1552 anno, et, cum VESALII figurae ligno inciſae fuiſſent, videtur EUSTACHIUS primus fuiſſe, qui aeri incidi anatomicas figuras curaret. Nec non has delineaſſe videtur ipſe EUSTACHIUS, quoniam in fronte huius libri legitur: cum figuris aeneis ab ipſo Auctore delineatis. Quis vero eas aeri inciderit, non conſtat.

p. 94. Sequitur nunc relatio de opere CASSERII et EDUARDI FIALETTI et tabulis myologicis IOANNIS BROWNE inde ortis. CASSERII tabulae idoneos et exercitatos artifices produnt. Delineauit enim eas FIALETTI, atque aeri incidit FRANCISCUS

CISCUS

*) v. Meth ſtudii med. Amſtelaedam. 1751. T. I. p. 271.

CISCUS VALLESIUS. Conſtituit autem CASSERIUS ſecum, theatrum anatomicum perfectum vulgare; quod autem, eo non multum poſt mortuo, impeditum eſt. Quapropter et deſtituti ſumus deſcriptionibus illarum tabularum, et DANIEL BUCRETIUS illas edidit, deformes tamen redditas, ADRIANIque SPIGELII operi anatomico nexas. IOANNES BROWNE autem in myographia ſua noua, triginta et ſeptem tabulis, a CASSERIO triginta et duas aſſumſit, easque 1684 Londini in folio minori vulgauit. CASSERII autem et BROWNE tabulae maxime inter ſe differunt.

Figurarum aenearum anatomicarum PETRI DE CORTONA hactenus incognitum Auctorem fuiſſe IOANNEM MARIAM CASTELLANUM, probatur. Tabulae anatomicae a celeberrimo pictore PETRO BERRETTINO Cartonenſi, delineatae et egregie aeri inciſae nunc primum prodibant, et a CAIETANO PETRIOLI Romano, Doctore Regis Sardiniae, Chirurgo publico, Anatomico et inter Arcades ERASISTRATO COO, notis illuſtratae Romae 1741. Ex typographia ANTONII DE RUBEIS etc. fol. mai. Hoc opus ita inſcriptum partim artifici BERRETTINI adſcribitur, partim IOANNI VESLINGIO, cet. Noſter autem monſtrat ex bibliothoca Romana PR. MANDOSII, CASTELLANUM, dum eius memoriam ibi tradit, huius operis auctorem fuiſſe, qui GREGORII XV. archiater erat, ipſe de phlebotomia et arteriotomia ſcripſit, et librum cum figuris, forſan a LUCA CIAMBERLANO aeri inciſis, publici iuris fecit. De CASTELLANI autem opere magno anatomico, quod praeterea ei debetur, et cuius et SEVERINUS p. 99.

de

de recondita abſceſſuum natura *) mentionem fecit dubitat Noſter.

p. 103. CARL CESIO anatomiam pictorum italice edidit IOANNES DANIEL PREISLER cum ſedecim tabulis, minus accuratis, ideoque ad erudiendum non aptis. Duae ſiſtunt oſſa humana, quatuordecim carnes.

p. 104. Iam progreditur Noſter ad GODOFR. BIDLOO opus, cuius figuras GERARD LAIRESSE delineavit primus poſt CASSERIUM. AMANTI BOURDONII tabulas anatomicas octo praegrandes Noſter non vidit, quae inter CASSERIUM et BIDLOO editae ſunt. Porro de BIDLOO et LAIRESSE figuris aeneis per GUILIELMUM COWPERS, eiusque appendice nonnulla Noſter addit. Artium autem cultoribus ex hoc opere non adeo magnam Noſter ſpondit vtilitatem.

p. 111. Traditur hic a Noſtro accurata relatio de opere CAROL. ERRARD et BERNARDIN GENGA, cum hoc opus**) raro occurrat et nimis ſumtuoſum ſit. Erudit multum artifices in anatomia; attamen VESALII figuras tamen iis, qui hoc opus poſſident, quoque neceſſarias arbitratur Noſter. Id quod exemplis illuſtrat.

p. 116. Magna et turpis defraudatio detegitur hic a Noſtro cum opere ARCHANGELI PICCOLOMINI, quod ita eſt inſcriptum: Anatome integra, reviſa, tabulis explanata et iconibus mirificam humani corporis fabricam ad ipſum naturae archetypum exprimentibus, cum praefatione et emendatione

*) Lugd. Batav. 1724. fol. p. 318.

**) Anatomia per vſo et intelligenza del diſegno etc. Opera vtiliſſima a Pittori et Scultori.

tione IOANNIS FANTONI Anatomici Taurinenſis. Veronae, ſumtibus *Gabrielis Iulii de Ferrariis*, 1754 fol. Editor refert, ſe hoc opus PICCOLOMINI, circa finem ſeculi decimi ſexti denati, accepiſſe, et tabulas aeri incidi curaſſe, poſt mortem eius et FANTONI illud emendaſſe. Comparat autem Noſter hoc opus cum catoptro microcoſmico, quod prodiit Francofurti ad Moenum 1660 fol. mai. et edidit IOANNES REMMELINUS, atque inuenit, vtriusque eſſe vnas easdemque tabulas, eamdemque ipſarum explicationem. Quapropter hic detexit hanc fraudem editoris, nec non FANTONI, cui emendatio operis PICCOLOMINI falſo adſcribitur, defendit, et PICCOLOMINI atque REMMELLINI opera non aliter, niſi titulo, differre putat Noſter. Quid quod Editor Veronenſis litteras has in tabulis non omiſit. I. R. i. e. IO. REMMELINUS Inuentor, L. K. i. e. LUCAS KILIAN Sculptor et STEPHAN MICHELSPHACHER excudit.

Nunc diſquirit Cl. MOEHSEN, cur delineationes et figurae aeneae anatomicae, quae medicos erudire poſſint, tantis difficultatibus praemantur. Pertinet ad figuras aeneas, medicis vtiles, fida et accurata potius naturae imitatio, quam magna et exquiſita ars. Aliter ars, quae imitationem aſſiduam neglexit, eminentias, profunditates, ſitum partium et verum vſum medicis occultat. Quapropter accidit, vt optimi quique artifices medicis in hac re ſaepe officiant. Id quod probat ex BIDLOO opere, in quo optimus LAIRESSE *) delineationes curauit. p. 118.

His accurate demonſtratis, enumerat Noſter anatomicos, qui figuras aeneas operum ſuorum ipſi partim delinearunt, partim delinearunt et aeri inci- p. 121.

 derunt

*) v. ſupra p. 696.

derunt. Hi ſunt HEISTER, LIEUTAUD, CAMPER aliique.

p. 124. Sequitur iam magnum anatomicum opus ALBINI, C. IO. WANDELAARII delineationibus et figuris aeneis, et TARIN repetitis et contractis figuris. ALBINI celeberrimi opus inter anatomica, iam a Cl MOEHSEN commemorata, eminere, et artificibus pariter, ac medicis, plurimum inſeruire arbitratur Noſter, qui hunc inexplicabilem ALBINI laborem, ſtudium, et moleſtias laudat, ac inprimis, quod ſumtibus profecto magnis non pepercerit. Non ſolum enim Cl. WANDELAAR in domum ſuam recepit; ſed et ſummam pecuniae viginti et quatuor millia florenorum huic operi perficiendo dicauit, inſcio Cel. ALBINO *) num ſolueretur aliquando haec pecunia. Ob iconum harum itaque accurationem et vtilitatem Cl. TARIN, b. WINSLOVII diſcipulus, ALBINI myologicum opus minus ſumtuoſis impenſis recudendum curauit. Qua occaſione reliquos libros, a Cl. TARIN editos enarrat et laudat, inſimulque ſingularis craſſitiei cranii a Cl TARIN obſeruatae hiſtoriae, actis naturae curioſorum **) inſertae, mentionem facit; nec non pollicetur alia occaſione additamenta, ad hanc obſeruationem nimis craſſi cranii ſe communicaturum eſſe.

p. 130. De anatomico opere Ill. ALBERTI ab HALLER ſecundum ROLLIN et KALTENHOFER delineationes, cum HEUMANI aliorumque figuris aeneis nunc agitur a Noſtro. Quemadmodum Cl. ALBINUS oſſa et carnes egregie illuſtrauit: ſic arbitratur Noſter Ill. HALLERUM caeteras partes anatomiae ita curaſſe, vt accurata earum cognitione arti-

*) Eiusdem annotat. acad. lib. III. c. XVI. p. 73. it. ib. lib. I. praef. p. 8.

**) v. vol. VIII. p. 251. ſeq.

artifices et mediciplane non poſſent ſuperſedere. Reliqua lectu digna et ſcitu neceſſaria mittimus.

De GAUTIER anatomicis figuris, viuis colori- p. 131.
bus pictis, haec habet Cl. MOEHSEN. Legitur hic relatio de meritis LE BLOND, ADMIRAL et GAUTIER. Primum in Gallia prodiit opus anatomicum pictum, cuius Auctor erat pictor, et inſcriptio haec eſt: Eſſai d' anatomie en tableaux inprimées etc. par M. DUVERNEY, peintes, gravées et inprimées en couleur etc. par le Sieur GAUTIER. fol. mai. 1745. Alterum EIUSDEM anatomie de la tête en tableaux inprimées etc. 1748. Tertium, anatomie générale des viſcères en ſituation etc. avec angiologie et neurologie de chaque partie du corps humain. 1751. Acceſſerunt dein ad primum duodecim tabulae ſ. Suite de l' eſſai d' anatomie. Nonnulla exemplaria et ita inſcripta ſunt: la myologie du tronc et des extrémités avec les tables de la deſcription de tous les muſcles du corps humain 1745. Ac idem opus Cl. MOEHSEN vidit cum viginti et octo tabulis pictis hoc titulo: myologie complette, en couleur et grandeur naturelle compoſée de l' eſſai et de la ſuite de l' eſſai d' anatomie en tableaux imprimées, ouvrage unique etc. 1746. Ad haec itaque librorum amicis eſt attendendum. Praeterea autem Noſter arbitratur, deſiderari hic a quolibet curam et ſtudium Ill. ALBINI et HALLERI, cum quoad anatomiam, tum quoad tabularum rationem. Reperiuntur facile hic magni errores in plurimis tabulis, et deſunt interdum toti muſculi, interdum ſitus, inſertio, magnitudo connexioque muſculorum naturam non produnt. Cum plura vlterius nequeamus hic tradere, ad iudicium Ill. BOERHAAVE *) et HAL-

LERI

*) v. nou. comm. acad. ſc. imper. Petropol. Tom. II. ad ann. 1749. Petropol. 1751. 4. mai. p. 194.

LERI *) de hoc opere Lectores amandandi ſunt. Opus enim ſuperbo titulo non reſpondere, affirmamus cum Cl. MOEHSEN et BOERHAAVE.

p. 137. Traduntur hic nonnullae relationes de primo vſu figurarum anatomicarum ligno et aeri inciſarum cum viuis coloribus: item de LE BLOND, anteceſſore GAUTIER, quem nonnulli primo loco in hac arte nominant. HUGO autem DE CARPI poſt annum 1520 eiusmodi tabulas iam quidem curauit; attamen potiſſimum hic inclaruerunt Cl. viri LE BLOND et L'ADMIRAL. Fit et hic mentio CASPARI ASELLII primi vaſorum lacteorum detectoris, qui, eo mortuo, tractatum ſuum de lactibus ſeu lacteis venis quarto vaſorum meſeraicorum genere non ipſe curauit. Sed duo medici TADINVS et SEPTALIVS, demortui amici 1627. in 4. Miolani eum vulgarunt, cum quatuor ligno inciſis figuris, quae artificii huius culturam et tum produnt. Tum IACOBI CHRISTIANI LE BLOND Francofurtenſis ad Moenum primi, vti fertur, qui figuras ligno inciſas cum coloribus viuis fecerit, vita hic a Cl. MOEHSEN accurate narratur, et nonnullae figurae, a LEBLOND factae, quas Noſter poſſidet, commemorantur.

p. 143. Iam ſequuntur ADMIRALIS anatomicae icones, coloribus diſtinctae. Et quis eſt, qui non delectetur earum adſpectu? Iam ante tempora GAUTIER, IOANNES ADMIRAL eiusmodi icones coloribus diſtinctas ſcite fecit, et multas quoque diſſertationes BERNHARD SIEGFRIED ALBINI, vt de arteriis et venis inteſtinorum humanorum **) de ſede ac cauſſa

*) BOERHAAVE method. diſc. med. Tom. I. p. 302. no. 2.

**) EIVSDEM annotat. acad. lib. III. p. 54. ſeq.

cauſſa coloris aethiopum et ceterorum hominum, eiusmodi iconibus illuſtrauit. Dein et FREDERICI RUYSCHII praeparata anatomica cum explicatione figurarum, ſine vlteriori autem rei tractatione, in latina, Gallica, et Belgica lingua, pinxit. Nimirum icon membranae vaſculoſae, ad infima acetabuli oſſium innominatorum poſitae, durae matris ex capite fetus humani octo circiter menſium, cranii, perioſtio tecti: durae porro matris in concaua ſuperficie viſae: rurſus effigies penis humani cera iniecta praeparati.

BARTHOLOMAEVS SEUTER icones phytantozoigraphiae WEINMANNI viginti et quinque primas curauit, reliquas ſimul cum IOANNE ELIA RIDIGER et IOANNE IACOB. HAID. Antea vero Cl. KIRNHALS in Anglia IOANNIS MARTINI hiſtoriam plantarum rariſſimarum iconibus eiusmodi illuſtrauit 1728. p. 140.

Iam ad COWPERI anatomiam reformatam CHESELDEN oſteographiam Lond. 1737. EIVSDEMque anatomy of the human body, cuius ſexta editio Londini 1741. in 8 mai. prodiit, Noſter venit. Additae ſunt huic editioni quadraginta tabulae aeneae, per cameram obſcuram aeri incidit eas GERARD VAN DER GVCHT. Inter quas duas potiſſimum amant artifices, decimam nonam nimirum tabulam, vbi *Marſyas* arbori alligatus ſpectatur, et vigeſimam, qua *Hercules* Antaeum manibus attollit. Ambae ſitum muſculorum, integumentis communibus ſeparatis, egregie docent. p. 148.

Reſtat

p. 149. Reſtat nunc I. M. PAPILLON *) tabularum ligno inciſarum opus egregium et vnicum, quod ex hac parte perfectum Noſter iudicat. Reperitur et in eo inter multas alias res relatio VESALII editionum, cuius prima editio 1534 iam prodiiſſe dicitur, VESALIVMque in quinquageſimo et octauo 1564 aetatis anno mortuum eſſe. Quam vero relationem interdum Noſter minus accuratam eſſe monſtrat, nec non alios errores in huius operis hiſtorica parte detexit, quos breuitatis ſtudioſis nobis hic tradere non licet. Practicam autem partem huius operis laudat Noſter.

p. 152. Fuerunt autem medici, et chirurgi, qui delinearent, ſculperent et pingerent: eorum itaque hic mentio iniicitur. Vt ANTONIO VENEZIANO ſiue FIORENTINO, GEORGIVS IACOBVS LANGE phyſicus Norimbergenſis, ROMYN DE HOGHE, RVYSDAAT et LA FAGE, chirurgi, porro LVCAS ſanctus, Evangeliſta, medicus et pictor, quem variae medicae ſocietates et academiae pictoriae patronum ſibi adſciuerunt, de quo multae res narrantur, etiam theologis vtiles, quas hic repetere non poſſumus. VRBAN HIAERNE archiater Suecicus diſſertationi ſuae inaugurali: de obſtructione lacteorum vaſorum et glandularum meſenterii, Andeuagi 1670. annexas tabulas, quatuor aeneas ipſe delineauit et incidit, ſuamque ipſam imaginem reliquit. Fuerunt et medici, qui in numismaticis et geographicis delineationibus eminerent, e. gr. IO. CVSPINIANVS, imperatoris MAXIMILIANI archiater: IOH. IACOB SCHEVCHZER Heluetus et eius filius IO. CASPAR. Multas vtiles res oportuit nos hic omittere.

De

*) EIUSDEM traité hiſtorique et prâtique de la gravure en bois Tom. I et II. et ſupplement, ou tom. III. a Paris 1766. 8.

De botanicis operibus, cum figuris aeneis, quas Auctores ipſi delinearunt atque ſculpſerunt, huc referendus eſt DIOSCORIDES, DILLENIVS, HILL, IOANNIS BAPTISTA MORRANDI, FABII COLVMNAE, CONRADVS IOHRENIVS, qui ſumtibus ſuis floram ad viuum egregie depinxit, quorum, et adhuc aliorum opera hic a Noſtro diiudicantur. Arbitratur autem Cl. MOEHSEN, horum botanicorum conamina artibus minus vtilia fuiſſe, quam anatomicorum. Natura enim ſemper ſuperat artem in botanicis figuris. Inſimulque, quotidiana experientia docente, affirmat, botanicum characterem non raro in his botanicis iconibus deſiderari, eisque potius oculos delectari, quam naturae amicos erudiri atque inſtrui. p. 136.

Tum et chemiae vtilitas ad artium emolumentum declaratur. Ac primum quidem ratione colorum: deinde ratione paſtarum terrearum (*Glaspaſten*), vbi primus nominandus eſt Cl. HOMBERGIVS, quem dein LIPPERTVS Dresdenſis, gemmarum antiquarum cauſſa clarus, longe ſuperauit. p. 165.

Denique et nonnulli medici motum animalium, vt BORELLVS, tractarunt: rurſus de proportione et ſymmetria partium corporis humani egerunt, vt ELSHOLZ et REINHARD. Fatendum autem eſſe putat Noſter, ALBRECHTVM DÜRER hanc rem iam exhauſiſſe, et praecepta Cll. virorum TARIN et GAUTIER maiorem fructum attuliſſe. p. 170.

Catalogus iconum, praecipue medicorum, eorumque, qui hanc artem coluerunt, multos in ſe continet medicos. Eſt ille alphabeticus et numerum millenum ſuperat, additis plerumque delineatonibus, pictoribus, aere caelatoribus ſ. ſculptoribus To. II. p. 1.

loco-

locoque natali, academia, qua viuebant, forma, aetate, annis, quibus nati et denati ſunt hi viri docti. Et admiramur vel hic maxime profecto aſſiduitatis ſtudium Cl. MOEHSEN, et gratias magnas habent illi huius rei amici.

p. 151. Inter additamenta ad indicem medicorum celebrium reperimus imaginem celebris medici et chirurgi FRANC. QUESNAY raram illam, ideoque pretioſam ASTRVCII: porro ROBERT WHITE, FRANC. PATIN, THOMAS BROWNE, ligno inciſam imaginem MELCHIORIS SEBICII ſeu potius SEBISCH. Porro imaginem ANTONII VALLISNERI et ANDREAE VESALII.

p 157. Indicat porro Noſter eas medicorum imagines, qui deſunt in hac collectione.

p. 164. Explicat hic compendium ſcribendi, et refert Noſter de operibus, in quibus variae hic commemoratae imagines reperiri poſſunt, inſimulque addit annotationes, ad hiſtoriam artium et artificum ſpectantes.

Sed haec hactenus. Condonabunt Lectores, ſi paullo diutius in hoc libro indicando, cuius lectio maximopere commendanda eſt, immorati ſimus. Vtilitas enim eius magna, qua abundat hoc opus profecto, intelligitur non ſolum ab hiſtoriae literariae medicae cultoribus et artium amicis, ſed a medicis quoque ac chirurgis, qui in accurata anatomica inprimis cognitione acquirenda occupati ſunt.

XV.

XV.

IO. ERNEST. IMMAN. WALCHII conſil. aul. Saxo. Vin. et Iſenac. eloquent et poes. P. P. O. antiquitates medicae ſelectae. Ienae. ſumtibus viduae Croekerianae 1772. 8. c. f. pgg. 180. ſine dedicatione.

Niſi omnes, profecto plurimae res notatu dignae, quae de medicis ocularIIS Romanis eorumque collyriis atque ſigillis, quibus pyxides vnguentarias inſignire ſolebant, ideoque thecae vnguentariae opercula nuncupabantur, poſteritati relictae ſunt, hic inueniri poſſunt. Tribus ſectionibus hoc a Cl. WALCHIO praeſtatur: I. Sigillum medici ocularii in agro Ienenſi repertum: II. ſigilla medicorum oculariorum apud veteres Romanos: III. inſcriptiones medicorum oculariorum. p. 1.

Septendecim ſigilla in altera ſectione a Noſtro collecta ſunt. Exempli loco vnum tale ſigillum afferamus, cum praeterea ampliorem horum ſigillorum omnium atque inſcriptionum quoque recenſionem non ferat inſtituti noſtri ratio. p. 49.

Eſt illud decimum tertium Q. IULII MURRANII, ita comparatum: p. 83.

Q I V L M V R R A N I M E L I N V M A D C L A R I T A T E M

Q I V L M V R R A N I S T A G I V M O P O B A L S A M A T A D C A P

Alia quatuor habent latera, et ſingulum latus aliter eſt inſcriptum. Horum itaque ſigillorum explicationes addit, easque aliorum eruditorum virorum, vel ſuis coniecturis Noſter probat atque confirmat.

p. 103. Porro diſquirit Noſter, quid ſit, medico imperare apud ALFENUM VARUM. Commemorat nimirum Noſter locum ALFENI VARI, vbi medicis imperari videtur, illeque ſimilibus locis SENECAE et CICERONIS illuſtratur. Cum medici autem aegris imperent, nec aegri medicis, GREGORIUS HALOANDER quoque pro imperantes *implorantes* legendum eſſe coniicit. DIONYSIO GODOFREDO autem, HALOANDRI emendationem haud plane improbanti, non opus videtur hac correctione. Putat enim imperantem hoc loco medicum deſignare, qui remedia morbo laborantibus praeſcribere iisdemque ſanitatis aut conſeruandae, aut reparandae leges indicere ſoleat. Et ſic alii aliter atque aliter hunc locum explicarunt.

His emendationibus eruditos viros plane hic
p. 110. ſuperſedere poſſe, hisque verbis prorſus immutatis eorumque ſenſu haud turbato, totam hanc agitatam litem ex ipſo apud Romanos medicorum ſtatu, eorumque conditione dirimendam eſſe Noſter arbitratur. Erat nimirum florentiſſimis reipublicae Romanae temporibus, tum et imperatorum aeuo, duplex in vrbe medicorum genus: ſeruile alterum, vulgare plebeium et maximam ſaltem partem rude et illiteratum; alterum ingenuum, doctum, bonisque artibus et Graecae potiſſimum medicinae diſciplinis egregie imbutum. Hi itaque medici, quibus imperatum fuiſſe apud Romanos legimus, erant ſerui, illudque ipſum imperium attinebat artis exercitium, minime vero medendi methodum ſpectabat *).

p. 117. Tum hiſtoriam Aſclepiadarum Noſter perſequitur. Haud vna olim Aſclepiadarum ratio et conditio fuit. Ac primum quidem nomen iſtud genti fuiſſe dicitur eorum ſolummodo proprium, qui vel ab ipſo AES-

*) cf. comm. noſtr. Decad. II. Suppl. II. p. 255.

AESCULAPIO genus ſuum deriuarint, vel per adoptionem in Aſclepiadarum olim tranſierint familiam. In antiquis ideo lapidibus *Ασκλεπιάδαι τῶ γένει* vocantur. Qualis erat DIOCLES CARYSTIUS aliique.

Exſtincta vero Aſclepiadarum familia, frequentius nomen ASCLEPIADAE vſurpari coepit, aliis cognominis loco, nulla gentis aut vitae habita ratione; aliis propter artem, quam profitebantur, id ſibi adſciſcentibus, vt illuſtri hoc nomine auctoritatem ſibi, fidem medicamentis, a ſe praeparatis, conciliarent. Quorum ſunt potiſſimum ſex: *Primus* ASCLEPIADES Pruſenſis medicus. APOLLONII ERASISTRATEI diſcipulus: *Secundus* ASCLEPIADES iunior, *Φαρμακίων* dictus ob remediorum compoſitionem, quae et GALENUS diligenter deſcripſit. In DOMITIANI tempora incidit quoque ASCLEPIADIS aetas, cui *tertius* a Noſtro adſignatur locus, atque e lapide Reineſiano probatur, quo is L. ARRVNTIVS SEMPRONIANVS ASCLEPIADES medicus DOMITIANI appellatur. *Quartus* medicus eſt CALPVRNIVS ASCLEPIADES, teſtante antiquitatis monumento. p. 122.

Sequuntur tandem bini vltimi, quorum vnum, qui ordine *quintus* eſt pariter antiquo, cognouit, Τ. ΑΙΛΙΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ *ἰατρος λȣδ. ματ. χειρ.* medicus ludi matutini chirurgus; alter et *ſextus* appellatur P. NUMITORIVS PVBLII libertus medicus ocularius e. ſ. p. p. 128

Iam ſequitur medicina veterum lapidaris. Hic lapides, quorum vis ſalutaris, a veteribus laudatur, et a recentioribus, nonnullis lapidibus exceptis, vt magnes, haematites etc. prorſus reiicitur, collecti ſunt a Noſtro, qui quaedam de lithologia veterum chirurgica hic commentatur. p. 131.

p. 141. De Pyrrhoniſmo medicorum veterum quaedam hic a Noſtro traduntur. In Aegypto medicinae ratio vnice in longo rerum vſu multaque experientia ſita fuit atque collocata. Deinde autem, quum literae ex Aegypto in Graeciam migrarent, medici Graeci de morbis quoque philoſophabantur, et, quae maiores vſu atque experientia didicerant, ad principia et cauſſas primas revocare, ipſaque veterum de morbis praecepta ad artis et diſciplinae formam traducere ſtudebant. Quemadmodum tum in Graecia permultae philoſophorum ſectae, familiae et diſciplinae erant: ſic et ſecta florebat, quae dicebatur Pyrrhonia, cui multi amici ſtrenuique defenſores erant.

p. 149. Huic primum praefuit PYRRHO, a quo etiam duxit nomen ſecta, qui arbitrabatur, rerum naturae cauſſas adeo ſaepe tectas et abditas eſſe, vt aegre, quid verum ſit, quidue minus, rite poſſit detegi. Vt ne hanc ob cauſſam falſis opinionibus, ſophiſmatibus idque genus aliis decipiamur, decere philoſophum credit, ob virium intelligendi imbecillitatem, et propter tot ſenſuum fallacias, de quibuſuis rebus dubitanter pronunciare, nec quidquam ſine clariſſimis et euidentiſſimis documentis, pro vero habere. PYRRHONEM itaque amicum fuiſſe medicae experientiae, non vero opinionum et ſophismatum, ea deſtitutorum, Noſter probat, ita, vt a primis artis medicae initiis, ideoque paullo altius rem repetat.

p. 157. Rurſus de morbis veterum obſcuris Noſter agit. Ex ARETAEO duo commemorantur morbi, quos venae cauae acutum morbum, et πνευμῶδεν appellat, et in CAELIO AVRELIANO catalepſeos ſpecies occurrit. Sunt vero haec mala, noſtra aetate non obuia, nec ſatis accurate a veteribus deſcripta Noſtro

ſtro videntur. Quapropter et medicos Cl. WALCH monet, vt paullo diligentius in haec morborum ſigna inquirant, eorumque rationem reddant.

Finit hunc librum tractatio de venae cauae morbo acuto apud ARETAEVM. Hic morbus ab ARETAEO ita deſcribitur, vt non de duobus diverſis venae cauae morbis, ſed de vnico tantum ſermonem eſſe, luculenter appareat. p. 167.

Hoc probato, diſquiritur a Noſtro: vtrum morbus iſte ſciſſura venae cauae ſit, nec ne? Alii enim hunc morbum rupturam ſeu fiſſuram cavae venae, alii inflammationem eiusdem eſſe autumarunt. Rupturam autem non largitur Noſter; nam κέδματα fiſſuram venae cauae non deſignare contendit. Pariter non credit Noſter, ARETAEVM iecoris vitia cum venae cauae inflammatione confudiſſe. p. 170.

Ad inflammationem autem ramulorum venae cauae, per iecur ſparſorum, quod attinet, duplex iam oritur apud Noſtrum quaeſtio: altera, quomodo ARETAEVS inflammatos ramulos illos acutum venae cauae morbum dicere poſſit, quum tamen nuſpiam apud veteres medicos, neque apud ipſum ARETAEVM ramulis his nomen venae cauae fuerit adſignatum? altera, qua ratione ARETAEVS poſterius inflammationis genus pro ſatis frequenti venditare potuerit. Omnino autem huius morbi ARETAEI deſcriptio non egere obſcuritate Noſtro videtur. p. 177.

XVI. *Et-*

XVI.

Etwas von Fiebern. Erſter und Zweyter Abſchnitt, von G. I. BEVTH. *Cleve und Leipzig, bey Joh. Gottlieb Baerſtecher, Buchhaendler.* 1771. 8. *Seiten* 112 *u.* 107.

i. e.

Quaedam de febribus. Prima et ſecunda ſectio. Auctore G. I. BEUTH. M. D.

Ex dedicatione, quae directa eſt ad Cl. LEIDENFROST, intelleximus, in tribus ſectionibus
Sect. I. Noſtrum hanc rem eſſe abſoluturum. Prima haec ſectio conſtat quinque capitibus, quorum primum agit de idea febris; et de eſſentialibus ſymptomatibus ſecundum; tertium antecedentes cauſſas, quae cernuntur in ſex rebus non naturalibus, pertractat, quae haec febris ſymptomata efficiunt; in quarto enarrantur effectus, qui a febribus producuntur, ac quinto denique capite de accidentalibus febris ſymptomatibus diſputatur.

p. 9. HELMONTIVM primum eſſe Noſter arbitratur, qui naturam febris effectricem iudicauit. Examinatis febris definitionibus HELMONTII, SYDENHAMI, STAHLII, BOERHAAVII et SWIETENII, aliorumque veterum et recentiorum, febris idea a Noſtro ita formatur, vt ſit febris fortior motus humorum, quo quaedam peregrina materia e corpore expellatur.

p. 22. Ad eſſentialia ſymptomata febris refert Noſter maius aut minus frigus, caloris varios gradus et plus minuſue celerem pulſum. Horror febrilis cernitur vel in horripilatione vel in frigore vel in rigore,

gore, qui ad conuulſiones propemodum accedit. Calor febrilis poteſt eſſe maior et minor, humidus et ſiccus.

Cibus et potus inſeruit febribus vel ex eorum p. 30.
acrimonia, vel ex indigeſtione, quam inducunt in corpus, vel efficiunt.

Palpitatio cordis non eſt effectus febris, ſed ma- p. 44.
teriae febrilis: anxietates cordis ſolummodo a febre ipſa pendent.

Ad primum enim ſtadium pertinent ſtagnatio- p. 47.
nes, impeditus ſanguinis circuitus et cordis anxietates, indeque oritur frigus. Ad alterum autem reſolutio tenacis febrilis materiae, qua ſtagnationes ortae ſunt: liberior rurſus circulatio, ſanguinis calor et rubor. Hic iam vires naturae ſeparandae ſunt, quae in contractione cordis, ei propria, cernuntur. Reliqui motus, ſupra memorati, ſunt febris, de cuius ſalubritate, cruditate, coctione et criſi nunc
Noſter diſputat. Omnes febres vel plena ſanitas, p. 56.
vel mors, vel alius morbus ſequuntur.

Diſpeſcuntur ſymptomata febrilia a Noſtro quo- p. 59.
que in quatuor claſſes, quarum vna ea continet, quae omnibus omnino febribus ſunt communia, vt horror, calor, celer pulſus. Altera ea complectitur ſymptomata, quae huic vel illi febri ſunt propria, e. g. intermiſſio febris febribus intermittentibus ſolemnis ſolummodo eſt. Tertia claſſis ea ſpectat ſymptomata, quae quibusdam quidem conueniunt febrium ſpeciebus; tamen et aliis morbis ſuperueniunt, vt ſunt peruigilium, delirium, coma, conuulſionesque. Vltima claſſis attinet ea ſymptomata, quae accidentium nomine inſigniuntur, nec praeterea ad eſſentiam febris pertinent, vt ſitis, nauſea, ructus, vomitus, diarrhoea, exanthemata cutanea.

Sect. II. In ſecunda ſectione ordinem febrium Noſter perſequitur, earumque diuiſionem in continentes, intermittentes et continuas addit. Poſtea continentes benignas, vt ephemeram, ſynochum ſimplicem: et malignas, vt ſynochum putridam et febrem ardentem pertractat. Tum ſequuntur intermittentes et remittentes ſeu continuae e. g. febres catarrhales inflammatoriae, phrenitis, angina, peripneumonia, pleuritis, paraphrenitis, inflammatio ventriculi, inteſtinorum, nephritis, hepatitis. De his in quatuor capitibus a Noſtro diſputatur.

p. 8. Eas febres, quas Noſter appellat continentes, Cll. BOERHAAVIUS et ELLERUS febres continuas non remittentes nominarunt; et eae, quas Noſter ad continuas retulit, continuae remittentes ab illis nuncupatae ſunt.

p. 22. Malignitas febrium acutarum cernitur potiſſimum in proſtratione virium, pulſu debili et obſcuro et anxietate praecordiorum.

p. 44. Sanguificationis in phyſiologia difficillima Noſtro videtur explicatio. Nam pulmonibus et motui partium ſolidarum ſanguificationem non tribuit. Id quod ex ouis, calori animali ſubditis, illuſtrat. Ceterum non negat, ſe ignorare, quo modo chylus in ſanguinem mutetur, vtrum ſanguificatio ſolius ſanguinis ope fiat, an aliae functiones ſ. humores ad eam perficiendam requirantur?

Angina inflammatoria a Noſtro cum RIVERIO ita definitur, vt ſit febris inflammatoria cum impedita reſpiratione deglutitioneue, vel vtraque. Simul hoc impedimentum vel in faucibus, vel in arteria aſpera, vel in oeſophago poteſt latere. Quod ſi vero hic morbus a vitio abdominis ſeu pectoris

et

et aliarum partium corporis proficiſcitur, non dicitur angina inflammatoria.

Peripneumonia a Noſtro diſpeſcitur in pulmonalem et bronchialem: pleuritis in ſiccam et humidam, in idiopathicam et ſymptomaticam e. ſ. p. p. 70.

Inter ſymptomata, paraphrenitidi potiſſimum propria, refert Noſter tuſſim cum ſternutatione, ſingultum, riſum ſardonium et vomitus. p. 86.

Calculus raro excitat dolorem, quam diu in pelvi renum haereat; ſimulac autem ille peluim reliquerit, poteſt ad nephritidem conferre: rurſus fortior et continua equitatio. p. 93.

Reiicit Noſter Cl. BOERHAAVII duplex inflammationum genus, nec attendit in hepatitide ad vaſa hepatis ſanguifera propria et communia, in quorum, ſi obſtructione laborent, diuerſitate, apud BOERHAAVIVM ſpectatur inflammationum varietas. Nam in hepatitide non obſeruatur marcor hepatis, ſed icterus ſemper propemodum hepatitidem comitatur. Symptomata itaque hepatitidis ſemper iudicauit Noſter vna eademque. p. 96.

Non raro vermes, ex duodeno in veſiculam felleam repentes ibique morantes, ictero inſeruiunt. Referuat Noſter ipſe felleam veſiculam viri, ictero mortui, in qua lumbricum craſſum et magnum reperit. p. 106.

Quemadmodum in ictero laborantibus albuginea primum: ſic tandem oſſa ipſa tingi flauo colore, licet raro, Noſter arbitratur. p. 107.

XVII.

IOANNIS BERNHARD. HULLESHEIM Med. Doct. et Profeſſor. publ. ordin. in Gymnaſ. acad. Lingenſ. gemellarum infantum abdominibus connatarum breuis hiſtoria cum animaduerſionibus theoreticis et practicis, et adiuncta de duobus monſtris appendice; nec non morbi rariſſimi hiſtoria. Zwollae, apud S. Clement. 1770. 8. pagg. 28. ſine praefatione c. f.

p. 1. Gemellae hae, de reliquo ſanae infantes, ſibi inuicem abdominibus ab enſiformi proceſſu infra vmbilicum vſque accretae, et paullo poſt partum mortuae ſunt: quarum iconem curauit, ob partum ſane mirum eiusque ſatis felicem euentum, quem hic ex relatione obſtetricis narrat, nihilque certi complecti intelleximus. Inter grauiditatem ſentiebat grauida corpus graue, vt lapidem magnum, vita carens, nec quidquam fecit aut vidit, quod huic coalitioni in grauiditate inſeruire poſſet, excepto hoc, quod duos infantes inter grauiditatem in gremio poſuerit, ac ex tenero amore pectori appreſſerit. Num imaginatio grauidae hic ad coalitionem quid afferat, iudicio aliorum relinquit Noſter.

p. 7. Porro quaerit Noſter: an haec concretio, ſi viuae ac ſanae manſiſſent hae gemellae, ſectione felici cum ſucceſſu ſeparari potuerit? negat autem, hoc fieri potuiſſe ob haemorrhagias oriundas, nec non ob incertitudinem, vtrum integumenta communia vtraque habuerit, viſceraque abdominalia vtriusque libera fuerint accretaue, nec ne? Quodſi vero alterutra mortua fuiſſet, tentanda diſſectio Noſtro videtur.

Deſcri-

Deſcribuntur hic duo monſtra, quorum vnum ex adſpectu capitis equini ficti illud prae ſe ferebat; alterum habebat frontem, ſetis ſuillis cinctam, ad oculos vſque pendentibus. Brachia bene erant comparata, excepto extremo, cui haerebat adnata vngula porcinae ſimilis, deficientibus cubitis atque manibus. Illud non diu vixit, hoc per ſex menſes: quod pariter Noſter terrori et adſpectui tribuere, atque ita imaginationi grauidarum laeſae fauere videtur. p. 11.

His accedit hiſtoria morbi rariſſimi, quo laborabat femina viginti ſex annorum. Erat cachexia leucoplegmatica ſcorbutica, coniuncta cum debilitate neruoſa et fiſtula inteſtini recti, in vaginam ſeu orificium vteri externum potius, quam in vrethram penetrante, etiamſi id quoque per vaſa haemorrhoidalia interna, ad vrethram tendentia, fieri poſſe Noſtro videretur. Indeque flatus cum tanto ſibilo, vt adſtantes audirent, ac aegra manifeſte ſentiret, nec non aliae particulae peregrinae ſimul cum vrina et ſine ea per vias vrinarias exibant. Aegra enim retulit, ſemina duo ribium, praecedente die comeſtorum, cum vrina effluxiſſe. p. 15.

Quapropter quaeritur a Noſtro: quis morbus, quae cauſſa morbi, prognoſis, cura? quae flatuum cauſſa per vrinae vias erumpentium aliarumque peregrinarum rerum? Quibus reſolutis, hanc raram morbi ac ſumme complicati deſcriptionem tradit HERRMANN BOERHAAVE, cuius diſcipulus Noſter fuit, ideoque conſilium ſibi expetiit. p. 19.

Ex additis literis BOERHAAVII cognouimus, ſe quidem de acinis, flatubus, aliisque vrinae via emiſſis, etiamſi ſimilia exempla occurrant in ſcriptis medicorum, dubitare, illudque haud ſatis capere; morbum tamen pendere a ſyſtemate neruoſo debili et mobili cum ſiccitate macilenti corporis et magna obſtructione in ſyntaxi coeliaca ac meſenterica. p. 26.

XVIII. No-

XVIII.

Noua phyſico medica.

Societas ſcientiarum *Bruxellis* 1769 fundata, cuius inſtituti rationem ſupra reddidimus *), per edictum Imperatricis Auguſtiſſimae MARIAE THERESIAE die 16 decembris 1772 Academia Caeſareo Regia ſcientiarum elegantiorum literarum et bonarum artium deſignata eſt.

Seelandinam ſocietatem artium et ſcientiarum Vliſſingenſem praemium monetae argenteae eſſe adiudicaturam auctori diſſertationis, quae inſcripta eſt: *nunc alio nunc rurſus alio ſit obuia vultu*, et tractat illam quaeſtionem: *poteſtne naturae ſcrutator ex cognitis cum obſeruationibus et experimentis etc.* **) nuper relatum legimus. Profiteatur autem ſuum nomen, rogat ſocietas.

Miſſis aliis problematibus, ab Academia ſcientiarum elegantiorum literarum et artium *Rothomagienſi*, eruditis cum viris communicatis, nec nos attinentibus, hanc ſolummodo quaeſtionem hic repetimus.

Optat nimirum Academia, vt quis diſſerat *de mechaniſmo ſecretionis vrinae cum deſcriptione organorum huc ſpectantium, quaeque celeritatem, quacum vrinae ſecretio expeditur, iuuent.*

(*Sur le méchaniſme de la ſécretion des urines avec une deſcription des organes, qui operent et qui concourent à la promptitude avec la quelle cette ſécrétion ſ' exécute*).

Pertinet hoc problema ad annum 1773: et is, qui hanc in rem inquiret ex voto Academiae, exſpectare

*) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 345. it. Vol. hoc p. 252.
**) v. comm. noſtr. Vol. hoc p. 538.

ſtare poteſt maximum praemium, monetam auream trecentarum librarum Gallicarum, quod Academia munificentiae Ill. Ducis DE HARCOURT debet.

Commentaria autem ante primum iulii diem 1773 Cl. L. A. DAMBOURNEY, qui ab epiſtolis Academiae eſt, tradenda ſunt. Praeterea *Eiusdem* nulla nobis lex in ſcribendis mittendisque elaborationibus conſtat, quae ab aliarum academiarum legibus vllam prodat diuerſitatem.

L' Acceſſit ab *Eadem* nacta eſt commentatio poetica, continens literas patris in obitum filii vnici, decimo aetatis anno ex variolarum inſitione mortui, cuius Auctor Ill. comes DE LAURENCIN eſſe dicitur.

Praemia reliqua anatomiae, chirurgiae, arti obſtetriciae, botanicae, matheſi et hydrographiae dicata, inter ſtudioſos, his de ſcientiis optime meritos, ſunt diſtributa.

Regia ſocietas *Pariſienſis*, in emolumentum et incrementum rei ruſticae conflata, promiſit ei praemium quadringentarum librarum Gallicarum, qui ad hanc quaeſtionem 1774 datam ita reſponderet, vt exſpectationi ſocietatis fieret ſatis.

Eſt ita quaeſtio comparata: *Quaenam erat Romanorum agricultura ab initiis inde Reipublicae ad tempora* IULII CAESARIS, *quatenus imperium, mores, et commercium ſpectet? (Quel étoit l' étât de l' agriculture chés les Romains, depuis le commencement de la Republique iusqu' au ſiecle de* IULES CAESAR, *rélativement au gouvernement, aux moeurs et au commerce?)*

Commentaria ſunt ante 1 diem decembris 1774 tradenda atque latino vel franco gallico idiomate ſcri-

ſcribenda *). Leges praeterea cum aliis ſocietatibus ſunt eaedem.

Regia ſcientiarum et literarum elegantiorum *Berolinenſis* Academia problema ex phyſica vegetabilium conſideratione depromptum, *theoriam transplantionis* ſpectans atque 1770 propoſitum, iterum communicat cum viris eruditis hoc 1773 anno. Quaeratur vt hoc in ſuperioribus **), rogamus. Ibi enim non ſolum quaeſtionem, ſed et modum, quo optat Academia, vt reſpondeatur, inuenies.

Societas oeconomica *Petropolitana*, cuius iam mentionem fecimus ***) duas theſes in rem ruſticam iudicio eruditorum committit. Ac prima quidem haec eſt:

Ex diuerſa natura ſoli prouinciarum Ruſſicarum determinetur, quantum terrae requiratur ad domum, agros et id genus alia exſtruenda, vbi familia ruſtica, quae conſtet ex duobus viris totidemque feminis, et, qui iis reſpondeat, ſenum infantumque numero vitam degat, vt habeat familia in eiusmodi habitaculo, unde ſubſiſtat, omnibusque negotiis, quae demumcunque ſint, ſubeundis et praeſtandis par ſit.

(De déterminer, d'après les différentes qualités du ſol des provinces Ruſſes combien il faut de terrein pour la maiſon, les champs cet., d'une famille des laboureurs, conſiſtant en deux ouvriers, deux femmes et un nombre proportionné de vieillards et d'enfans, pour que cette famille trouve dans cette habitation une ſubſiſtance et un entretien ſuffiſant et qu'elle puiſſe elle même ſuffire à tous ſes travaux.)

Ela-

*) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 357.
**) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 358.
***) v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 545.

Elaboratio, quae ad prouinciam Ingriae accommodata ſit, centum numorum aureorum, quae et alias prouincias ſpectet, quinquaginta aureorum deportabunt.

Altera, praemio quinquaginta aureorum numorum Hollandicorum, ita legitur: *Qui eſſet optimus modus habitaculum ruſticum, conſtans ex aedibus, aula, horeo, horto ceteraque exſtruendi, vt ſimplex illud ſit minusque ſumtuoſum, iis tamen non deſtituatur, quae ruſtico ex climatis natura ſint neceſſaria.*

(*Quel ſeroit le meilleur plan d' une habitation de payſan, maiſon, cour, ecuries, grangues et bâtimens neceſſaires, de manière, que cette habitation fût auſſi ſimple et auſſi peu diſpendieuſe, qu' il ſeroit poſſible, et qu' elle renfermât neanmoins toutes les commodités néceſſaires au payſan, en égard au climât*).

Pertinent hae duae theſes ad annum 1773, quarum elaborationes a ſocietate exſpectantur ante 1 diem octobris eiusdem anni. Quo ipſo die conueniet *Eadem* ad has res diſquirendas, ac praeterea quinque monetas aureas, ſingulam pretio centum numorum, quinque chirurgiae ſtudioſis indigenis attribuet, qui per hunc annum 1773 commentarium vel tres obſeruationes dignas exhibitas cum ſocietate communicarunt.

Facultatem medicam *Pariſinam* numos accepiſſe a Cl. CUVILLIERS DE CHAMPOYAUX medicinae doctore ad quaeſtiones cum eruditis viris communicandas, praemiisque ornandas, ſi elaborationes eorum facultati placeant, nuper retulimus *).

Quaeſtio, quae ab *Ea* proponebatur, id volebat: *num poſſent morbi contagioſi praeuideri, arceri, ac, ſi iam progreſſi ſunt, impediri?* (*S' il eſt poſſible de prévoir les maladies épidemiques, et quels ſeroient les*

*) v. comm. hoc Vol. hoc. p. 150.

*les moyens de prévenir ou d' en arrêter le progrès ? *).*

Atque in hanc rem ita Cl. LEBRUN medicinae doctor inquiſiuit, vt votis facultatis medicae Pariſinae reſponderet elaboratio et praemium reportaret.

Poſtea nouam quaeſtionem tradit *Eadem* facultas, cuius reſponſionem exſpectat 1774. Eſt haec: *quinam eſt peſtis, ſi ea eſt peculiaris morbus, character ? quaenam remedia ad eam curandam et praecauendam ? (ſi la peſte eſt une maladie particulière, quel en eſt le caractère, quels ſont les moyens de la traiter et de la prévenir ?* Reliqua vide loco paullo ante memorato.

Gothae auctoritate et munificentia ſereniſſimi Ducis in vſum publicum theatrum anatomicum exſtructum eſt, cui Experientiſſimus GRIMM conſiliarius et archiater, eſt praefectus. Id ſimul cautum eſt, ne copia cadauerum deficeret. Demonſtrationes quoque iam coeptas eſſe legimus. Initium factum eſt praeterito 1772 anno.

Erfordiae experientiſſimum atque excellentiſſimum IOANNEM CAROLVM OETTINGER, medicinae profeſſorem publicum extraordinarium deſignatum fuiſſe iam indicauimus **).

Adiit illam profeſſionem Cl. OETTINGER tractatione, qua de febribus, ab initio fere menſis decembris 1771 per annum 1772 huc vſque Erfordiae, inque eius confiniis epidemice graſſantibus, nonnulla commentatur: ac ſimul pro muneris, ſibi clementiſſime demandati, ratione ad audiendas praelectiones artis ſalutaris cultores inuitat ***).

Cl. IO-

*) v. ibid.

**) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 719.

***) Quae prodiit Erfordii ex officina Nonnii 1772. 4.

Cl. IOAN. AUG. WOHLFARTH *), medicinae doctor in vniuerſitate, quae *Halae ad Salam* floret, eiusdem artis profeſſor extraordinarius factus eſt.

Cl. IOANNEM FRIDERICUM GMELIN, medicinae doctorem, fuiſſe creatum *Tubingae* profeſſorem extraordinarium medicinae relatum legimus.

Illuſtris FERDINAND. IACOB. BAIERVS, Academiae naturae curioſorum Praeſes **), qui Norimbergae hactenus eſt moratus, conſiliarius aulicus Onoldinus factus eſt, et Onoldum iam ſeſe contulit.

Hafniae CHRISTIANVS LODBERG FRIIS medicinae doctor et profeſſor primarius initio huius 1773 anni obiit.

Caſſellis die 14 decembris 1772 Cl. THEODORVS AVGVSTVS SCHLEGER medicinae doctor et profeſſor et h. t. Prorector ***), anno aetatis quadrageſimo quinto obiit.

Hamburgi die 4 februarii 1773. GEORGIVS FRIDERICVS RICHERZ, medicinae doctor et xenodochii medicus ordinarius, anno aetatis ſexageſimo ſecundo animam efflauit.

Experientiſſimus BATIGNE praeterito 1772 anno, qui tractatum de digeſtione ****) ſcripſit, *Berolini* vitam cum praematura morte commutauit.

Ibidem

*) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 159.
**) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 706.
***) v. comm. noſtr. Vol. hoc p. 149.
****) v. ibid. Vol. XVI. p. 96.

